COMMENTARII DE REBVS IN SCIENTIA NATVRALI ET MEDICINA GESTIS.



VOLVMINIS XXVIII. PARS I.

LIPSIAE, MDCCLXXXVI.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Londini apud Pr. Elmsly, Edinburgi apud Elph. Balfour, Lugd. Bat. ap. Fratres Luchtmann, Parisiis apud Barroi senior. Venetiis apud Io. Bapt. Pasquali, Milano apud Ios. Galeazzi, Augustae Taurinor. apud Laurent. Giraud, Holmiae apud Ios. Molini, Holmiae apud M. Swederum.

Jos: Banks

I.

Commentationes ſocietatis regiae ſcientiarum Göttingenſis per annum MDCCLXXIX. Volumen II. cum figuris. Göttingae apud Io. Chriſt. Dieterich. MDCCLXXX. Commentat. Phyſic. plagg. XVII. praeter praefationem. Tabb. aen. VIII. 4to.

Quum de iis, quae ad hiſtoriam actorum ſocietatis ex inſtituto noſtro referant, alio loco in nouis phyſico-medicis iam paſſim dixerimus: ipſas protinus commentationes phyſicas indicare iuuat; ſunt vero eaedem hae:

I. IO. ANDREAE MURRAY *obſeruationes ſuper ſtirpibus aliquot exoticis horti regii botanici recitatae in conſeſſu R. Soc. d. XXX. Ian. A. MDCCLXXIX.* p. 3. Nomina ſtirpium, earumque characteres ſpecificos repetamus, ſubiunctis iis, quae notatu digniſſima obſeruauit Auctor Celeberrimus.

1. *Rheum hybridum* foliis cordatis acuminatis planis, radicalibus vtrinque bi-vel tridentatis.

Lectu digniſſimas adiicit Cl. Auctor obſeruationes de varietatibus Rhei ſpecierum generatim, atque omnibus ſecum collatis vero maxime ſimile iudicat, hoc ſibi dictum *Rheum hybridum* ex *Rheo palmato* ortum eſſe, quum ex alia Rhei (forſan *R. compacto* 1.) ſpecie pollen in piſtilla *R. palmati*, illapſum eſſet. Caeterum noua haec ſpecies ſemina vere matura non protulit in horto botanico: tantum vero abeſt, vt ideo eandem ſterilem eſſe exiſtimet, vt potius in alio ſolo vel ſub alio culturae genere matura fieri poſſe ſemina concedat: poſito autem hoc, *hybrida*

ſpecies tamen manebit, quum conſtet, hybridas plantas etiam interdum ſemina ferre matura. Caeterum conuenit *R. hybridum* cum *palmato*, gemma vtrobiuis rubra, caule alto rubro-maculato, et internodiis magnis inſtructo, veſtitu florum vltra dimidiam eius partem occupante: foliis magnis explanatis patentiſſimis; forma autem diſcrepantibus. Tabula I. eius imaginem ſiſtit.

p. 9. 2. *Lycium Ruthenicum*, foliis faſciculatis linearibus, ramis dependentibus.

Ex ſeminibus Sibiricis procreuit planta, quae ramis debilibus, dependentibus, longis et rarius diuiſis, vti et calyce ouato bi-vel trilobo, proxime venit ad *Lycium barbarum* LINN; foliorum vero figura et faſciculata congeſtione ad *Lycium afrum* LINN. Definitio data igitur differentiam indicat ſpecificam. Tabula II. egregie depicta eſt.

p. 13. 3. *Betonica hirſuta* LINN. Syſt. veget, p. 446, quam Tab. III. delineatam exhibet.

p. 15. 4. *Verbeſina dichotoma*, foliis oppoſitis ouatis tomentoſis petiolatis, caule ſupra dichotomo extimo internodio compreſſo.

Similem quodammodo *Verbeſinae Laueniae*, folia tomentoſa, quae in hac ſunt glabra, vti quoque icones plane differentes, diſtinguunt. Tab. IV. egregiam habet huius ſtirpis iconem.

p. 18. 5. *Commelina Benghalenſis* LINN. Coniicit Ill. Auctor, a LINNEO in editione XIII. ſyſtematis omiſſam *Commelinam cucullatam* cum hac tacite eſſe combinatam, quum non differat, niſi *corollis aequalibus*, dubitanter eidem adſcriptis. Noua igitur deſcriptione et imagine, Tab. V. delineata, perfecta, eam illuſtrat.

p. 20. 6. *Malua virgata*, fruteſcens, foliis baſi anguſtatis multiformibus partitis laciniis inciſo crenatis, pedunculis vnifloris.

Ita

Ita nominat *Maluam capenſem var. α.* LINN. quam a *var. γ.* ſcabroſa conſtanter diuerſam animaduertit; *var. β.* non coram habuit, ideoque eam iam linquit. Conſentimus omnino cum Ill. Auctore, qui duas has adeo diuerſas plantas omni iure ſegregauit. Differt enim a *M. ſcabroſa* quod in hac omnes partes virides hirtae et viſcoſae ſint, pilis vnguen graueolens ſecernentibus, folia omnia quinqueloba, ſubrotunda, non inciſa, crenis denticulatis baſi exciſa, vt vere cordata dicantur, aliisque floris differentiis. Tab. VI. integram fruticem aeri inciſam offert.

7. *Aſclepias ſibirica* LINN. Breuius et imperfecte deſcriptam, neque antea delineatam plantam, nunc vberiore deſcriptione et icone Tab. VII. magis cognitam reddit.

II. *Obſeruationes chirurgicae* AUG. GOTTL. RICHTERI, recitatae XX Febr. MDCCLXXIX. Commendat inprimis Ill. Auctor carcinomatis operationem, quam haud procraſtinandam eſſe cenſet, quin potius omnibus reliquis laudatis remediis et medelis praefert. Deficit adhuc cancri ſignum pathognomonicum, quod Noſter erudite demonſtrat. Sequitur *obſeruatio de mamma*, quae tria capita virilia magnitudine certe aequabat et ad vmbilicum vſque fere propendebat; ſeparata, octo libras ponderabat, neque carcinomatica eſſe videbatur. p. 25. p. 28.

Obſeruatione *tertia* rarus mammae morbus deſcribitur. A tumore magnitudinis nucis iuglandis ſeries minorum tumorum ad papillam vſque deſcendebat, atque ex eodem funiculus tenſus, durus procedebat, prope axillam euaneſcens. Quoties maior tumor comprimebatur, toties aqua ſubrubra omnis acrimoniae et foetoris expers ex papilla profluebat, vt morbus varicoſus eſſe videretur. p. 36.

p. 37. De amauroſi, in cataractam mutata, quae ſingulari modo perpetuo oculum irritabat, obſeruatio quarta agit.

p. 41. III. *De caeruleo materiarum, vitro aemularum, in antiquis monumentis obuiarum colore*, IO. FRID. GMELIN *commentatio, recitata d. XII. Mart. MDCCLXXIX.* Quem plurimi, iique Cl^i Viri ab immiſta cobalti calce deriuarunt meracum illum caeruleum colorem, eum Cl. Auctor potius a ferro immixto productum eſſe, et chemicis experimentis, et hiſtoricis rationibus demonſtrat.

p. 65. IV. IOANNIS BECKMANNI *commentatio de laccis rubiae tinctoriae et Phytolaccae decandrae; praelecta d. XV Maii, MDCCLXXIX.* Cum pauca tantum laccarum genera ſint, quarum confectio certo conſtet, neque etiamnum ſatis conſtet, quaenam terra huic vſui potiſſimum inſeruiat, plura inſtituit hanc in rem experimenta. Radices rubiae tinctoriae adhibuit recentes, easque iuniores, easque, epidermide detracta, conciſas in liquorem conuenientem iniecit, atque coniunxit cum terra 1) aluminis, 2) vitrioli viridis, 3) vitrioli caerulei, 4) vitrioli albi, 5) ſolutionis Iouis, 6) ſaccharī Saturni et 7) magneſia alba, et varii coloris laccas obtinuit, quarum varios bonitatis gradus indicat. Magneſiam albam autem ad laccas omnibus aliis terris, etiam ipſa aluminis terra, multo eſſe vtiliorem probat exinde, quod ferro immixto careat, quo quidem plerumque alumen vulgare eſt inquinatum. Habet etiam hanc magneſia commendationem, quod particulae ſint tenuiores, magisque in menſtruo ſuo attenuatae, poſſintque ideo multo facilius pigmentum attrahere atque tenacius ſeruare, quam craſſiores particulae aluminares. Obtinuit

nuit etiam Cl. Auctor ex ſolutione ſalis amari in aqua deſtillata cocta cum radice rubiae tinctoriae praecipitatione, ſalis alcalini ope facta, laccam, quae Florentinae nihil cedit, neque ſiccando quidquam coloris perdit. His experimentis ſubiungit Cl. Auctor praecepta, quae diligenter curare debent, laccas qui conficere volunt.

Phytolaccae decandrae baccae, earundemque ſuccus, etſi ſpem primo intuitu faciat, poſſe inde laccas eiusdem gratiae elici; tamen experimentis fugacem tantum colorem praebere violaceum demonſtratum eſt. Sicceſcens color ingrati ſanguinis ſiccati colori non abſimilis fit. Baccae ſiccatae omnem tingendi vim perdunt, ſi vel ſales ad pigmentum vel extrahendum, vel revocandum adhibeantur. Laccae etiam, ſi vel madidae ſint pulchre coloratae, tamen vel omnino, vel maxima ex parte colorem perdunt, quando exſiccantur. Interim, haec experiundo, Cl. Auctor in duplicem baccarum vſum incidit. Primum enim ſuccus expreſſus, et paucis vel acidi nitri, vel ſolutionis Iouis guttis temperatus, quando lento calore in vitro vſque ad ſiccitatem inſpiſſatur, pigmentum praebet ſuccoſum, quo vti poſſunt, qui vario colore chartas geographicas vel alias imagines diſtinguunt. Deinde poſſunt inde panni tinctorii, qui *Bezettae* vulgo vocantur, confici, hoc modo: ſuccus baccarum expreſſus et colatus temperatur aliquot guttis vel ſpiritus nitri, vel ſolutionis Iouis recens factae. Panni lintei detriti diligentiſſime lauantur et aqua pura ſaepiſſime eluuntur, vt ſaponis prorſus nihil relinquatur. Hi poſtquam prorſus ſiccati ſunt, imbuuntur iſto ſucco, ſiccantur, iterum imbuuntur, vſque dum ſaturati ſunt.

p. 79. V. HENR. AUG. WRISBERGII *obſeruationes anatomico neurologicae de ganglio plexuque ſemilunari in abdomine et neruis illum formantibus: praelectae d. XVIII. Dec. MDCCLXXIX.* Praemiſſa de neceſſaria neruorum omnium, eorumque connexionis, cognitione egregia oratione, enarratisque plurimis morborum generibus ex commercio nervorum ſecum connexorum oriundis, quorum medela ignorato nerui nexu locum non habet: de nexu neruorum generatim breuiter agit, ſimulque aſſerit, ſe celebri neruorum anaſtomoſi, vbi rami ex diuerſis locis orti, vaſorum inſtar in vnum filum confluant, vix aſſentiri, cum in plerisque neruis ramorum diuiſio, perſciſſa intermedia celluloſa, ad ortum nerui continuari queat; illa tamen neruorum loca, vbi frequenter ganglia filamentis intermixta ſunt, a regula exceptionem facere, et luculenter declarare, vnionem et miſcelam quaſi ibidem diuerſarum neruis impreſſionum fieri. Quare nullibi etiam conſenſus neruorum plura exſtare teſtimonia, quam in neruis gangliis interſtinctis. v. c. in ſympathico magno, et praecipue in ſyſtemate viſcerum abdominalium. Iam cum horum neruorum, quamquam a multis doctiſſimis anatomicis deſcripti ſint, nondum perfecta cognitio data ſit, ſed multa ſuperſint vel addenda, vel melius ornanda: Cl. Auctor vltra 13 annos occupatus fuit, his in anatome ſubtiliore et difficiliore lacunis reſarciendis, atque obſeruationes ex plus, quam ſexaginta cadaveribus humanis conquiſiuit. Accurate itaque agit

p. 86. 1. *de neruo phrenico*, cuius origo certiſſime non in omnibus cadaueribus vltra quartum aut tertium ceruicalem adſcendit; varietatem tamen in 37 cadaveribus Cl. Auctor quinquies vidit, qua neruus phrenicus cum nono pare neruorum cranii per ramum deſcendentem connexus eſt. Deſcribitur itaque hic

ea, quam vidit, ortus nexusque ratio cum ſuis varietatibus, ita tamen, vt naturalis fabrica, ceu omnibus cognita, omittatur.

2) *De pari octauo, quod vagum vulgo appellatur*, atque hic quidem inprimis *ſecundi recurrentis* mentionem facit, ſubiungit tamen etiam deſcriptionem huius aberrationis, qua trunci ipſi confluant.

3. *De neruo ſympathico maximo, praecipue de eius per cauum pectoris deſcenſu, et ſplanchnicis ab illo ortis.* P. 97.

4. *De ganglio plexuque ſemilunari ipſo*, cuius varietates in quatuor claſſes conſtantioris ſtructurae congeſſit, quas vberius et accurate omnes deſcribit.

VI. *Hiſtoria tumorum rariorum circa carpum et in vola manus obuenientium, qui, ſimillimi licet facie, qua indolem tamen et ſanandi methodum prorſus discrepant*, *auctore* OLAVO ACREL, *praelecta r. ſocietati ſcient. d. XVII. Iulii, MDCCLXXIX.* P. 112. Alii tumores carpi a carie ſuboriuntur et fungoſi ſunt; alii atheromatis naturam induunt atque e iuncturis praecipue et ligamentis oſſium carpi pullulant. *Primum* de fungis cancroſis, qui ſupra et infra carpum conſpiciuntur, cutem integram ſeruant atque qua magnitudinem et figuram, conſiſtentiam, duritiem atque dolorem inter ſe variant. Praeter auctı ponderis ſenſum, digitorum rigorem, incommoda nulla mouent; poſt plurium annorum inducias in moleſtiſſimam molem excreſcunt. Cauſſas ipſorum indicat, ipſosque a gangliis omnino differre docet. His praemiſſis, tres caſus recenſet, e quibus apparet, omnia remedia chirurgica cognita ab his tumoribus eludi, hanc tamen malo adcommodatiorem methodum proponit, vt, quoad fieri poteſt,

poteſt, externum vlcus quam primum ad cicatricem perducatur; nulla caeterum ad ſanationem cauiei penitus abſolutam habita ratione.

p. 129. Deinde *Atheroma iuxta carpum* deſcribit. Semper huius generis tumores ſub iunctura et vola manus vidit, et in capſula, eaque ſubinde denſioris compaginis, fuerunt incluſi, capſula ſe dilatando increſcit et ſeſe inſinuat inter muſculos, tendines et aponeuroſes volae manus. Moleſtiam tamen haud leuem ſub motu manus digitorumque pariunt, atque plurimis durioribusque ramis, preſſioni renitentibus, praediti, atque ſic in plurima loculamenta diuiſi ſunt, qua in re a reliquis cyſticis tumoribus differunt, a gangliis autem humore, quem continent. In caſu ſubiuncto ſetaceis, inciſione, iniectione mixturae rodentis ex ſpiritu acido ſalis marini aqua diluto, atque compreſſione medelam abſoluit. Caeterum materiem atheromatis huius plane ſingularem ſobolem eſſe lymphae, quam aut glandula quaedam ipſius iuncturae parauit ſecreuitque, aut fibrae tendineae caſu ruptae ſtillarunt, haud dubie pronunciat. In Tabula ſubiuncta tumorum forma atque ratio depicta eſt.

II.

Fundamenta Chemiae theoretico-practicae, poſita a D. IOH. WILHELMO BAUMERO, Sereniſſimi Haſſiae Landgrauii a conſiliis rerum metallic. Medicinae in academ. gieſſen. Profeſſ. Primar. Hiſtor. natural. et Chemiae Ordinar. Gieſſae, apud Iuſt. Frider. Krieger, CIↃIↃCCLXXXIII. Alph. 1. plagg. 11. in forma octaua.

In

In conſcribendo hoc libro, qui duabus partibus abſoluitur, Auctor rationem ſecutus eſt hanc, vt in prima parte, praemiſſa chemiae definitione, obiectisque et characteribus, quibus chemici quandoque vtuntur, deſcriptis, inſtrumenta cum actiua, tum paſſiua recenſeat, ſimulque variorum de principiis corporum chemicis ſententias enarret, et tandem de operationibus chemicis loquatur; in altera autem producta aquea, educta et producta ſalina, educta gummoſa et gummoſo-reſinoſa, educta et producta phlogiſtica et ſalino-phlogiſtica, ſaponacea, ſulphurea, ſulphureo-ſemimetallica, hepatica et hepatico-regulina, producta aggregatorum, ſemimetallica et metallica conſideret, tandemque de metallorum et ſemimetallorum temperaturis, de metallorum commixtorum ſeparatione, de praecipitatis atque calcibus et de vitrorum coctione agat, ac ſimul praecepta, quae dedit, diſſoluendorum, componendorumque variorum corporum exemplis quibusdam illuſtret.

Sub hiſce ergo ſectionibus tam theoreticam, quam practicam chemiam Auctor comprehendit, vſusque eſt in vtraque hac artis parte exponenda ordine haud prorſus inepto et ſtilo, vtut non eleganti, ſatis tamen limpido, eoque rebus pertractatis accommodato. Quare ſi ad has, de quibus modo locuti ſumus, libri laudati dotes reſpicimus, non poſſumus ire inficias, eum vſibus, quibus ab Auctore deſtinatus eſt, omnino non videri penitus incongruum. Iam autem, cum plures ſint virtutes, quibus excellere liber bonus, isque potiſſimum, qui in diſcentium vſus conſcriptus eſt, debeat, videndum eſt accuratius, vtrum his etiam admodum ſit conſpicuus, an illis tantum, quas ſupra commemorauimus, lectoribus probetur. Neque tamen in variis, quas BAUMERUS protulit, chemiae

ſubie-

ſubiectis, velut in aqua, terra, lapidibus, ſalibus, metallis, horumque corporum ſpeciebus ſingulis recenſendis haerere nobis lubet, quarum quippe enumeratio longa nimis futura eſſet, atque faſtidioſa, ſed perſiſtendum potius nobis putamus in hoc, vt praecipua quaedam Auctoris de indole quarundam vel a natura productarum, vel arte factarum rerum placita excerpamus, eius de variorum phaenomenorum cauſis ſententias diiudicemus, et, ſi quid iis adiiciendum videatur, iſtud ſubſtituamus.

p. 21. Et alumen quidem inter ſalia ſtyptica Auctor refert, dicitque, illud ex vitrioli acido, terra ſilicea et aqua compoſitum eſſe; at vero ſi accuratius in naturam huius ſalis inquirimus, et nuperorum chemicorum cum eo facta experimenta, eaque ſumma cura inſtituta, conſulimus, videmus quidem et vitrioli oleum et multam aquam ipſi ineſſe, haud vero quaquam ſiliceam terram, ſed prorſus aliam, argillaceam dictam, aut ab alumine cognominatam, in eo contineri, quae in acidis, mineralibus potiſſimum, facile ſolui poſſit, cum iisque in terreſtria ſalia abeat, quibus conficiendis ſilicea terra omnino impar eſt. Hinc BAUMERUM in definienda aluminis natura mirum quantum a vero aberraſſe, eumque francogallum quendam chemicum, infidum ſaepe ducem, in hac re eſſe ſecutum, patet.

p. 25. Boracem, veteribus Baurach dictam, medium ſal ex minerali alcali, ſale hombergiano, terra vitreſcente, multa aqua et pauco vitrioli acido compoſitum ſiſtere, illudque ex orientali India ſub maſſae pinguis, cryſtallis refertae, variisque heterogeneis partibus contaminatae forma afferri, et iam apud Batauos, vt olim apud Venetos, depurari Noſter perhibet, neque tamen de modo, quo Batauі

in

in borace ex tincale conficiendo vti ſolent, reddit rationem, nec de tincalis natura et ortu ſententiam dicit. Mancus ergo eſt hic de borace locus, qui ex DEMACHYI, FERBERI, aliorumque ſcriptis multo locupletior reddi, et emendari potuiſſet.

Inter gummata et reſinas, quas Auctor recenſuit, mentionem quoque camphorae factam eſſe videmus, quae, ſi Noſtro fides haberi debeat, non ſolum ex lauri camphorae et quarundam aliarum plantarum variis partibus excoctione et veluti ſublimatione paratur, ſed etiam ex aethereis quibusdam oleis, v. c. maioranae, thymi cet. praecipitatione quandoque obtinetur. Nos quidem has cryſtallos, in quas nonnunquam olea quaedam aetherea ſponte abeunt, non tam camphoratae, quam potius ſalinae acidae naturae eſſe, cum nuperis quibusdam chemicis perſuaſum habemus. p. 75.

Furnorum figuram oualem vel ellipticam, qua ignis radii refracti in vnum, duoue puncta cauſtica colligantur, vim ignis vehementer augere Noſter cenſet, eaque de cauſa furnum ita conſtructum chemicis vehementer commendat. Sed cuius vtilitatis furnus eſſe poſſit, qui ignis radios in vnum punctum colligat, nos ſane non hariolamur. Summa furni chemici in eo profecto collocanda eſt, vt calor operationi inſtituendae aptus paucis carbonibus produci, corporibusque ita applicari poſſit, vt ea ab omni parte vim ignis experiantur. p. 85.

Fermentationem variorum vegetabilium corporum, quae ex partibus heterogeneis, v. c. oleoſis, acidis, mucoſis, cet. compoſita ſint, inteſtino motu, qui aëre, temperato calore et, reſpectu ſicciorum, aqua vel producatur, vel adiuuetur, peragi Auctor ſtatuit, eamque ita abſolui perhibet, vt partes ſubtiliores, ſalinae ſcilicet mobiliores, terreae, oleoſae et aqueae a magis viſcidis ſeparentur, p. 174.

tur, paulo craſſiores in motum corripiantur, attenuentur et denique in nouum corpus vinoſum vel acetoſum componantur. Si autem quaeramus, quae ſit proxima inteſtini illius motus cauſa, hoc Auctorem problema haud ſoluiſſe, animaduertimus. Eſt quidem verum, quam quod veriſſimum, nobis nondum cognitam atque perſpectam penitus eſſe propriam et veluti principem fermentationis cauſam; attamen experientia edocti ſcimus, ea ſolummodo corpora ocius citius in fermentationem rapi, quae dulcibus, aut certe mucilaginoſis partibus admodum abundent. Atqui ex hoc, aliisque phaenomenis ad proximam illius motus cauſam il-
p. 175. luſtrandam aliquid lucis afferri poſſe videtur. Ceterum enumerat BAUMERUS duas fermentationis formas, vinoſam puta et acetoſam, quarum illam etiam ſpirituoſam vocari monet; eam autem fermentationem, quam putridam appellant chemici, ab illis ſeparandam iudicat, quod ſalia vrinoſa, terra ſubtiliſſima, oleaque volatilia foetidiſſima ea producantur, et corpora prorſus deſtruantur. Neque tamen nobis videtur putrefactio a fermentatione proprie tali, vt loqui Auctor amat, ſeiungenda, ſed potius tanquam continuatio illius, eiusque acetoſae, conſideranda eſſe, quoniam in multis corporibus putrefactio ſemper fermentationem ſequitur; et quamuis haec quandoque in oculos ita non incurrat, vt eam perſpicue animaduertere poſſimus, ſaepe tamen et fere ſemper, vt COLDINI experimentis demonſtratur, in principiis putredinis aliqua, non duratura ſigna acidae degenerationis ſe offerunt, vt praecedat acidum, aliquamdiu cum putredine partitas vices teneat, et ab ea denique ſuperetur *) cet.

Tar-

*) Vid. Commentar. noſtr. Vol. XXV. P. I. p. 22.

Tartari emetici parandi ratio, quam Noſter lau- p. 240.
dat, efficaci medicinae cum euacuanti, tum reſol-
venti, conficiendae non omnino apta eſt; neque
enim croci metallorum, aut vitri antimonii quan-
titas, quae cum tartari cremore coqui debeat, ac-
curate eſt deſcripta, neque coctionis tempus recte
definitum. Scilicet perinde Auctori videtur, ae-
quales partes antimonialis calcis et cremoris tartari
ad parandum hoc ſal metallicum adhibeantur, an
dimidia illius calcis pars ad duas cremoris ſumatur.
Sed ſi anaticae partes vtriusque ingredientis cum
aqua coquuntur, ingens profecto copia antimonii
calcinati indiſſoluta remanet, quod cremoris non
ſatis adſit, cum quo in coniunctionem abire queat.
Hinc patet, eam huius emetici medicamenti con-
ficiendi methodum, quae coctione vnius partis vi-
tri antimonii cum partibus duabus cremoris tartari
et ſufficiente copia aquae abſoluitur, illa eſſe prae-
ſtantiorem. Ceterum nimis longum eſt tempus,
quod ad coctionem praeſcripſit Auctor, cum, mo-
do aquae idonea portio adhibita fuerit, decem ho-
rarum ſpatium ſufficere, nuperiorum experimenta
docuerint.

Phoſphororum variorum Noſter etiam mentio- p. 250.
nem iniicit, eorumque et parandorum methodos,
et virtutes praecipuas recenſet. Et primo quidem
loco laudat eum, qui ex ſalis ammoniaci parte vna
et duplo calcis viuae ſeorſim puluerisatis, deinde
mixtis et in catillo fuſis paratur, neque vero auc-
toris, qui primus illum deſcripſit, et a quo etiam
cognomen habet, meminit. Hic autem phoſpho-
rus in tenebris lucem emittit, ſi quocunque modo
teritur, ille, qui a BALDUINO nomen fert, et
quem nitrum calcareum valde calcinatum largitur,
tum demum lucet, ſi radiis ſolaribus fuerit expoſi-
tus. Ob teneram ſulphuream indolem hanc po-

ſterio-

steriorem speciem cum spatho hepatico bononiensi visto conuenire Noster iudicat.

p. 357. Phosphori animalis aut kunkeliani conficiendi varii modi sunt, quorum vnum, alterumue reliquis antecellere Auctor recte quidem perhibet, sed gahnianae methodi, quae optima, expeditissimaque dici meretur, ipse est oblitus. Ceterum, vt hoc vnum addamus, alumen, quod nonnulli miscelae ex sale microcosmico, fuligine et arena addiderunt, non putamus ea pollere virtute, vt acidum vrinae expellat antea, quam cum phlogisto coniunctionem inierit; nam vitriolicum acidum minus fixum esse, quam phosphoreum, satis quidem euictum est.

III.

Sammlung physikalischer und chymischer Abhandlungen von FRANZ CARL ACHARD. *Berlin.* 8. *Erster Band mit Kupfern bey Unger.* 1784. *S.* 480.

i. e.

Collectio commentationum physicarum et chemicarum, auctore FRANCISC. CAROL. ACHARD Vol. Imum.

Egregius sane obseruationum atque experimentorum thesaurus, tanto quidem maioris aestimandus pretii, quod, vel non monente Cl^o Auctore, ipso enarrationis modo pateat, eum nulli litasse hypothesi, sed quae suis ipsius viderit oculis retulisse: Id tantummodo in commoda lectorum nobis optandum supereſt, Cl. Auctorem et singularum commentationum contenta, et commentationes ipsas faciliori et meliori ordine, quam quidem hinc inde factum est, disposuisse, singulas numeris suis in-

insigniuisse, et catalogo, vt vocant, alphabetico, omnium, quae hoc volumine continentur, aut certe praecipuorum experimentorum sub finem adiecto vsum praestantissimi libri faciliorem reddidisse: Plures, quas hoc volumen comprehendit, commentationes coram regia Berolinensi Scientiarum Academia praelegit, cuius etiam nouis actis publicis insertae sunt sermone gallico.

De imperfectione eius, quae in meteoris versatur, scientiae naturalis partis, quamdiu cum obseruationibus, barometro, thermometro, atque hygrometro institutis, eae non coniunguntur, quae electricitatem atmosphaerae, pluuiae, niuis ac nebulae docent, vna cum descriptione binorum instrumentorum, ad id genus obseruationum adhibendorum; inserta est haec commentatio nouis actis Berolinensibus anni 1780. Vt instrumentum istiusmodi laudem mereatur, requirit Cl. Auctor, vt vsu sit facile, vt non indicet modo, an, sed quo gradu, vtrum positiue, an negatiue electricus sit aër, vt vsus eius, si materia electrica accumuletur, nullum periculum obseruatori intentet, et vt sit portatile, et domi aeque ac in horto adhiberi queat; singula haec commoda suis instrumentis comparauit, quae nunc vberius describit. p. 5.

Experimenta, quibus demonstratur, corpora eiusdem generis, superficie tamen et massa discrepantia, materiem electricam, sola superficierum, nulla massarum ratione habita, in se recipere, iisdem actis eiusdem anni similiter inserta. Conductor cylindricus cauus ex lamina aurichalcea confectus eadem certe se habuit ratione, siue vacuus erat, siue plumbo liquato refertus, cum tamen conductor perinde cauus, sed minoris diametri, notabilem satis ostenderet discrepantiam. p. 17.

p. 20. Experimenta ad determinandam celeritatem, qua corpora diuerſae figurae materiem electricam in ſe recipiunt, et rationem, quae inter copiam abſorptae materiae electricae, et diſtantiam a corpore ea repleto intercedit, inſtituta. Spectant haec ad litem, diu inter Anglos phyſicos agitatam, vtrum ad fulminis ictum ab aedificiis arcendum corpora in acumen deſinentia, an rotundata praeſtent. Decem narrat experimenta, magna cum cura inſtituta: Quo magis conductor a corpore, cuius materiae electricae abſorbendae inſeruire debet, diſtat, eo tardius abſorbet, vt tandem, ſi diſtantia nimia ſit, nihil plane eius abſorbeat: Unum corpus in acumen deſinens plus materiae electricae abſorpſit, quam plura eiusmodi corpora, aut conus.

p. 34. De electriſatione ſurdi. Puer 15 annorum, qui ſexto ſuae aetatis anno variolis laborans omnem audiendi facultatem amiſerat, per tres dies ſe inuicem ſubſequentes ſingulis diebus circiter quinquaginta concuſſiones electricas ab vna aure ad alteram deriuatas accepit, et feliciter ſanatus eſt: In aliis tamen, qui ſuperata febre acuta ſurdi facti erant, nihil effecit iſtud remedium.

p. 35. De quibusdam ſingularibus fulminis effectibus. Deſcribit phaenomena, quae ipſe vidit, atque effectus, quos in ſuo ipſius corpore percepit; erant autem violentae concuſſiones, in animi deliquium abeuntes, et altero adhuc die genuum tremor, et vehemens alui fluxus, quos quidem poſteriores effectus ab ictu electrico, nulla etiam concuſſione comitato, experitur Cl. Auctor. Eodem fere loco quatuordecim diebus elapſis villicus quidam ictu fulminis ſubito exſtinctus fuit; enarrat Cl. Auctor phaenomena, in cadauere eius obſeruata, nulla ſulphurei odoris vel fuſionis corporum metallicorum, quae ſecum portabat,

tabat, veſtigia; veſtimenta autem, quibus indutus erat, dilacerata, et multa eorum disiecta; comparat hunc caſum cum aliis ſimilis indolis, et in discrimen fulmine necatorum, eiusque cauſam inquirit; in plerisque certe caſibus fulmen vera partium deſtructione, non aëris modo corruptione, occidere: Phaenomena in alia tempeſtate notata, quae Cl. Auctor Celeberr. FRANKLINI de fulminis et electricitatis indole hypotheſi contraria eſſe putat.

Chemica nonnullorum lapidum analyſis, et defini- p. 45.
tio earum, ex quibus conflantur, partium. Acidis mineralibus praecipue tentauit hos lapides, tum crudos, tum antea cum ſale tartari vſtos, et elutriando hoc iterum priuatos, Cl. Auctor; ſimul tamen, quid, ſi ſoli exponantur violento igni, patiantur, notauit: Prima experimentorum ſectio ſpectat chryſolithum orientalem, quem in catillo Haſſiaco ſub fornace docimaſtica per quatuor continuo horas, candentem perparum quidem de ſuo pondere, omnem tamen colorem, et in ſuperficie partem pelluciditatis amittere expertus eſt Cl. Auctor; in duabus eius lapidis drachmis experimenta haec 18 grana terrae ſiliceae, 21 grana terrae calcareae, 77 grana terrae aluminaris, et duo tantummodo calcis ferreae grana ineſſe demonſtrant. Altera ſectio pertinet ad amethyſtum Saxonicum, qui per 14 horas eodem igne eadem ratione vſtus, non mutato pondere, ſimiliter et colorem et partem pelluciditatis exuit, et in duabus drachmis duo grana calcis ferreae, 36 grana terrae ſiliceae, 10 grana terrae calcareae et 72 grana terrae aluminaris continere repertus eſt. Tertia ſectione ad iaſpidem orientalem rubram maculis viridibus variegatam progreditur Cl. Auctor. Et hic lapis eodem pacto per tres continuas horas igne tortus, nec pondere, nec ſuperficiei nitore mutato, colorem tamen in griſeum

commutauit, et praeter magnam terrae ſiliceae copiam terram etiam calcaream et calcem ferream exhibuit. Quarta denique ſectione perſequitur Cl. Auctor mixtionem pumicis albi, qui per duas horas igne furni anemii agitatus in maſſam griſeam, ad chalybem ſcintillas elidentem, achati polito ſimilem liquabatur, et in binis drachmis duo grana terrae ferreae, 14 grana terrae ſiliceae, 5½ grana terrae calcareae, et 99 grana terrae aluminis continere inventus eſt.

p. 63. De cauſſis aſphyxiae, ex inſpiratione aëris reſpirationi inepti natae, et de remedio eius valde efficaci: Haec etiam commentatio in nouis actis Berolinenſibus, et quidem anni 1778 occurrit. Non in defectu elateris latere iſtam cauſſam, ſed in nimia, qua aër ſuperſaturatur, phlogiſti copia, quo per nitrum liqueſactum, ſi eiusmodi aër per illud transeat, abſorpto noxius eſſe deſinit; reſpirationis quendam finem eſſe, vt phlogiſton ſuperfluum per hanc viam corpore egrediatur; aërem igitur phlogiſto iam nimis onuſtum phlogiſto illi in ſe ſuſcipiendo ineptum eſſe, quod ſi in corpore remaneat, irritabilitatem ſubito, deſtruat omnem, et neruos obnubilet; animalia etiam, quae per aliquod tempus absque reſpiratione vitam agere poſſunt, non tantum phlogiſti in atmoſphaeram protrudere (reſpiciendum tamen hic praecipue eſſe ad aërem vitalem, quem pulmones ex atmoſphaera hauriunt, cum ſanguine commiſcent, et per vniuerſum corpus diffundunt, nuperiores Cl. LAVOISIER, INGENHOUS, CRAWFORD aliorumque obſeruationes monſtrant): In illis igitur aſphyxiis ſanandis id agendum eſſe, vt motus pulmonum reſtituatur, phlogiſton accumulatum euacuetur, et per ſtimulantia neruorum ſtupor tollatur; aërem eum in finem dephlogiſticatum pulmonibus intrudendum

ſua-

ſuadet, et eo remedio cuniculum et fringillam, quos in aëre ex ipſorum pulmonibus exhalante exſtinctos viderat, reſtituit; repetitis eodem cum felici euentu iisdem in canibus, felibus ac muribus experimentis; euentus etiam idem erat, ſiue animalia aëre ex pulmonibus exeunte, ſiue fixo, ſiue inflammabili, necata videbantur. Vltimo deſcribit Cl. Auctor inſtrumentum, quo ad iniiciendum in pulmones animalium iſtum aërem vtitur.

De pondere ſpecifico, elatere, indole com- p. 75.
preſſibili atque extenſili variarum aëris ſpecierum, et de earum facultate, ſeminum, germinationi et ceter. aptorum, euolutionem aut promouendi, aut impediendi. Aërem inflammabilem ac nitroſum quaſſatione cum aqua ex parte in ſuas diuidi partes conſtituentes, non abſorberi. Aërem fixum inter omnes aëris ſpecies ſolum talem corporibus inhaerere, qualis, quum ea deſtruantur, ex corporibus prodeat; eius acorem certiſſime non ab acido peregrino, quod, dum euoluitur, ei commiſcetur, pendere, ſed, dum adhuc in corporibus innidulatur, iam adeſſe. Specificum pondus in globo vitreo, quem, poſtquam ſub antlia pneumatica omnem aërem antea incluſum extraxerat, aëris ſpecie ponderanda impleuit, determinauit; aëris quidem nitroſi minus exacte, quamuis minus eſſe pondere aëris communis ſibi perſuadeat: Si pondus aëris communis = 1 aſſumat, pondus aëris fixi, aut vitriolici, aut nitroſi acidi vi ex creta expulſi, inuenit = $1\frac{258}{1000}$, aëris fixi acidi vitrioli ope ex ſale tartari extricati = $1\frac{516}{1000}$, aëris fixi ex cereuiſia fermentante prodeuntis = $1\frac{645}{1000}$, aëris inflammabilis ex vegetabilibus et praeſertim ex hordeo igne extorti manifeſte minus puri = 1; aëris inflammabilis ope acidi vitriolici ex zinco = $\frac{1}{6}$, ex ferro obtenti = $\frac{155}{1000}$, ex zinco acidi phoſphorici vi impe-

 trati

trati = $\frac{1}{2}$, ex ferro per aceti acidum acquiſiti = $\frac{283}{1000}$, dephlogiſticati, ex nitro liquefacto effluentis = $\frac{839}{1000}$, (hic calculus ab omni aliorum phyſicorum calculo recedit, qui hunc aërem communi ponderoſiorem deprehenderunt): Si pondus ſpecificum aëris communis = 31, pondus aëris ardente candela cerea phlogiſticati inuenit Cl. Auctor = 28, aëris ardente ſulphure aut vini ſpiritu phlogiſticati = 30, aëris reſpiratione pulli multum phlogiſticati = 29. Quo minus ponderoſa eſt aëris ſpecies, eo minus eodem calore extenditur, eo minus, preſſione manente eadem, comprimi poteſt. Vt, quem in germinationem ſeminum effectum habeant, explorare, Ianuario menſe calore 16-20 thermometri Reaumuriani ſemina lepidii ſatiui, telae laneae (Flanell) madidae commiſſa, ſub vitris concluſa aëris illis variis ſpeciebus expoſuit, et vidit, ſemina in aëre dephlogiſticato eadem celeritate et facilitate germinare, quam quidem in communi et quocunque modo phlogiſticato; intumeſcere paululum, neque tamen germinare in aëre fixo, et penitus deſtrui in aëre nitroſo.

p. 83. De modo, motum undulantem partis ſuperficiei cuiusdam liquidi imminuendi, per corpora ſpecifice leuiora, quae igitur huic ſuperficiei innatant, aut fluida, quae tamen alteri fluido ſe commiſcere non poſſint, aut ſolida: Hic etiam libellus iam in nouis actis Berolinenſibus anni 1778 impreſſus eſt: Primo recenſet, quid iam ab aliis, et in ipſo praeſertim mari factum ſit, et tunc enarrat, quo modo fluctuantem vndarum maris motum imitatus ſit, et experimenta cum paruis vaſis nauigiorum ſimilibus atque oleo oliuarum inſtituta ſaepius iterarit. Ibique, ſi vis, fluctuantem vndarum motum producens, eadem maneat, eum minorem eſſe, ſi oleum infundatur aquae, quam ſi non infundatur, eo quod

eor-

corpora motae aquae innatantia ſuo pondere ſuperficie eius eleuationi reſiſtant; eapropter loco infidi oliuarum olei vacua atque occluſa dolia, in quae aqua non penetrare poſſit, aut arcas ex laminis ferreis confectas, aëre repletas, et aquae imperuias, in nauigationibus tempeſtuoſis adhiberi, ſuadet.

Altera commentatio enarrans experimenta cum ſale culinari eo fine inſtituta, vt illud in ſuas partes ſecedat: Neſcimus equidem, quare haec mox inſequentem praecedat, qua demum lecta intelligi plenarie poteſt. Neque liquato plumbo ſenſim ingerendo, neque cum ſulphure igni, quo hoc in flammas erupit, aliis atque aliis modis exponendo, ſal culinare in ſuas dirimere partes potuit. Quod ex ollis, in quibus muria cocta fuit, efflorescit, merum invenit ſal culinare, nequaquam acido ſuo orbatum alcali minerale; neque aliud quid euenit, ſi muriae illi bullienti calx ſola, aut vna cum arena iniiciebatur; neque quod ex maſſa ex lapidis calcarei pulvere et ſale culinari aqua ſoluto compacta, neque quod ex ſale culinari et luto cum aqua, neque quod ex puluere lapidis calcarei et luto ſicco cum muria ſalis culinaris ſubactis, et vel ſimpliciter ſiccatis, vel excandefactis, efflorescebat, aliud quid erat, quam quidem ſal culinaris; pars tamen florum ſalinorum, qui ex lithargyrio et calce viua cum muria ſalis culinaris ſubactis naſcebatur, lixivioſam monſtrauit indolem: Neque fuſio ſalis culinaris mox cum carbone cornu cerui, mox cum fluore minerali, mox cum argilla vulgari nigra, mox cum calce et ferro ſimul inſtituta, neque tritura cum fluore minerali, aut cum ferro et calce, addita aqua, per dimidiam diem continuata ſeceſſum partium effecit. Similiter nec ſal mirabile aut coquendo, aut terendo, aut fundendo cum lithargyrio,

p. 93.

rio, creta, lapide calcareo, calce viua in ſuas divelli partes potuit.

p. 110. Experimenta cum ſale culinari eo praeſertim ſcopo inſtituta, vt ſal in ſuas partes abeat, et alcali minerale ex eo ſeparetur. Minium et ceruſſa plane nihil efficiunt, (prius tamen paululum, ſi cum ſale et aqua teratur) neque lithargyrium, alia atque alia proportione cum ſale illo et aqua miſtum, niſi coquatur, quo facto, exigua mineralis alcali portio ſecedit; neque maior, ſi lithargyrium prius coquendo cum lixiuio cauſtico aëre fixo priuatum fuerit: terendo diu lithargyrium cum ſale, et tantam adfundendo ſenſim aquae copiam, vt pultis in modum ſpiſſeſcat, albeſcit lithargyrium; ſal tamen integrum permanet, niſi duae partes lithargyrii cum vna ſalis parte tritae fuerint: Neque fuſio cum plumbo aut lithargyrio plus effecit. Calx viua alia atque alia ratione atque proportione cum ſale commiſta nihil quoque effecit; neque auget vim lithargyrii, particulam acidi ex ſale culinari abſorbendi.

p. 132. De nouo ſubſidio, paucis adhibitis carbonibus, aliaue materia combuſtibili calorem ſuſcitandi, ei ſimilem, quem magna vitra et ſpecula vſtoria producere valent, cum deſcriptione furni, qui, dum calefaciendo conclaui inſeruit, ſimul contentum eo aërem depurat, et phlogiſto liberat. Exſtat iam haec quoque tractatio in nouis actis Berolinenſibus anni 1779. Loco aëris communis aëre dephlogiſticato ex nitro extorto et veſicae incluſo lampadis flammam auxit, quo quidem id effecit, vt filum ferreum, diametri $\frac{1}{5}$ pollicis, duobus, grana aliquot platinae paucis minutis ſecundis liquarentur; Hoc experimenti euentu excitatus de furni forma, qua perpetuum iſtius aëris flumen in carbones deriuari poſſit, cogitauit; primo tamen iam tentamine

adeo

adeo insignem aestum eo artificio genuit, vt fere omnes furni partes liquefierent: Vt aërem conclavis hieme semper purum conseruet, iubet fundi furni consueti medio laterem imponi, cui basis vasis conici 6-8 pollices alti et in basi 4 pollices ampli suo tempore nitro implendi innitatur; hoc vas superius in tubum argillaceum exit, qui postquam sex pollices perpendiculariter adscendit, recto angulo flectitur, et per furnum in conclaue ducitur; ex eiusdem vasis basi alius tubus exeat, qui postquam pedis altitudine perpendiculariter adscendit, recto pariter angulo flectitur, et per furnum in conclaue deriuatur; in hoc posteriore tubo adaptetur tubus follis duplicis, duobus fulcris innixi, qui, postquam vas illud nitro, et furnus ardente ligno repletus est, moueatur. Commoda tamen, quae ex hoc inuento in aëris conclauibus inclusi correctionem redundatura esse sperauerat Clar. Auctor, hactenus certe non confirmauit experientia.

De similitudine, quae tum in generatione atque effectibus electricitatis et caloris, tum in virtute corporum electricitatem conducendi et calorem recipiendi intercedit, vna cum descriptione noui cuiusdam instrumenti, ad determinandam electricae materiae copiam, quam corpora diuersae indolis in eodem tamen statu posita, conducere valent, accommodati. p. 141. Haec etiam tractatio in nouis actis Berolinensibus eiusdem, in quo mox praegressa, anni exstat. Prima sectione Cl. Auctor ostendit similitudinem, quae inter generationem electricitatis et productionem caloris intercedit. Conductorem electricum, si corpus positiue electricum ipsi affricetur, negatiue electricum fieri, parte igitur electricitatis suae orbari, electricitatem, frictione duorum corporum excitatam tanto maiorem esse debere, quanto maius sit discrimen virtutis, qua vtrum-

que corpus pollet, fluidum electricum, conducendi; si nullum sit eius virtutis discrimen, nulla edere post mutuam frictionem electricitatis indicia, quamuis reapse excitetur electricitas, quoniam eodem momento, quo excitetur, restituto materiae electricae aequilibrio iterum destruatur. Secunda sectio similitudinem inter effectus electricitatis atque effectus caloris monstrat. Vim caloris corpora distendentem a generata igne particularum vi repellente proficisci, sicuti corpora eiusdem electricitatis eodem gradu donata sese inuicem repellant; eundem effectum etiam in particulis corporum electrica materia perfusorum consequi; et quod extensione massae non fiat sensibilis, prouenire a maiore attractionis partes corporis inter se ligantis vi; electricitate perinde ac calore seminum germinationem et plantarum incrementum, euaporationem, sanguinis in animalibus viuis motum, animalium ex ouis euolutionem accelerari, metalla atque alia corpora liquari; superpondium electricitatis aeque ac caloris in duobus corporibus sese mutuo contingentibus per vtrumque aequabiliter dispesci. Tertia sectione probat Clar. Auctor, corpora exactam servare proportionem inter facultatem calorem suscipiendi, et facultatem electricitatem conducendi; metalla v. g. multo citius calefieri et refrigescere, quam vitrum; omnia corpora, quo citius calefiant et refrigerentur, eo citius etiam definitam materiae electricae copiam in se recipere et amittere; quo tardius calefiant et refrigescant, eo tardius et difficilius materiem electricam imbibere ac dimittere. Postremo describit et delineat instrumentum, quo, quantum electricae materiae corpora dato tempore, dum aliud non electricum contingunt, amittant, exactissime mensurari posse sibi persuadet.

De

De effectu, quem ſal ſedatiuus, dum cum iis p. 154.
funditur, in metalla, terras calcesque metallicas exſerit. Haec quoque experimentorum ſeries in nouis actis Berolinenſibus anni 1779 enarratur. Digerendo cum ſalis ſedatiui ſolutione, in aqua facta, alia metalla cruda, alia demum per alcali ex aliis acidis praecipitata ſolui; natum ex eo ſale et alcali volatili ſal medium elegantiſſimas in cryſtallos concreſcere, et igne vaſis clauſis tortum alcali ſuum, multo tamen minori copia, reddere, ſimul oleum ſubfuſcum adſcendere, vt igitur alcali volatile per ſal ſedatiuum in ſuas dirimi partes, et oleoſi quid continere probabile ſit. Ex iis, quae Cl. Auctor tentauit, praeter ferrum nullum metallum totum quantum cum ſale ſedatiuo in ſcorias confluxit, licet a platinae crudae particulis ferreis, plumbo, ſtanno, zinco opacum redditum, cupro parumper, magis tamen ab antimonio crudo et cobalti regulo tinctum eſſet; calces vero metallicae omnes, quas quidem Cl. Auctor tentauit, cum illo ſale in ſcorias colerant, purpura mineralis quidem in carneas, luna cornea et calx antimonii in flauas, calx vismuthi in flaueſcentes, calx ſtanni et zinci in albas opacas, calx ferri in nigras: Excepta aluminis terra, quae, etiamſi cum tribus vel quatuor ſalis partibus fuſa, vix in ſuperficie aliquod cum ipſo inierat connubium, cum omnibus terris, niſi nimia, e. g. quadrupla, fuerit eius copia, in vitrum confluxit, ad chalybem ſcintillas elidens, et quidem cum magneſia alba, terra calcarea et vegetabili in vitrum plerumque flauum, cum dimidia parte terrae ſiliceae in vitrum clarum excolor, cum maiore eius copia, quemadmodum etiam cum tripla terrae oſſium copia, in maſſam porcellanae aemulam; ſi cum aequali poſterioris copia liquatum fuerit, ſuperior pars viret et pellucida, inferior nigra atque opaca eſt.

Exa-

p. 166. Examen chemicum partium pilos diuerſorum animalium conſtituentium: Examinauit Cl. Auctor lanam ouillam, ſetas porcinas, pilos humanos, equinos, caprillos, caninos et cuniculorum, cum aqua in vaſis apertis, et in digeſtore Papini cum iis cocta, cum alcalibus cauſticis et non cauſticis, cum acidis, quae vulgo audiunt, mineralibus cum ſpiritu vini, cum naphtha vitrioli, cum oleo terebinthinae atque amygdalarum, examinauit comburendo in cineres, et aucto paullatim igne diſtillando in vaſis clauſis. Pili, ſiue in vaſis apertis, ſiue in olla Papini cum aqua cocti, nullam ſui ponderis iacturam faciebant; in poſteriore tamen, ſi lanam ouillam excipias, quae pinguedine quadam ab efficacia aquae defendi viſa eſt, tenacitatem ſuam amiſerant, quam, pilis humanis exceptis, ſiccati non recuperabant, aquam etiam fuſco, rarius, quemadmodum lana, flauo colore, et gelatina quadam imbuerant, quae, expulſa per euaporationem aqua, remanebat. In cineribus omnium nullus erat ſal alcalinus, et ſi cineres pilorum caprillorum et ſetarum porcinarum excipias, qui aliquid, perparum tamen, ſalis communis continere videbantur, nullus plane ſal; libra lanae ouillae reliquit cinerum non niſi drachmas duas et grana 32, libra pilorum equinorum aeque ac caninorum tres drachmas cum 12 granis, pilorum caprillorum ſeſquidrachmam cum $\frac{2}{3}$ grani, pilorum humanorum drachmam cum granis 20, vitulinorum drachmas duas cum granis 40, ſetarum denique porcinarum drachmam cum granis 52. Cineres illi ex terra oſſium et pauca calcè ferri conſtabant: Diſtillationi ſiccae expoſiti pili plerique colliquabantur, et, diuerſa tamen proportione, omnes, relicto in fundo retortae carbone, praeter liquorem alcalinum volatilem atque oleum empyreumaticum, exhibebant ſalem ſiccum, ammo-

ammoniaci aemulum, in rhomboidales plerumque cryſtallos concreſcentem. Oleum, quod vocant, tartari per deliquium, etiamſi cum pilis bulliret, neutiquam tamen eos mutauit; calx viua, non lanae quidem et pilorum humanorum, reliquorum tamen et tenacitatem et flexilitatem fere penitus deſtruxerat; lixiuium cauſticum omnes in gelatinam conuertit, et quum agitabatur, aequabiliter diſſoluit; diſſoluebant etiam eodem modo acida mineralia, et, ſi quidem concentrata erant, nullo opus erat ad id perficiendum calore externo: In ſolutione pilorum humanorum, qui ſi nigri ſint, ab eius vaporibus primo rubent, tunc dealbantur, in ſpiritu nitri fumante facto cryſtallos exiguas aciculares concreſcentes conſpexit. Olea, ſpiritus vini, naphtha nullam pilis induxere mutationem.

Tractatus de coloribus plantarum, iam nouis actis Berolinenſibus anni 1778 inſertus, et potiſſimum Illuſtriſſ. Com. de MONROUX oppoſitus, qui colorem vegetabilium in vitris ex eorum cineribus confectis reſurgere ſibi aliisque perſuaſit. Neque in fuligine, ex vegetabilibus, dum comburuntur, exſurgente eorundem vegetabilium colorem animaduertit vnquam Clar. Auctor, neque in cineribus, quos in vaſis porcellanis extus luto munitis ex floribus papaueris rhoeados, et paeoniae officinalis ruberrimis, ex ligno fernambuci, ex radice anchuſae tinctoriae, ex floribus caeruleis centaureae cyani et violae odoratae, luteis calendulae officinalis, ex cortice cinchonae, et aeſculi hippocaſtani, ex radice curcumae vſſit, aut cum nitro (id quidem rarius) aut cum borace vſta, addito plerumque adhuc vitri albi tenerrimo polline, in catillo ex porcellana confecto in vitrum colliquatis obſeruauit; quicquid coloris in vitris iſtis notauit, iure meritoque a particulis ferreis omni cineri vegetabili inhae- p. 189.

haerentibus deriuat: Adiungit ſub finem duo experimenta, in quibus fundendo vitrum album cum nitro, nunc flauo, nunc caeruleo colore tinctum prodire, viderat; nos quidem id phaenomeni a magneſia nigra deducimus, qua hodienum rariſſime carent vitra alba, et quam phlogiſti maiori minoriue parte per nitrum priuatam aliis atque aliis coloribus ludere, SCHEELII et aliorum experimenta loquuntur.

p. 199. De mutationibus, quas calces metallicae, aut ſolae, aut aliae aliis binario vel ternario numero miſtae, igne fuſorio agitatae perpetiuntur: Deſcripta etiam haec proſtant experimenta in nouis actis Berolinenſibus anni 1779. Aequalem ſemper calcium copiam inter ſe miſcuit, et in omnibus experimentis vehementiſſimum furni anemii ignem per tres horas continuum adhibuit; calcem ferri, zinci et plumbi ex metallorum horum in aqua forti ſolutione per alcali, calcem wismuthi ex ſimili ſolutione per aquam ſimplicem praecipitauit, calcem cupri, cuprum cum ſulphure vrendo, calcem antimonii ſtannique metalla haec cum forti nitri acido coquendo obtinuit. Calx zinci et ſtanni ſeorſim igni expoſitae non fundebantur; neque miſta cupri calci ſtanni calx, aut miſta zinci vel wismuthi calci, vel zinci et ſtanni calci ſimul calx antimonii, aut cum wismuthi et zinci calce commiſta ferri calx, reliquarum miſtarum multae imperfectius, quas omnes recenſere nimis longum foret.

p. 213. De ratione inter preſſionem aëris in ſuperficiem liquorum et caloris gradum, quem bulliendo concipiunt, intercedente: Aquam omni quamuis aëre ſpoliatam bulliendo bullas protrudere, quibus veſicae frigidae, iis excipiendis adaptatae, nequaquam diſtendantur; neutiquam ergo eſſe aërem; preſſione atmoſphaerae manente eadem, nullum flui-

fluidum maiorem concipere calorem posse, sed in vapores abire; variata autem illa, alium atque alium: Vt hanc caloris, quem fluidum bulliens concipere potest, ad aëris pressionem rationem exactius determinaret, singulare excogitauit instrumentum, hic descriptum ac delineatum, et sic definitos in tabula sistit caloris, quem aqua et spiritus vini bullientes concipiunt, gradus, argenti viui in tubo vitreo altitudini respondentes: Constantia illius rationis motus Cl. Auctor suadet, vt altitudines locorum non barometro, sed thermometro mensurentur.

De connubio ferri cum cupro. Ferrum pu- p. 221.
rum absque interuentu alius corporis cum cupro nunquam colliquari, nisi parcissima vix sensibili copia; examinauit eapropter Cl. Auctor potiora, nobilibus tamen exceptis, metallica corpora; an in binis illis metallis coniungendis vinculi vices sustinere queant, et euentum 55 experimentorum, eum in finem alia atque alia ingredientium proportione seruata institutorum, in tabulam redactum sistit; arsenicum atque antimonii regulum optime huic scopo inseruire deprehendit, haec autem eum in finem adhibendo magis effecit, dum ferrum prius seorsim cum altero corpore commistum, tum demum cum cupri alia atque alia copia coniungere tentabat, et quid exinde impetrauerit, enarrat, et pariter in tabula sistit; vt tenacitatem etiam et ductilitatem determinaret, metallorum istorum compositorum parallelepipeda definiti voluminis ponderibus appensis et malleo examinauit; arsenici interuentu multo maiorem ferri copiam cupro vniri posse, quam quidem antimonii, expertus est.

De arsenico eiusque cum variis corporibus con- p. 233.
iunctione, commentatio prima, et ipsa nouis actis Berolinensibus anni 1781 vna cum quinque proxime

me ſequentibus inſerta. Arſenicum album cum ſtanni, plumbi, zinci, wismuthi, reguli antimonii, antimonii crudi aequali copia diſtillauit, et addita ſingulis eius drachmis cinerum clauellatorum ſesquidrachma cum platinae, cupri, ferri fuſi, plumbi, ſtanni, wismuthi, reguli antimonii, et zinci aequali copia in haſſiaco catillo fudit; wismuthum ex his ſolum ab arſenici conſortio incolume perſtitit; quid in platinam efficiat, ex annalibus chemicis Clar. CRELLII iam conſtat; reliquis metallis, ſi praeſertim cum illis diſtillatur, ſuum rapit, certe ex parte, phlogiſton, et reguli formam ſibi ſumit; cum antimonii crudi ſulphure partim in citrinum, partim in rubrum abierat arſenicum.

p. 246. De eadem materia commentatio altera. Tentat Cl. Auctor arſenicum primo deſtillando cum aequali argenti, argenti viui, ferri, cupri, et reguli cobalti, tum, pariter diſtillando cum aequali calcis ſtanni, minii, ferri per acetum corroſi, cupri ab vſtione aeris viridis cryſtalliſati reſidui, florum zinci, calcis wismuthi, antimonii, vti quidem audit, diaphoretici, antimonii igne per ſe calcinati, cobalti ſaxonici fortiſſimo igne exuſti, olei vitrioli, ſalis Glauberi, tartari vitriolati, ſalis armoniaci ſecreti Glauberi, ſelenitae, aluminis et ſalis amari copia: Argentum atque argentum viuum et cobalti regulus non erant mutata; cuprum autem, magis adhuc ferrum parte ſui phlogiſti orbata, ab ipſa adeo ſtanni, ferri, cupri, zinci, wismuthi, antimonii calce pars arſenici reguli formam erat adepta; calx cobalti non erat mutata; maximopere autem calx wismuthi ac minium. Ex ſalibus vitriolicis nihil expulit acidi arſenicum, licet vaſa, dum aperiebantur, acidum ſalis communis magnopere redolerent.

De

De eadem materia commentatio tertia. Calces p. 255.
metallicas prius cum arſenico colliquatas facili opera fluxus nigri ope in ſtatum metallicum reduxit Cl. Auctor; difficilius ſtanni calcem, nequaquam antimonium diaphoreticum. Porro arſenicum cum aequali arenae puriſſimae, cretae, magneſiae albae, terrae aluminis, fluoris mineralis, argillae, nitri vulgaris, cubici et ſemiuolatilis, ſalis communis, ſalis febrifugi Syluii, ammoniaci, ſedatiui, boracis vſtae, acidi ex oſſibus extracti, et phoſphori, cum tripla acidi nitroſi, ſalini, et formicarum et cum quadrupla aceti concentrati copia deſtillauit: Quod de terra ſilicea in retorta remanſerat, in ſuperficie, elegantium, mere tamen terrearum, cryſtallorum formam prae ſe tulit; ceterum neque haec, neque reliquae terrae ab ea deſtillatione mutatae, neque ex fluore minerali expulſum acidum: Nitri, non perinde ſalis communis vel aceti vel formicarum acidum maximae arſenici parti volatilem indolem ademerat (eo quod nunc acidum arſenici certe ex parte erat): Nec phoſphorus mutationem induxit aut paſſus eſt ab arſenico.

De emphyſemate artificiali, per varias aëris p. 266.
ſpecies producto. In auibus id commodi afferre, vt citius et melius ſaginari queant, Clar. Auctor ipſe expertus eſt; a mangonibus non raro adhiberi eam fraudem, vt equis macilentis meliorem dent formam, latuiſſe eum videtur. GALLANDATI, qui et Guineenſium modum, eo artificio arthritidem et rheumatismos ſanandi, deſcripſit, et ipſe in animalibus pericula fecit, exemplum ſecutus Cl. Auctor canibus, gallinis et pullis gallinaceis, perdicibus, columbis, ranis, coturnicibus, fringillis aliam atque aliam aëris, praeſertim communis, tum etiam dephlogiſticati, nitroſi, fixi atque inflammabilis copiam in telam celluloſam iniecit, et quae

tam animalibus, quam aëri, mutationes obtigerint, enarrat; in canibus maſculis aërem per omne corpus diffundere non potuit, facilius etiam in auibus ſylueſtribus, quam quidem in cicuratis; aër nitroſus inflatus breui necabat animalia, quod ab aëre communi, dephlogiſticato, fixo, atque inflammabili nequaquam accidit, quamuis poſteriore referta animalia, forſan eo quod tardius reſorberetur, per aliquot dies vigorem priſtinum exuiſſent; aër tum communis, tum dephlogiſticatus, phlogiſticati atque aëre fixo inquinati ab animali redibant; nitroſus, quum ex tela celluloſa rediret, et communi miſceretur, volumen eius multo minus imminuebat; aër inflammabilis ſuam aliquando inflammabilitatem perdiderat: ſuadet Cl. Auctor, loco aliorum modorum, aërem fixum adminiſtrandi, eum telae celluloſae iniici, et quum ſuſpicetur, cauſſam malorum arthriticorum extra circulum humorum verſari, et forſan cauſticae (ſed an etiam alcalinae) indolis eſſe, his in malis potiſſimum adhiberi.

p. 283. Tractatus, deſcriptionem aliorum vario ſcopo inſtitutorum experimentorum electricorum continens: Prima eius ſectione explorat Cl. Auctor, an, dum inflammatur materies electrica, acidum aliquod, quemadmodum ex ſulphure aut phoſphoro ardente, extricetur; ſed, quamuis per tincturam heliotropii tubo vitreo contentam, 2000 ſcintillas electricas, per alcali volatile 4000 traiiceret, illa tamen non erubuit, nec hoc in ſal neutrum abiit; procliuis ergo eſt in eam ſententiam, quae fluidum electricum pro mero phlogiſto habet, quamuis numeroſiſſimis ſcintillis ſal Glauberi ſicciſſimum decomponere non potuerit (et, liceat addere, argumentum illud, a reductione calcium metallicarum petitum, ab Academicis Lutetienſibus ſatis ſuperque refutatum ſit, et nitri etiam candentis per ſcintillas

tillas electricas in ſtatum alcalinum tranſitus ſua adhuc dubia admittat). Secunda ſectione nonnulli effectus electricitatis poſitiuae et negatiuae inter ſe comparantur; iidem certe erant in vectem, quem appellant, electricum, in germinationem ſeminum, in oua bombycum, in aquam exhalantem vtriusque effectus, vt Clar. Auctor coniiciat, in repulſione particularum corporum electriſatorum, quae deſtructum materiae electricae in variis corporibus aequilibrium ſequitur, phaenomenorum illorum latere cauſſam, et duo experimenta narrat, pro ea opinione militantia. Tertia ſectione experimentis monſtratur, quantam vim in acceleranda tum putredine tum fermentatione habeat ictus electricus, et ex iis phaenomena coelo tempeſtatibus grauido in carnibus et liquoribus in fermentationem pronis toties obuia, nec non velox animalium fulmine necatorum in putredinem tranſitus explicantur. Tandem duobus experimentis oſtenditur, aërem, dum materia electrica impraegnatur, non phlogiſticari, et ſiue impraegnetur, ſiue ſpoljetur, nullam eius elaterem ſubire mutationem.

De effectu ſuffumigiorum in aërem commu- p. 296.
nem. Aërem, alcali volatili grauidum, qualis eſt aër cloacarum, quamuis multum phlogiſticatum, multum abſorberi ab aëre nitroſo: Candenti ferro tripodi in media aqua poſito innitenti, et poſtea campana vitrea contecto inſperſit, ita tamen, vt ne in flammam exardeſcerent, ſuffumigia; qualia ſunt baccae iuniperi, ſtyrax, myrrha, flores roſarum et lauendulae, candelae, nec non puluis fumalis, maſtix, thus, benzoë, gummi, quod vocant ſandarach, ladanum, radix ireos florentinae, caryophylli aromatici, ſuccinum, ſemen coriandri, herba roris marini, et tabaci, cortices caſcarillae et canellae albae, lignum rhodium et puluis pyrius; exami-

nauit etiam aërem aceti, ſpiritusque vini bullientium, nec non alcali volatilis vaporibus grauidum, et vidit, omnibus quidem phlogiſticari aërem, nullo tamen eorum adeo, vt periculoſus hominibus fiat eius aëris vſus; minus, quam a reliquis, phlogiſticari a reſinis ardentibus, maxime inſontes eſſe aceti vapores; periculum tamen vtique intentari, ſi corpora illa in viuas flammas erumpant; aërem ipſum iſtis ſuffumigiis humidiorem potius reddi, quam exſiccari; fumo ipſo inhalato columbae non peribant.

p. 307. De dephlogiſticatione aëris phlogiſticati. Haec quoque commentatio in nouis actis Berolinenſibus, et quidem anni 1778 iam legitur. Partem corporum in vapores eleuatorum reuera aëre ſolui, qui, quemadmodum alia menſtrua, exinde alteretur, et non niſi definitam aliorum corporum copiam diſſolvat: Aërem dephlogiſticatum phlogiſto onuſtum in phlogiſticatum abire; acidis difficillime vniri (procul dubio, quoniam eo iam ſaturata ſunt) niſi interuentu phlogiſti, cui inter omnia corpora quam proxime adfinis ſit; aërem nitroſum non eſſe, niſi nitri acidum, interuentu phlogiſti aëri illi iunctum, inflammabilem conſtare ex eodem, ex acido atque ex phlogiſto, ita tamen, vt in hoc phlogiſton arctius nubat acido, quam quidem aëri; acidum aëris fixi ſui generis, et reliquis acidis omnibus magis adfine eſſe aëri; aërem atmoſphaericum poris tantummodo corporum innidulari: Ex calcibus metallicis per acidum nitri extorqueri aërem fixum (ſi igne vſtae fuerint et recentes, etiam dephlogiſticatum): Traiiciendo per nitrum fuſum ope inſtrumenti, cuius deſcriptio absque delineatione luculenta exhiberi vix poteſt, aërem phlogiſticatum et fixum in dephlogiſticatum conuertit.

De

De menſura puritatis aëris vna cum deſcri- p. 519.
ptione duorum nouorum eudiometrorum commentarius, nouis actis Berolinenſibus eiusdem anni inſertus. Aëris vſum in reſpiratione non eſſe eſſentialem eius virtutem, euaneſcere enim poſſe, quamvis aër maneat aër: Non ſolo phlogiſto aërem hominibus lethalem fieri; eius tamen in aëre communi copiae detegendae ſolummodo inſeruire eudiometra, quale, et quidem portatile, facilius-que aliis adhibendum, ceterum, quemadmodum reliqua, illa aëris nitroſi facultate, volumen aëris puri imminuendi, nitens, primo deſcribit et delineat Cl. Auctor, tum, quoniam aër nitroſus ſibi raro ſimilis ſit (quomodo hoc incommodum tolli queat, docuerunt Cl. WENZEL et Ill. INGENHOUS) aliud, in quo ex maiore vel minore voluminis per phlogiſton phoſphori ardentis diminutione bonitas aëris diiudicatur.

De mutationibus, quas metalla, calces metal- p. 332.
licae, terrae ſimplices, et ſalia a fluoris mineralis volatili terra in igne fuſorio experiuntur; hic etiam libellus iam in nouis actis Berolinenſibus anni 1779 proſtat. Miramur, nunc adhuc Clar. Auctorem terram appellare malle, quod, tot conſentientibus experimentis, non eſt, niſi acidum ſui generis, et quidem, vti plerumque obtinetur, terra vitri ſilicea inquinatum, quam ſecum volatilem reddidit: Ferro excepto reliqua metalla, cum quibus in igne fundebatur, neque inferebant illi, neque ſubibant aliquam mutationem; cobalti tamen regulus caeruleo tinctu perfuderat, et antimonii hinc inde rubicundo, vitrum in quod abierat; numeroſa experimenta, quae cum terris ſimplicibus, calcibus metallicis, ſalibus variis, alia atque alia proportione cum ſua terra inſtituit Auctor, in tabulas redegit; vniebatur fluxu, optime

quidem et varia proportione cum terra calcarea, facile etiam cum ſiliceae minore, et cum ipſius magneſiae albae et terrae aluminaris dimidia copia, facillime cum calcibus metallorum, non tamen cum omnibus in perfectum vitrum, et cum ſalibus, inter quae alcalia fixa, ſalem ſedatiuum, et Glauberi, tartarum vitriolatum, ſeleniten, nitrum vulgare et cubicum, ſal commune et Syluii febrifugum, ſal ammoniacum fixum, et boracem tentauit: Facile etiam et ipſa, dum colliquata refrigeſcit, cryſtallorum formam adſciſcit, et alia, cum quibus funditur, vt eandem adſumant, diſponit.

p. 350. Experimenta de conuerſione terrae vegetabilis atque animalis, alia atque alia proportione cum calcibus metallicis colliquatae in vitrum, iam in nouis actis Berolinenſibus anni 1779 recenſita. Terra vegetabilis, id eſt, ea, quae ex cineribus vegetabilium, iterato aqua ebulliente elixatis, ſupereſt, acido nitri ſoluta, et per ſal tartari aqua ſolutum iterum praecipitata, aeque ac terra animalis, e. g. oſſa ad albedinem vſta, nitri acido ſoluta, et ex hoc acido per ſal tartari praecipitata, nulla alia materia addita fuſioni pertinaciſſime reſiſtunt; experimenta in parte furni, porcellanae fabricandae accommodati, ardentiſſima inſtituta hic, vt prius, in tabulas redacta ſunt, in quarum quinque columnis corpora, quae inter ſe miſta fuere; proportio eorum, productum fuſionis, color eius et duritiei indicantur; poſterior in omnibus terrae vegetabilis, et in plurimis terrae animalis connubiis talis erat, vt maſſa ad chalybem ſcintillaret; prior etiam cum calcibus plumbi, antimonii, wismuthi, et zinci plerumque in vitrum abiit, et tum his, tum aliis phaenominis magnam ſane cum terra calcarea ſimilitudinem oſtendit.

De conuerſione terrae ſiliceae, dum cum al- p. 358.
tera quadam terra et ſalibus ſimul in igne funditur, in vitrum: Numeroſiſſima etiam haec et multiplicata experimenta vna cum quatuor mox inſequentibus experimentorum ſeriebus, in nouis actis Berolinenſibus anni 1780 iam commemorata, in ſimiles tabulas redacta ſunt; inſtituta ſunt, non modo cum omnibus terris, quas Cl. Auctor ad ſimplices refert, ſed etiam cum multis ſalibus, e. g. ſale ſedatiuo, alcalibus fixis, etiam cauſticis, ſale Glauberi, ſelenite, nitro vulgari et cubico, ſale culinari, et ammoniaco tum vulgari, tum fixo, borace, alia atque alia proportione additis.

Experimenta, per quae mutationes terrae ſili- p. 371.
ceae cum ſalibus igni fuſorio expoſitae determinantur, pariter in ſimiles tabulas redacta, iisdem fere ſalibus, quae prius iam dicta ſunt, ſali etiam febrifugo Syluii, ſingulis fere ſeptem diuerſis proportionibus miſtam terram per tres horas continuas igni vehementiſſimo furni anemii expoſuit, et cum plurimis certe vitrum, aut vitri ſimilem maſſam obtinuit.

Experimenta de conuerſione terrae ſiliceae mul- p. 379.
tiplici modo et alia atque alia proportione cum reliquis terris ſimplicibus commiſtae in vitrum, pariter in tabulas redacta, quarum prior euentum fuſionis cum vna ex reliquis terris, altera cum duabus, tertia cum tribus factae ſiſtit, quae priori tabula continentur miſtiones, ſeptem, quae altera, 21, quae tertia, 57 diuerſis proportionibus factae ſunt; priorum et ſimplicium illarum miſtionum nulla exhibuit vitrum; plures tamen alterius tabulae, in quibus aut terra calcarea aut magneſia alba aut vtraque dominabatur terrae ſiliceae, vix vnica earum, in quibus terra aluminis partem efficiebat, longe plures adhuc tertiae tabulae.

p. 396. Experimenta de conuerſione terrae vegetabilis ſalibus miſtae in vitrum, quorum euentus pariter in tabula ſiſtitur. Fudit terram iſtam cum ſale tartari vulgari et cauſtico, alcali minerali, ſale ſedatiuo, et mirabili Glauberi, tartaro vitriolato, ſelenite, nitro vulgari et cubico, borace, ſale culinari, digeſtiuo Syluii, atque ammoniaco fixo, ſingula tribus diuerſis proportionibus intermiſcendo, per tres horas continuas in furno anemio, Pottiani ſimili, eaque ratione ex plurimis earum miſtionum vitrum impetrauit.

p. 400. De conuerſione terrae aluminis cum ſalibus, alia atque alia ſed nota proportione additis, fuſae in vitrum: Et haec experimenta, nouis pariter actis Berolinenſibus anni 1780 inſerta, eodem pacto, et iisdem, quibus priora, cum ſalibus, etiam cum vitrioli acido, inſtituta, et ſimiliter tabulae forma oblata ſunt, verum vitrum nunquam generauit niſi tres vel quatuor boracis partes adiiciendo; fudit tamen terram iſtam, adiecta tripla aut quadrupla acidi vitriolici, vel ſelenitae copia, et fuſionis veſtigia reperit in terra cum quatuor alcali cauſtici aut mineralis aut nitri cubici, cum 2-4 ſalis ſedatiui, cum duabus ſalis communis, cum 3-4 partibus et adeo cum aequali copia ſalis Glauberi igni expoſita.

p. 407. Experimenta de effectu ignis fuſorii in terram calcaream, alia atque alia eaque nota proportione cum terra aluminis, et ſalibus, cum magneſia alba et ſalibus, cum terra aluminis, magneſia alba et ſalibus coniunctam. Numeroſiſſima etiam haec et multiplici modo variata experimenta, quae Cl. Auctor primo in nouis actis Berolinenſibus anni 1781 cum orbe litterato communicauit, eadem, qua priora, ratione et inſtituta ſunt et deſcripta. Niſi certe aluminis terra exiguam ratione reliquorum

rum ingredientium efficeret portionem, nunquam obtinuit verum vitrum, excepto vno experimento, in quo eius terrae tres partes cum vna parte terrae calcareae, et duabus boracis vſtae fuderat; vitrum tamen adeo molle erat, vt chalybs nullas ex eo ſcintillas elideret: Frequentiſſime autem exhibuit vitrum terra calcarea cum magneſia alba et ſalibus igni expoſita, ſiue terra aluminis addita fuerit, ſiue non.

Experimenta effectum ignis in terram calcaream alia atque alia proportione terrae aluminis et magneſiae albae miſtam determinantia. Haec experimenta vna cum duabus mox inſequentibus experimentorum ſeriebus in nouis actis Berolinenſibus anni 1780 enarrauit Cl. Auctor, eaque quidem ita inſtituit, vt vaſa in regione calidiſſima furni, in quo porcellana coquitur, tamdiu poſuerit, quamdiu porcellana ipſa in furno manet, cum tertia parte terrae aluminis, aut magneſiae albae, etiam cum poſterioris dimidia aut quarta parte vitrum exhibuit ad chalybem ſcintillans. p. 440.

De conuerſione terrae calcareae alia atque alia ſed nota proportione cum ſalibus commiſtae in vitrum: Haec experimenta ſimiliter in tabula exhibita in furno Pottiani aemulo ita inſtituta ſunt, vt miſturae illae per tres horas continuas violentiſſimum experirentur ignem, quem operandi modum Cl. Auctor etiam in ſequenti mox experimentorum ſerie ſecutus eſt: Salia, quae Cl. Auctor tentauit, eadem ſunt, quae iam ſaepius diximus; cum ſale ſedatiuo, mirabili Glauberi, ſelenite, borace, nitro cubico, ſale communi, febrifugo Syluii, cum ſalis ammoniaci fixi dimidia, cum nitri vulgaris dupla copia in vitrum abiit, plerumque ad chalybem ſcintillas elidens. p. 444.

p. 451. De fusibilitate terrae vegetabilis cum aliis terris simplicibus commistae: Cum terra calcarea et magnesia alba (vtique in catillis ex argilla confectis) frequentius, rarius cum terra aluminis in vitrum abiit, nisi alia iam nominata terra, aut, quam vocat Cl. Auctor, terra spati volatilis, aut plures earum simul accesserint; etiam cum aequali terrae animalis aut magnesiae albae copia in vitrum confluxit.

p. 456. Experimenta de effectu ignis fusorii in misturus terrarum simplicium cum calcibus metallorum imperfectorum et semimetallorum, nouis et illa actis Berolinensibus anni 1779 inserta, numerosissima et multiplici modo variata, in calidissima furni, in quo porcellana coquitur, parte instituta, euentu eorum in quatuor tabulas redacto, quarum prima experimenta cum terra silicea, altera cum terra calcarea, tertia cum terra aluminis, quarta cum magnesia alba instituta sistit. Cum singulis terris nunc cum aequali, nunc cum dupla, nunc cum tripla, nunc cum quadrupla calcis metallicae copia, nunc cum media, nunc cum tertia, nunc cum quarta parte eius miscuit, et in prodromo refert, quomodo et terras illas, et calces metallicas (quas tamen an suo modo penitus puras ab acido soluente et sale praecipitante liberas obtinuerit, adhuc dubitamus) sibi purissimas comparauerit, terram siliceam quidem praecipitando ex liquore silicum. In verum vitrum non abiit terra aluminis, cuicunque calci metallicae mista nec magnesia alba, nec ipsa terra silicea, nisi cum plumbi aut antimonii calce, aut cum quadrupla calcis stanni copia igni exposita, calcarea etiam cum wismuthi et zinci calce, et qualibet fere calcis stanni copia.

IV.

IV.

Oſſervazioni circa il flogiſto e le differenti ſpecie d'aria ſecondo le moderne ſcoperte di ANTON. BUCCI, Prof. pubbl. di filoſofia in Faenca, in Pavia. 8. p. 74.

i. e.

Obſeruationes de phlogiſto et diuerſis aëris ſpeciebus ſecundum recentiora inuenta.

Congeſſit vtique, bonum in ordinem digeſſit, et dilucido ſermone explicat, quae recentius in ea doctrinae phyſicae parte facta ſunt atque inventa, Cl. Auctor, ita quidem, vt primo de phlogiſto agat, quid ſit, quid agat, ex ſententia principum noſtri aeui phyſicorum, STAHLII, CRAWFORDII et aliorum, tum quouſque cum aëre, vt nudit, inflammabili conueniat, ex obſeruationibus PRIESTLEYI, FRANKLINI, VOLTAE, LASSONII exponat (in eo inſcius ad Ill. KIRWAN accedens, vt tamen phlogiſton adhaerere tantummodo fluido huic elaſtico aſſerat). p. 5.

§. II. De aëris ſpeciebus acidis: Primo quidem de aëre acido vitriolico, quomodo naſcatur, nunquam absque phlogiſto, quemadmodum idem valet de aëre ſalino et alcalino: Aër nitroſus, et ſpati. p. 21.

§. III. De aëre fixo et phlogiſticato; quod priorem ſpectat, Cl. Auctor ſequitur BERGMANUM; corpora, quae eum continent; modi, quibus natura atque ars eum extricant, media, quibus adeſſe cognoſcitur. Notae aëris phlogiſticati, effectus eius in vegetabilia, modi, quibus reddi innoxius poteſt; diſcrimen eius ab aëre fixo, quod Cl. Auctor rectiſſime in diuerſo phlogiſti adhaerendi p. 28.

rendi modo et maiore eius copia ponit, eamque ſententiam obſeruationibus Clar. Virorum adſtruere conatur.

p. 37. §. IV. de aëre nitroſo atque inflammabili agit: Ratio, quare cum aëre puro in minus volumen contrahatur; applicatio eius phaenomeni ad doctrinam de eudiometris. De aëre alcalino. Comparatio efferueſcentiae cum inflammatione. Theoria combuſtionis.

p. 47. §. V. aërem dephlogiſticatum tractat: Ex quibus corporibus obtineri facili opera poſſit: PRIESTLEYI et LAVOISIERI de eius cognitione merita; eius in acidis fere omnibus praeſentia.

p. 51. Adiectus eſt §. VI. de calore, in quo Celeb. CRAWFORDII theoria ſatis ſcite proponitur.

V.

Oſſervazioni del Nob. Sig. co. LUIGI TORRI Veroneſe, ſopra l'acqua bozzola o ſia fruſa, conſiderata da molti venefica alle piante.

i. e.

Obſeruationes ſpectantes aquam apud Italos bozzola ſiue fruſa, a multis exitialem ſtirpibus habitam, auctore LUDOVICO TORRI. Veronae. 1782. 8. p. 23.

Eſt illa aqua, quae in fabricis, in quas ex oliuis extortum oleum primo effunditur, infra oleum natat, obſcure flaua, tum oleoſis, tum terrenis particulis onuſta, ab aliis ad impinguandum ſolum, et promouendum plantarum incrementum apprime commendata, ab aliis tanquam lethalis ſtirpibus reiecta: In priorem ſententiam inclinans Generoſ. Auctor militantia pro ea profert argumenta; nullum

dum ineſſe huic aquae principium, a quo tanta mala poſſis metuere; abundantia vtique nocere poſſe; ſed id incommodi commune habere cum aliis ad impinguandum ſolum adhibitis corporibus; aliis ſoli generibus alia conducere, alia obeſſe: Parca copia adhibitam, aliis aquis atque abſorbentibus terris miſtam, hanc aquam omnino prodeſſe, eo exoptatiorem, quod Veronenſis regio id genus corporibus indigeat, abundare hanc aquam principiis vegetationi proficuis, quorum tamen proportio definiri ſatis exacte nequeat. Cur larga manu et recens adfuſa arboribus aliisque plantis damnum inferat; oleum nempe aëri et ſuccis nutritiis, qui debebant ingredi, praecludere introitum, halitibus exituris egreſſum; accedere noxas ab acido, ſalibus, et phlogiſto huic aquae inhaerentibus metuendas; oleum enim ex oliuis expreſſum magis ſcatere acido, quam oleum ex amygdalis aut ſemine lini extortum; ſuperare prius acidi copia quinquies maiore, et poſterius in ea ratione = 11 : 4; quinquies etiam ſuperare phlogiſti copia amygdalarum oleum, et lini oleum ea ratione = 17 : 16; ob arctius acidi cum phlogiſto vinculum, et parciorem aquam oliuarum oleum aliis oleis tardius rancescere; rancescere autem facilius illam aquam bozzola, nocentiſſimam, dum recens eſt, plantis eximie prodeſſe, vt primum in rancorem abeat, eodem modo, quo amurca iam a VARRONE commendata ſit. Multa exempla feliciſſimi ſucceſſus, quem eius in terra impinguanda vſus habuit, ad lacum Comenſem, in agro Veronenſi et alio; eum in finem per hiemem aëri libero exponi, et vere pratis inſpergi; moris etiam egregie proficere, non perinde vitibus, his tamen pariter accommodari facile ita poſſe, vt laetius creſcant; ſuadet miſcendam ſub auſpiciis hiemis in foueis cum argilla,

gilla, calce aut gypso vsto, aut cineribus temperata, et per hiemem in illis conseruandam.

VI.

Essai sur les eaux thermales de Balaruc, où l'on assigne leurs vertus, la maniere dont on employe les preparations, necessaires avant leur vsage, et les maladies auxquelles elles sont utiles.

i. e.

Tentamen de thermis Balarucensibus, in quo earum virtutes, modus, quo adhibentur, necessariae ad earum vsum praeparationes, et morbi, quibus prosunt, definiuntur. Monspelii apud Rigaud et Pons. 1783. 8. p. 75.

Distat pagus, prope quem thermae illae scaturiunt, Monspelio tredecim circiter milliaribus (procul dubio gallicis): Analysin chemicam infidam esse, et igne multoties natiua aquarum principia immutari; exhibere autem has thermas lenta exhalatione sat multum salis marini, terram absorbentem, forma squamarum minutarum delabentem, et parum selenitae; continere etiam principium volatile siue gaz, quod si auolet, et auolare, si transportatur, facillime, principem virtutem perire: (Quodsi haec analyseos chemicae nomen mereri Auctori visa fuerint, non miramur profecto, Illum, examini chemico id, quod prius diximus, ferre iudicium): Thermas istas esse purgantes, stomachicas, aperitiuas, stimulantes, sedantes, detergentes, et epuloticas. Thermae illae tum potantur, tum bal-

balneorum, ſtillicidiorum, vaporum forma adhibentur; adſunt etiam balnea terrea. Potu digeſtionis vitia, faſtidium cibi, colicam ventriculi, acceſſum febris, icterum, chloroſin, viſcerum abdominis obſtructiones, vertiginem, hemicraniam, inveteratos capitis dolores, malum caducum, paralyſin, apoplexiam, balneo, alio atque alio modo adhibito, ſexcenta alia ſanari mala, praedicare, et exemplis nonnullis in medium productis confirmare non dubitat Auctor.

VII.

Mémoire ſur l'air inflammable tiré de differentes ſubſtances.

i. e.

Tractatus de aëre inflammabili, ex diuerſis corporibus extracto, editus a MINKELERS Profeſſore philoſophiae in collegio falconis vniuerſitatis Louanienſis. Lovanii. 1784. 8. p. 49.

Vt faciliorem inueniret, hunc aërem impetrandi, eumque minus ſumtuoſum modum, numeroſa examinauit corpora, ignis praeſertim vi aërem hunc inflammabilem ex iis extricando, cuius alias atque alias dotes, inflammabilitatis potiſſimum et puritatis gradum ac pondus ſpecificum, indagauit atque definiuit, eius laboris ſocios ſibi adiungens Clar. Viros THYCSAERT et VAN BOCHAUTE, Celeb. Auctor. Corpora, ex quibus aërem illum expulit, immiſit tubo bombardae ita, vt, quod ab altera parte vacuum ſupereſſet, arena denſe compacta repleret, orificio tubum alium agglutinando, qui in aquam immergebatur, eam autem bom-

bombardae partem, quae corpus illud continebat, ignis violentiae exponendo, vſque dum canderet; quando corpora illa fluidae aut facile liquabilis erant indolis, arenam ſiccam aut vitrum contuſum intermiſcuit.

Vt aëris pondus ſpecificum determinaret, globum vitreum (Ballon) leuiſſimum, diametro 30 pollicibus aequali primo aëre communi repletum exactiſſime ponderabat, tum antliae pneumaticae auxilio aëre iſto ſpoliatum, iterum denique, poſtquam aëre, in cuius pondus ſpecificum inquirebat, refertus erat: Prima fecit pericula cum ſtramine et lana pingui; aëris, qui ex illo ignis vi prodiit, poſtquam per aquam tranſiendo lotus erat, comparatum cum pondere aëris communis pondus aequabat 48: 71, huius vero 41: 64; eius, qui ex lana, pinguedine ſua exuta, extricabatur 44: 71; eius, qui ex oſſibus ouium, ligno quercus et fagi, carbone lignorum, fuligine caminorum, et molybdaena extorquebatur, vix 30: 50: Ex lithanthrace autem, quem, etſi pyritae nihil in eo conſpicuum ſit, ſulphur tamen continere ſibi perſuadet Cl. Auctor in puluerem contuſo et celeriter et multum aëris inflammabilis obtinuit, cuius pondus ſpecificum, comparatum cum pondere ſpecifico aëris communis, aequabat 1: 4, facilius adhuc et aërem minus ponderoſum ex lithanthrace macro, quam ex pingui, ita vt aequaret 15: 64, qui aquam calcis recentem, cum qua concutiebatur, nequaquam mutabat, neque ab ea mutabatur, quando tamen lento igne vtebatur Cl. Auctor, et minori copia, et magis ponderoſus ita, vt aequaret 10: 31, et minus inflammabilis prodibat aër; poſteriori enim, vt ſcintillae electricae ope accendatur, tribus cum dimidia partibus, ſi ad volumen reſpicias, opus erat, et maximum voluminis decrementum, quod ſua cum

ſeptem

ſeptem partibus aëris communis inflammatione produxit, aequabat $\frac{35}{28}$ voluminis, quo aër inflammabilis ante commixtionem comprehendebatur. Quo ſerius tamen igne lento prodibat aër, eo minus ponderoſum, eo magis inflammabilem ſe exhibebat.

Aër ex ſpiritu vini, modo ab Ill. PRIESTLEY praemonſtrato, acquiſitus, multum quidem ſui voluminis perdidit, dum per aquam calcis tranſibat, eam tamen non turbauit; ponderoſior erat eo, quem naphtha vitrioli exhibuit, et vterque ponderoſior illo, quem carbo foſſilis ſubminiſtrauerat: Etiam ex pice, reſinis variis, ſaccharo, terebinthinae oleo, camphora expulit eum aërem, leuiſſimum inter haec ex camphora, et copioſiſſimum, aeque inflammabilem, ac ex carbone fiſſili, quem etiam largiebatur perinde inflammabilem benzoë et ſaccharum; pondere tamen ſuperabant omnes aërem ex carbone foſſili expulſum. Vncia dimidia florum ſulphuris eructauit aëris pollices cubicos vltra ſexaginta, cuius pars altera erat aër fixus, altera inflammabilis, ſatis tamen ponderoſus, ita vt pondus comparatum cum pondere aëris communis aequaret 44:69; vncia dimidia aſphalti 330 pollices cubicos aëris inflammabilis, nullo aëre fixo inquinati, minus tamen inflammabilis et magis ponderoſi, quam aër carbonis foſſilis (= 38:16); minus ponderoſi (31:38) dedit 540 pollices vncia dimidia ſuccini. Ceſpes bituminoſus aërem exhibebat aëre paludum quidem minus; ſed aëre carbonis foſſilis magis ponderoſum; minus ponderoſum et duplo copioſiorem, ex vncia ſcilicet 420 pollices cubicos hollandicus, quam quidem in Brabantia erutus. Cornu cerui aërem paulo magis inflammabilem et minus ponderoſum, quam alia oſſa; alcali volatile efferueſcens aërem, aëre quidem fixo foedatum, ſed, poſtquam ab hoc depuratus erat,

multum inflammabilem, ſatis tamen ponderoſum, ita vt pondus eius comparatum cum pondere aëris communis aequaret 36: 58.

Aër ex pinguedine veruecina, bouina, et balaenae, ex cera, et caeruleo Berolinenſi expulſus pondere ſpecifico prope accedebat ad eum, quem lana ſuggerebat; eminebat tamen pondere minore ille, qui ex pinguedine balaenae expulſus erat. Aër ex oleo ſeminum braſſicae (colſat) expulſus minus ponderoſus erat aëre, ex oleo oliuarum prodeunte, quem Cel. Auctor cum aëre paludum aequiparat, et minus ponderoſum aëre cerae albae et pinguedinis animalis inuenit. Gallae igni expoſitae plurimum largiuntur aërem fixum, qui ſub finem prodit inflammabilis, illi ſimilis eſt, quem lignum quercuum ſuppeditat. Si pondus reſpicias poſt aërem inflammabilem, per acida ex metallis expulſum, palmam tenere aërem carbonis foſſilis, praeripere illi etiam, quem ſcobs ferri aut zinci, vel puriſſima, igne torta largitur; puritate etiam ab aëre fixo praecedere aliis; experimenta etiam cum globis eo aëre repletis et in altum miſſis feliciſſimum ſortita ſunt euentum. Tabulis etiam adiectis Clar. Auctor vno quaſi intuitu lectoribus ſiſtit tum copiam aëris communis, qua ſingulis his aëris inflammabilis ſpeciebus opus erat, vt ſcintilla electrica accendi poſſent, tum voluminis decrementum, quod deflagrando in aëre communi produxerant.

VIII.

Dizionario di chimica del Sign. P. GIUS. MACQUER, tradotto dal Franceſe e corredato di note e di nuoui articoli da GIOV. ANT. SCOPOLI.

i. e.

Lexicon chemicum Dom. P. Ios. MACQUER ex gallico idiomate in italicum translatum, notis et nouis articulis inſtructum a I. ANT. SCOPOLI. Venet. 8. apud L. Baſeggio. 1784. T. I. a voce Acciajo ad Apiro p. 341. adiectam habet tabulam affinitatum chemicarum potiſſimum ex praeceptis T. BERGMANI. T. II. a voce Arcano corallino ad Aria ſpatica p. 395. T. III. a voce Arſenico ad Carbone p. 307. T. IV. a voce Cauſticita ad Farina p. 391. adnexas habet binas tabulas, menſtrua, et quae cum iis coëunt corpora, nec non quae ex hoc connubio oriuntur, illuſtrantes. T. V. a voce Farmacia ad Guaiaco p. 364. T. VI. a voce Idromale ad Metallina p. 384. T. VII. a voce Mica ad Platina p. 362. T. VIII. a voce Poluere ad Sangue degli animali p. 358. T. IX. a voce Sapone ad Terra calcarea p. 369. T. X. a voce Terra fogliata del tartaro ad Zuchero roſato p. 357. huic etiam nonnulla ad priora volumina pertinentia additamenta inſerta ſunt.

Quamuis vtiliſſimum Ill. MACQUERI opus, eaque, quam Clar. LEONHARDI vernaculo ſermone parauit, editio, lectoribus noſtris iamiam nota ſit, *) nulli tamen dubitamus, huius etiam iniicere mentionem, qua certe de chemia haud parum

*) Vid. comm. noſtr. Vol. XXV. p. 77. et Vol. XXVII. p. 292.

rum meruit Ill. Auctor: Non enim modo addidit et abunde congeſſit, quaecunque ab eo tempore, quo primam opus iſtud lucem conſpexit, noua ab Italis, Gallis, Anglis, Suecis, Germanis detecta atque inuenta, antiqua illuſtrata atque confirmata, dum in labore iſto verſabatur, ſunt; ſed pharmaceutica etiam adiunxit capita plura, ab Ill. MACQUERO praetermiſſa, et de quibus maiores ipſi habemus gratias, tum ſuas ipſius, tum Ill. VOLTAE obſeruationes atque experimenta, pleraque publici iuris nondum facta, quibus modum, metalla ex ſuis eliquandi mineris, praeſertim qualis in Stiria, Carinthia, Carniolia, comitatu Tirolenſi et Pannonia viget, theoriam caloris et coloris, doctrinam de aëre variisque eius ſpeciebus, circumſpectum eudiometrorum vſum, aliarum atque aliarum terrarum inter ſe miſtarum in igne habitum, cauſticam corporum indolem, decrementum voluminis et ponderis, quod nonnullae lignorum ſpecies patiuntur, dum in carbonem conuertuntur, tempus, quo iſti carboni opus eſt, vt in cineres abeat, copiam minii, cui reducendae par eſt, indolem phlogiſti, principii adſtringentis, gallis praeſertim inhaerentis, lactis, ſucci gaſtrici, mercurii ſublimati corroſiui albi et turpethi mineralis calcis, ex ſpato calcareo, teſtaceis oſſibus, lapidibus cancrorum, teſtis ouorum et cineribus impetratae diſcrimen, ignis in lauas, ſiue ſolas, ſiue adiecto fluore minerali et ſpato ſcintillante effectum, arſenici metallici cum aliis metallis, tam ignis, quam praecipitationis adminiculo, connubia, mercurii praecipitati rubri cinnabari adulterati manifeſtationem multum illuſtrat. Non mirum igitur eſt, multos hic comparare numeros, quos in opere primigenio fruſtra quaeſiueris, quales ſunt *Aphronitrum*, *Alcali phlogiſticatum*, *Amethyſtus*, *Asbeſtus*, *Baſaltes*, *Be-*

zoar

zoar, *Breccia*, *Emaculatorium* (*Lauamacchie*), *Calculus*, *Calor*, *Chamaeleon mineralis*, *Color*, *Emplaſtrum*, *Gemma*, *Gluten*, *Dealbare*, *Magneſia*, *Metamorphoſis*, *Aurum muſiuum*, *Syrupus*, *Species*, *Vegetabile*, *Zeolithus*. Inter media, quibus certiſſime detegi poſſit acidum; refert quoque chamaeleontem mineralem, quippe qui, teſte Cel. BINDHEIM, vel a debiliſſimo acido mox rubeſcat. Lithargyrio, ceruſſa, putrefactione alcali minerale ſecedere ex ſale culinari poſſe ſibi perſuadet Ill. SCOPOLI; nos autem, ſi vnquam perfecta fiat horum ope ſeparatio, de quo capta ab Ill. ACHARD experimenta dubitare nos ſinunt, eum potiorem putamus modum, quem nuper commendauit Cl. WESTRUMB. Neque cum argilla, neque cum quarzo in vitrum confluxit gypſum, confluxit tamen in vitrum modo magis, modo minus perfectum, addita calce. Phlogiſton ingredi omnes aëris ſpecies, quae reſpirari non poſſunt, ipſamque lucem ſolarem conflari ex igne puro, et principio ſalino a quocunque alio diuerſo; non eſſe idem cum aëre inflammabili, cuius ex ſententia Ill. VOLTAE experimentis ſuffultae aliae ſint atque aliae pondere ſpecifico, faciliori et celeriore aut difficiliore ac tardiore ope ſcintillae electricae inflammatione manifeſte diſcrepantes, ad eſſentiam neque acidorum, neque alcalium pertinere, a plantis ex aëre reſorberi, aërem ſalutarem aut in aërem fixum commutare, aut penitus deſtruere, in metallis aliud eſſe coagulans, aliud ſaturans. Malachiten eſſe calcem metallicam cupri feracem et terrae gypſeae iunctam. Spumam lupi videri ipſi ſpeciem ſchoerli aut baſaltae (quid ſit, certiora iam edocti ſumus *).

*) Vid. comm. noſtr. Vol. XXVII. p. 451.

IX.

I. B. CONST. A SCHOENEBECK tentamen de calore animali, accedunt I. G. LEIDENFROST ſuper pythagorico, mentem eſſe numerum, conſiderationes medicae. Duisburg. ad Rhen. 1783. 4. p. 115.

Multus eſt doctiſſimus et ſolertiſſimus Auctor in enarrandis fuſius atque excutiendis tum veterum tum recentiorum de calore animali atque eius origine et fonte, etiam de calore et igne generatim, ſententiis, et probabilem ſatis reddit eam, quam ſibi ſumit, opinionem, quae calorem illum a fermentationis quadam ſubtiliori ſpecie deduceit, quamuis cauſſas eius acceſſorias dari non neget.

X.

Anatomicarum Annotationum Liber ſecundus de Organo olfactus praecipuo deque neruis naſalibus interioribus e pari quinto neruorum cerebri, auctore ANTONIO SCARPA in Ticinenſi Archigymnaſio Anatomes et chirurgicarum Operationum Profeſſore, R. Scientiarum Acad. Berolinenſis, Caeſareo-Leopold. Natur. Curioſorum R. Medic. Pariſienſ. Societatis etc. etc. Sodali. Ticini 1785. 4. pag. 104. c. f.

Subiecit Cl. SCARPA, eruditiſſimus ſane atque diligentiſſimus noſtri temporis inciſor, ſuis diſquiſitionibus cerebra inprimis iuniorum hominum, eum in adultis cinereum bulbum plerumque opa-

cum

cum et cito diffluentem ſeque diſſoluentem inueniret.

Legimus autem in primo harum annotationum capite anatomen repetitam oſſis ethmoidei, in quo ſeries duas foraminum laminae cribroſae, alteram interiorem, alteram exteriorem indicat, ſicvti inter ipſas has duas ſeries rimam aliquam, quae inter ſummam et priorem narium caueam hiaret, conſpexit. Sic etiam canaliculos oſſis ethmoidei p. 6.
in tres diſtinguit claſſes: omnium breuiſſimi ſunt primae claſſis canaliculi, craſſitie laminae cribroſae vix altiores, finiuntur inter ſepti narium oſſei initium et ſummam radicem oſſium turbinatorum ſuperiorum, nec ingens eſt ipſorum numerus. Secundae claſſis canaliculi longiores, copioſiores prioribus ſunt et per ſeriem interiorem foraminum ad ſeptum deſcendunt, et tertiae claſſis tubuli ab exteriori foraminum ſerie proficiſcuntur, ipſisque ſubeſt turbinatorum oſſium ſuperiorum ſumma radix et origo. Nullus horum canaliculorum vel ad turbinatum inferius os vel ad ſinus ethmoidales protenditur. Alii duo ſemicanales ex apice poſtico p. 12.
turbinati medii oſſis obliqua directione ad anteriora vergunt, diſtinguendi a tubulis laminae ethmoideae, a qua originem omnino non ducunt, nec paris primi, ſed paris quinti neruos recipiunt. Sunt oſſa turbinata inferiora foraminibus non per- p. 13.
tuſa, ſed foueolis et prominentiis aſpera atque ſuperioribus firmiora; attamen in ſpongioſo inferiori duo canales, alius ſuperior et alius inferior, conſpiciuntur.

In capite ſecundo neruum olfactorium ab ipſius origine vſque ad laminam ethmoideam conſiderat. Vnicuique horum neruorum origo triplex eſt, me- p. 16.
dullaris duplex, et tertia cinerea; medullarium radicum altera externa eſt et longiſſima, interna al-

tera breuis. Longiſſima radix in foſſa Syluii maximam partem recondita e finibus lobi cerebri anterioris et poſterioris, breuis interna autem varie
p. 20. pro ſubiectorum diuerſitate emergit. Vidit quoque, longiori radici cineream lanuginem ſubeſſe, quae verſus Syluii foſſam proficiſcens medullari funiculo continua eſt. Mox deſcribit ſulcum in baſi cerebri, qui neruum olfactilem excipit et adhuc amplius aliorum recentiorum anatomicorum dicta et obſeruata quam accuratiſſime et ſedulo cum ſuis confert et comparat. Tertia denique radix cineritia ex colliculo cinereo enaſcitur, et prope nerui olfactorii extremum tertiae radicis cylindrus incipit primum complanari, dein lateſcit vel maxime, tandem findit ſe palmae ad modum in plures albas me-
p. 26. dullares ſtrias. Exhibet olfactilis neruus ſenſim lateſcens ſtriarum medullarium et cinerearum alternantium compagem; in ſenio autem ſenſim hic
p. 30. cinereus textus decreſcit. Porro papillarem proceſſum cum MALACARNIO pro ganglio habet, nec robore ſuo argumenta, quae huic demonſtrationi
p. 34. accommodat, deſtituuntur. Denique negat contra MONROUM, cauos eſſe brutorum neruos olfactiles, nec humanos nec brutorum neruos cum anteriori cerebri ventriculo communicare.

Tertium caput de nerui olfactorii ramis eorum-
p. 38. que per internas nares diſtributione habet. Emanant ex cinereo bulbo duae fibrillarum neruearum ſeries, interna alia, alia externa. In vno ordine quatuor, octo, decem adeo fibrillae conſpiciuntur, quae primum a ſe inuicem diuergunt, dein antrorſum contendunt a ſuperioribus inferiora verſus inclinatae. Interdum tres adeo diſtinctae fibril-
p. 43. lae per vnum foramen egrediuntur. Circumambit has fibrillas neruleas nerui olfactorii praeter textum cinereum, piam matrem et arachnoideam, dura

adhuc

adhuc adeo meninx. Rami internorum neruorum p. 45.
olfactoriorum per ſeptum deſcendentes filamenta
plura edunt penicilli ad modum ſoluta, et albae tae-
niolae ad inferiorem ſepti narium partem adeo de-
ſcendunt. Caetera filamenta verſus anteriora ſunt
inclinata, et omnium breuiſſima maxime ſunt poſte-
riora, arcuata, recurua, conuexitate ſinui ſphenoi-
deo obuerſa. His de varietatibus huius nerui quae-
dam addit. Externi autem olfactorii nerui inter p. 48.
initium ſepti et turbinata oſſa ſuperiora tranſeunt.
Copioſiores rami per turbinatum os ſupremum fe-
runtur, et qui in medio oſſe turbinato conſpiciun-
tur, omnium ſunt longiſſimi. Nullos nec gracil-
limos ſurculos e pari primo ad cellulas ethmoi-
deas procedere auctor eſt. Sic porro contendit, p. 52.
neque ad turbinata inferiora neque ad ſinus pitui-
tarios ſurculos neruorum deuenire. Spongioſa
enim oſſa inferiora non ob neruum olfactiſem, ſed
ideo adeſſe videntur, vt cauum narium anguſtent
ipſumque reſpirationi idoneum reddant.

De neruis naſalibus interioribus a pari quinto
neruorum cerebri caput quartum exponit. Redit p. 62.
nimirum naſalis neruus paris quinti in cranium, ad
priorem criſtae galli radicem, vbi ſub ſinu fron-
tali et ſupra cellulas ethmoideas ad narium ſum-
mam deſcendit et duos offert ramos, internum at-
que externum, quorum progreſſum accurate con-
ſiderat. Monet quoque contra MECKELIUM, ner-
vum hunc haud in organo olfactorio diſtribui ſur-
culosque palatinorum neruorum accuratiſſime per-
ſcrutatur.

In quinto capite neruus *naſo-palatinus*, quem p. 72.
iam ante SCARPAM Cel. COTTUNNI, ſicuti ipſe
auctor ſincere et aperte fatetur, inuenit, deſcribi-
tur. Oritur autem hic neruus ex ganglio ſphe-
nopalatino exque palatino neruo maiori, per fiſſu-

ram ſphenonaſalem nares poſticas ingreditur, deinceps ante ſinum ſphenoideum ſupra ſeptum ſe incuruat, inter perioſteum et membranam pituitariam ad ſepti oſſei narium anteriorem, et humiliorem ſedem prope ductus inciſiuos ad palatum pervenit. Mox deſcribit anteriorem et poſteriorem *ductum inciſiuum*, quorum vterque inter ductus Stenonianos et adeo interdum intra ipſos aperi-
p. 78. tur. *Nerui* vero *naſopalatini*, quorum vtrinque vnus eſt, inſula facta coaleſcunt. Vidit ipſum hunc neruum quoque in boue, equo, ſue, cane, fele, ipſumque craſſiſſimum in oue detexit.

p. 83. In ſexto denique capite rami neruorum naſalium poſteriorum inferiorum et palatinorum enumerantur, veluti ramus minor adſcendens, maior deſcendens, neruique ad palatum molle, leuatorem palati mollis, vuulam, tonſillam e. ſ p. progredientes. Adiectae icones ſane nitidiſſimae et ſumma cum diligentia confectae ſunt.

XI.

10. IACOBI HARTENKEIL M. D. Tractatus de veſicae vrinariae calculo. c. f. Bambergae et Wirceburgi. Sumtibus Tobiae Goebhardt. 1785. 4. pagg. 144.

In prioribus huius tractatus ſectionibus Cl. Auctor de ſede calculi, de diuiſione calculorum, de geneſi et analyſi chemica ipſorum praecipua, attamen nihil omnino noui protulit, ſi exceperis pauca aliqua experimenta, de quibus hic praecipua enar-
p. 14. rabimus. Deſtillatione vnciae vnius calculi maioris ſalem, qui alcalinus erat, obtinuit infuſique fernambuccani colorem rubrum cum violaceo commutavit, multusque aër fixus, ſpiritus alcalini grana LV.

olei

olei empyreumatici grana XIX prodierunt. Corpus mortuum maximam partem empyreumaticum drachmas tres et grana quinquaginta, carbo autem duas drachmas et triginta tria grana pondere aequavit. Reſidua parte dimidia calcinata, ad ſex grana et mox ad $\frac{1}{4}$ gr. ipſam euaporauit. Sic et aliorum calculorum calcinationes commemorat, quarum ope varia accepit reſidua, quia mox plures, mox pauciores particulae auolabant. Alia experimenta cum p. 20.
calculum ſoluentibus inſtituit. Sic ex 120 granis in aqua deſtillata duo grana calculi per quatuor dies ſoluta vidit, per aquam autem ebullientem ex 115 granis ſoluta ſunt grana quinque. Porro acido nitri ex drachmis duabus calculi puluerisati aëris fixi tantum, quantum requirebatur ad implendum ſpatium ſexaginta trium pollicum cubicorum Pariſienſium, obtinuit. Habet propterea quoque acidum p. 27.
nitroſum pro fortiſſimo menſtruo. Alcalina cauſtica non adeo valide, ſicuti acida, calculos ſoluunt.

Inter cyſtotomiae impedimenta enumerat atque p. 52.
nominat veſicae inflammationem, abſceſſum, vlcus, calculum praegrandem, veſicae carnoſitatem, calculum in appendice haerentem, calculi adhaeſionem, proſtatam abſceſſu excauatam, veſicam membrana intermedia diuiſam, veſicae herniam, prolapſum et ſcirrhum.

In octaua ſectione de variis calculum ſecandi p. 64.
viis, et in nona de methodo LE CATII in ſpecie ſermo eſt. Lithotomiam, quae duobus diuerſis p. 103.
temporibus inſtituitur, potius improbat, quam commendat, inprimis ſi ſectio ſecundum LE CAT inſtituta fuerit, quoniam ſecundum hanc methodum non ſatis magna inciſio relinquitur.

Ad calcem libelli leguntur obſeruationes quin- p. 105.
que ſectionum calculi a Cel. SIEBOLDO inſtitutarum, quae accurate atque ſedulo enarratae ſunt.

Ad-

Adiectae tabulae calculos varios, inſtrumenta, ſitum aegroti, chirurgi et ſodalium, et partes, per quas ſectio fit, exprimunt.

XII.

IANI BLEULAND, Medicinae Doctoris, Obſeruationes anatomico-medicae de ſana et morboſa oeſophagi ſtructura. c. f. Lugduni Batauorum apud Abrahamum et Ianum Honkoop. 1785. 4. pagg. 120.

Perhibet Cl. huius tractatus auctor, qui ipſum iam ſub forma diſputationis inauguralis ediderat, quique aliarum partium fabricam et morbos ſimili modo inueſtigare promittit, dyſphagiae morbum noſtris temporibus frequentius obuenire, ſeque ipſum ſaepius et plus vna vice huncce morbum obſeruaſſe.

p. 11. Primum autem caput oeſophagi deſcriptionem anatomicam et membranarum variarum ipſius exa-
p. 12. men exhibet. Credit, ſitum oeſophagi in viuo et erecto homine eum eſſe, qui reſpondeat illi parti aſperae arteriae, quae mollis eſt, vt cedat facile, quotiescunque bolus per oeſophagum tranſit, ideoque oeſophagum pone aſperam arteriam poſi-
p. 17. tum eſſe. Caret interna oeſophagi membrana arteriolis et neruis, duaeque ſunt arteriae oeſophageae, alia ſuperior, quae ex ſuperiore arteriarum intercoſtalium oritur, atque alia ex diaphragmatica exſurgens.

p. 31. In ſecundo capite generalis dyſphagiae deſcriptio legitur et tertium caput de cauſis habet. Favet nimirum glandularis ſtructura prae caeteris huius morbi origini, et gignuntur in his partibus intume-

tumeſcentiae, indurationes, tubercula e. ſ. p. quam facillime. Ad cauſas proëgumenas refert cacochymias quoque, veluti ſcrophuloſam, rachiticam, veneream et cancroſam, et ad procatarcticas cauſas potum et cibum acriorem, aromaticum, glacialem, nimis feruide deglutita, potum auſterum, nimiam tabaci fumationem, ſuppreſſas euacuationes, oeſophagi inflammationem, abſceſſus, ructus auſteros, vicina prementia, vitia partium vicinarum, pulmonum, glandularum oeſophagi, aneurysmata aortae, ſpinae diſtorſiones. p. 46.

Caput quartum dyſphagiae ſymptomata et diagnoſin dilucidat, nominatque inter ſymptomata aphthas. p. 69.

Lethalis eſt morbi euentus, ſi malum progenitum fuerit ab oeſophagi partiumue adiacentium ſcirrhoſa induratione, ab excreſcentiis fungoſis et carcinomatoſis, a ſpina dorſi nimis incuruata, ab aneurysmate magnae arteriae, a calloſa ventriculi induratione. Morbus autem ſanabilis eſt, ſi oritur ab inflammatione, a ſpaſtica oeſophagi, cardiae, diaphragmatis conſtrictione, a ſanabili glandularum intumeſcentia e. ſ. p. p. 77. p. 80.

In ſexto capite curatio breuiter quidem, at egregie et diſtincte propoſita eſt. Si a glandulis induratis oeſophagi dyſphagia oritur et progignitur, externas mercuriales frictiones ſuadet. p. 82.

Denique enarratae leguntur in vltimo ſiue ſeptimo capite obſeruationes dyſphagiae quatuor, et tabulae adiectae partim fabricam oeſophagi, eius tunicas, glandulas e. ſ. p. partim ſtatum etiam morboſum et praeter naturam mutatum ex variis cadaueribus demonſtrant. p. 94.

XIII.

XIII.

Dissertatio inauguralis medica de musculosa vteri structura, quam praes. IUSTO CHRIST. LODER pro gradu Doctoris medicinae rite obtinendo publice defendet CHRIST. AUG. HAUENSCHILD. Cum tabb. aen. Ienae MDCCLXXXII. 4. pagg. 16.

p. 6. Primum Cl. Auctor in eorum argumentis, qui vteri contractionem a solis vasis pendere contendunt, refutandis versatur. Et opponunt illi fere haec: primum non conspici fibras musculares in vtero virgineo, qui tamen in summo contractionis statu sit, in quo alii quicunque musculi optime appareant; dein fibras musc. ob maximam, quam patiuntur, extensionem aut disrumpi, aut saltem vim suam contractilem eo tempore, quo maxime foret necessaria, amittere debere; porro fibras musculares certum punctum fixum non habere; denique vasa sanguifera, imminente partu maxime repleta, pressione sua vim fibr. musc. contractilem omnino delere. Ad quae Auctor ita reponit: primum in vtero non grauido fibras musculares ob tenuitatem suam, intricationem cellulosam vix posse dignosci, sub grauiditate extensas sanguine affluente rubicundiores redditas demum conspici: dein fibras vi extendenti, cum sensim tantum ipsa agat, absque ruptura cedere; ipsas musc. fibr. sibi inuicem antagonistarum loco esse; longitudine fibrarum punctum fixum fingi posse in ceruice; esse praeterea et alios c. h. musculos puncto fixo destitutos, non minus contractiles; denique non vnice his, sed et vasis se contrahentibus nonnihil omnino esse tribuendum, ipsam vasorum pressionem, cum amplius fibrae musculares cedere ne-

nequeant, contractionem earum promouere. Auctorum praeterea in definiendo fibrarum musc. progressu dissensum varietati disquisitorum a variis corporum tribuit. In ipsa vero musculosa vteri structura demonstranda inprimis vt analogiam consulamus, suadet. In hominibus vero fibras musculares in vtero grauido aqua nitrosa macerato inter tunicam externam et internam, propius tamen internae, alias longitudinales maxime in laterali fundi et corporis parte; alias orbiculares aut transuersales, in primis tum in corpore, tum quoque versus ceruicem rite inueniri. Quod quidem vtrumque fibrarum genus non continuo tramite, sed interruptum decurrit. — Obliquas vero Roedereri fibras Auctor potius ad transuersas refert. Musculus orbicularis videtur illi potius orbis rugosus ab inaequali contractione ortus esse. Musculum, secundum nonnullos ligamentum teres cremasteris ad instar ambeuntem nec refutare nec affirmare audet. Tandem ipsam theoriam suam his confirmare nititur rationibus: vasa vteri tantos non praebere laterales ramos, vt eorum ope parietes vteri propius sibi inuicem accedant, si solis vasis vterus contraheretur, nulla sane contractio absque sanguinis iactura contingeret, qui tamen prius non fluit, quam placenta soluta. Gaudet vterus, sicut alii c. h. musculi, irritabilitate stimulo allato excitanda. Cum omnes c. h. motus musculis peragantur, cur vnicus vterus aliis viribus contrahatur? Adiectae sunt ad demonstrandam fabricam muscularem quatuor icones, quarum duae ex vtero humano, duae ex vaccino sunt depromtae.

p. 11.

p. 13.

p. 15.

XIV.

XIV.

De ſtructura Vteri non muſculoſa, ſed celluloſo-vaſculoſa, praeſide GEORGIO RUDOLPHO BOEHMERO pro gradu Doctoris diſputat auctor IOH. GOTTFRIED WEISSE. Vitembergae 1784. 4. pagg. 34.

p. 4. De externa forma atque partibus vteri, de vaſis eius lymphaticis, de vaſorum ſanguiferorum in ipſo differentiis, frequentiſſimis anaſtomoſibus, conuolutionibus et anfractibus, atque vſu poſtquam Auctor expoſuit, textum vteri celluloſum et fibras interſitas muſculares ſub cenſum vo-
p. 18. cat. Quarum vt abſentiam demonſtret, vtitur ſolennibus illis, quae vberius explicat, argumentis, in diſſertatione Hauenſchildiana iam recenſitis, et decipi aſſerit ſtructurae muſculoſae patronos tenuiſſimis vteri vaſculis rubris telaeque celluloſae fibris inuicem copulatis egregie muſculares fibras men-
p. 27. tientibus. Multo contra melius ipſam vteri contractionem explicari poſſe monet per telae celluloſae et muſculoſarum arteriarum elaſticitatem, quae ingenti copia variaque complicatione vteri ſubſtantiam vbique perreptantes, cum nullam amplius extenſionem admittant, fortiter ſe contrahant et ſic totum vteri cauum imminuendo partum excutiant.
p. 30. Poteſtne vero, ſic opponunt, ab arteriis ad ſummum repletis contractio in vniuerſum repeti? — Vtique, reſpondet Auctor; docet id ſatis iniectio ceracea, partium laxarum conſtrictionem vere praeſtans. Tantane a vaſis poteſt exſpectari contractio? — Quidni? Et poſt mortem arteriae valide ſe contrahunt, quanto magis in viuo corpore, maxime cum numeroſſima illarum copia, quam ramo-

rum

rum lateralium tenuitati, ab HAUENSHILDIO prolatae, opponit, coniunctim in vtero contrahendo laboret. Num vteri contractio a ſtimulo prouocata ab arteriis a ſtimulo dilatari potius ſolitis poteſt peragi? — Sic eſt: quod ſi enim vterus fibrarum carnearum ope contraheretur, a foetu intus ſtimulante ad perpetuas ſollicitaretur contractiones. Nonne arteriae ipſa repletione debilitantur atque torpeſcunt? Fieri id quidem poteſt in arteriis liberis nec vlla alia parte incluſis, neutiquam in tectis ſatisque celluloſa munitis. Affert hic exemplum hepatis neonati abſque muſculoſa opera detumeſcentis. — In fine nonnulla de morbis vteri breuiter commemorat.

Qui demum, fibras muſculares et ipſas vaſo- p. 33
rum in modum excauatas eſſe, contendunt, cum iis, de re dubia diſputantibus minime ſibi agendum eſſe putat.

XV.

Exercitationes phyſico-medicae de admiranda naturae ſimplicitate et de vtili quidem, ſed admodum limitanda medicina populari. Auctore LEON. LUDOV. FINKE, Med. Doct. in acad. Lingenſi profeſſore medicinae et phyſicae ordinario — Rintelii, literis Boeſendahl. 1785 in 8v. 270 pagg.

Ex cathedra academiae Lingenſis hae exercitationes dictae ſunt, vltima anno 1780. oblata auctori medica atque phyſica *profeſſorali* (?) ſparta, prima dum anno 1784. a magiſtratu academico abiret. Impulit autem Noſtrum ad has exercitationes conſcribendas conſtans ab Ipſo facta obſer-

vatio, virium naturalium in hominibus ruri degentibus ſummarum, et effectuum medicamentorum domeſticorum ſubinde admodum vilium et abiectorum, ſubinde et aliis nociuorum, quae, quum in aliis ſummum aeſtum excitent morbumque grauiorem reddant, in his ſalutarem ſudorem, aut ſalutarem aliam euacuationem excitarunt. Hinc conſtanter obſeruauit Cl. vir, his hominibus, qui mali cuiusdam medicinam ex libris quaeſiuerunt, peius rem ceſſiſſe, quam ruſticae genti in paruo medicamentorum domeſticorum apparatu acquieſcenti atque ſuo ſideri fidenti.

Cauſſam Cl. vir partim aegris tribuit, negligenter libros practicos verſantibus, partim auctoribus morbos non ſufficienter et ad captum vulgi deſcribentibus, partim ipſis morbis, qui ruricolas longe alio modo inuadunt, decurſumque in iis longe alium obſeruant, quam in molliori iſto hominum genere, quod vrbes incolit, ſedentariam vitam agit, caet. Hinc conſtare ipſi videtur, inter medicos nondum ſatis eſſe euictum atque conſtitutum, de quibusnam rebus medicis cum populo ſit agendum.

Prima exercitatione effectus plurimi naturae a cauſſa apparenter ſimplici pendentes, et cauſſae ſimplices effectus admodum compoſitos, miros edentes, ſine ordine rerum dicendarum plurimo enarrantur, altera autem, praemiſſis plurimis de medicina populari generatim, auctoribusque, qui ad populum medicinas perſcripſere, recenſitis, de his agitur, quae ad populum potiſſimum dicenda ſint. Agendum autem potiſſimum cum populo putat auctor de morbis regioni, cui liber ſcribitur, endemiis, de morbis nonnullorum artificum, qui in his terris potiſſimum viuunt, de morbis infantum tenellorum, nec non de graſſantibus epidemiis

miis et de casibus subitaneis. Via tamen modusque haec omnia cum populo communicandi non traditur, optandum tamen esse putat Cl. vir, vt multos mundus videat Gustavos, qui scholarum rectores in rebus medicis instrui iubeant, vt lex Hassiae Darmstadiensis vbique exsequatur, qua cuiuis pastoralem dignitatem ambienti collegium medicum ad TISSOTI ductum praecipitur, vt diaetae praecepta in scholarum publicarum libris pertractentur, vt variolarum insitio populo commendetur, errores circa diaboli potentiam ex vulgi capitibus excutiantur, vt denique omnes libri heroicorum facinorum fabulosis narrationibus referti ad SALZMANNI exemplar (librum potissimum *Carolum de Carlsberg*, s. *de miseriis humanis* laudat, quem vero tanta laude dignum non putamus) componantur.

Caeterum liber mendis typographicis admodum refertus et oratione nec pura satis, nec dicendis rebus admodum accommodata, conscriptus est.

XVI.

Philosophical Transactions of the Royal Society of London Vol. LXXI. Part. I. II. for the Year 1781. London 1781. 1782. sold by Lockyer Davis and P. Elmsly. 4. pagg. 547.

i. e.

Acta Societatis Regiae Londinensis. Vol. LXXI. T. I. II.

I. REINOLDI FORSTERI *Descriptio Cati tapensis* (Tyger-Cat). Animal est, quod *'Nsussi* a Caffris vocatur, in omni meridionali Africae parte satis frequens, cato silvestri tum corporis statura, p. 1.

tum naturae ingenio ſimile. In montibus et ſiluis habitat, leporesque, cuniculos et antilopas venatur. Syſtematica deſcriptio his verbis comprehenditur: *Felis capenſis*, cauda ſubelongata annulata; corpore fuluo, ſupra maculis virgatis, infra orbiculatis, auriculis nigris, macula lunata alba.

p. 7. II. RICH. KIRWAN *Experimenta et Obſeruationes, quibus nonnullorum ſalium pondera propria viresque attractiuae determinantur* *). Principia, quibus experimenta iſta nituntur, haec fere ſunt. 1) Pondera corporum propria ſ. *ſpecifica*, ſunt in ratione ponderis eorum abſoluti, pondere abſoluto paris voluminis aquae deſtillatae diuiſi. 2) Pondera corporum propria aequalia ſunt ponderi abſoluto, per numerum, ponderis jacturam in aqua indicantem, diuiſo. 3) Fluidorum pondera propria inueniuntur, comparatis inter ſe tum illa, quam in definito quodam fluido, tum ea, quam in aqua corpus ſolidum paſſum eſt, ponderis apparentis diminutione. Praeſtat haec pondus proprium fluidorum inueſtigandi methodus, illa, quae araeometrum adhibet. 4) Dato corporis cuiusdam pondere proprio, aquae, volumen aequale occupantis, pondus abſolutum facili negotio reperitur, pondere proprio in abſolutum ſubducto. — Igitur datis partium corpus aliquod conſtituentium ponderibus abſolutis et propriis, ipſius corporis mixti pondus proprium, medium quaſi locum inter partium illud con-

*) Cf. Diſſertationis iſtius germanica verſio: *Verſuche und Beobachtungen über die ſpecifiſche Schwere und die Anziehungskraft verſchiedener Salzarten, und über die wahre neuentdeckte Natur des Phlogiſton von* R. KIRWAN *Eſq. a. d. Engl. mit einer Vorrede von* D. L. CRELL. P. I. II. *Berlin und Stettin.* 1783. 1785. 8.

constituentium pondera obtinet. Pondus hoc est, vt Auctoris vtamur verbis, *proprium mathematicum*. Computus tamen iste raro congruit ponderi corporum mixtorum proprio experimentis inuestigato. Densitas enim augetur, partibus inter se arctiore, quam in singularum moleculis fuerat, copula iunctis. — Nobis quidem, sine prolixitatis nimiae periculo, non licet singula experimenta enumerare, quibus Cl. Auctor grauem illum locum de specificorum ponderum in corporibus mixtis, salinis potissimum, ratione illustrauit, salium attractiones definiuit, partiumque illa constituentium quantitates inuestigauit. Numerorum enim subductione omnia absoluuntur; ideoque vtiliter quidem legi, at vix et ne vix quidem breui expositione describi possunt.

IV. MATTH. DOBSON *de Vento, qui Harmattan Afris dicitur.* p. 46 Flare solet ventus iste, statis quibusdam anni temporibus, a mediterraneis Africae partibus versus Oceanum Atlanticum. Praecedit et comitatur illum nebula, densa caligine aërem adeo obfuscans, vt vel ea, quae proxime distant, oculis cerni vix possint, ipseque sol sub meridiem sanguineo colore tinctus appareat. Nebula ista puluerem album Euro flante secum ducit, qui prata, frondesque arborum et ipsam Nigritarum cutim albido colore infucat. Hoc etiam inprimis notabile est, vento illo, quem modo diximus, plantas arboresque omnes, et ligneam supellectilem, ipsasque hominum et animalium carnes vehementer torreri, omnique humore priuari. Sal tartari liquatum, Harmattane ingruente siccatur; et, quem prolicit ille, sudor, acerrimus est, vt sapore spiritum cornu cerui aqua dilutum imitetur. Humoris quotidie tempestate illa terrae subtracti tanta copia est, vt intra nychthemerum tres

quatuorue pollices aequet. Caeterum, cum ventus ille calamitosus sit plantis frugibusque, hominum tamen valetudini tantum abest vt noceat, vt potius illam confirmet, variosque morbos, febres inprimis epidemicas, et diuturnos languores conibeat atque soluat. Variolis inprimis adeo videtur aduersari, vt illas insitione in corpore excitare incassum, Harmattane flante, contendas. Vlceribus etiam ille, cutaneisque eruptionibus medetur. Igitur non bene ventum istum pestilentem incolis esse LINDIUS asseuerauit; rectius vtique dicturus, pluuiosa tempestate mensium Martii, Aprilis etc. morbos illos atroces, quos Harmattani tribuit, induci.

p. 67. VI. TH. PENNANT *Descriptio Meleagridis.* Notissimum est auium domesticarum genus, cuius silvestris et primaria species hoc loco inprimis describitur. Multis simul argumentis demonstratur, veterum auctorum Meleagridem, Numidam fuisse Linnei, Pauonemque bicalcaratum, nostram autem, solius Americae incolam, ideoque perperam a Belonio, Aldrovando et Gesnero inter veteris orbis aues relatam fuisse. Ad calcem huius dissertationis breuis adiecta est obseruatio de Meleagride, cui ossea spina vngue adunco armata ex femore praeter naturam excreuerat.

p. 87. IX. IACOBI RENNELL *Descriptio geographica fluuiorum Gangetis et Burrampooter.* Ex Tibetanis montibus vterque fluuius oritur. Ganges inde a fontibus suis vsque ad mare 2100 milliarium Angl. longitudine exporrigitur, ripis, vbi latissimus est, 3. milliar. Angl. a se inuicem distantibus. Vndecim amnium accessu sensim augetur, ex quibus Thamesi minor nullus est, aliqui Rhenum magnitudine aequant. Delta suum habet Bengalensis prouincia, Aegyptio simile, trifariam fisso flumine interceptum. In huius ora maritima sal coquitur

tanta

tanta copia, vt incolis ad communes vitae neceſſitates abunde ſufficiat. Caeterum Ganges tam parum decliui alueo fluit, vt vnius milliar. Angl. ſpatio vix quatuor pollicum altitudine cadat, ſingulisque horis aeſtiuo tempore flumen trium tantum milliarium iter abſoluat. Altera fluuii ripa praerupta eſt et fere praeceps; altera ita plana et lente accliuis, vt vada inde in mediis vndis exiſtant. Innumeris modis flumen flectitur; nec vero conſtans eſt flexuum ratio, ſed in annos mutabilis, prouti modo quicquam ripae aquarum impetu demitur, modo ablatum prius ripae ſabulum ad alterum latus congeritur. Mollis enim eſt parumque cohaeret terra, quae flumini alueum praebet. Oſtiis octo Ganges mari committitur, ingentem ſabuli molem continuo ſecum ducens, eaque re nouis naſcendis inſulis occaſionem praebens copioſiſſimam. Neque dubium eſt, omnem terrae tractum oſtiis huius fluuii interceptum, eodem, vt Delta Aegyptium, modo, fluminis donum eſſe, cum vnius etiam hominis aeuo littus longius verſus mare porrectum eſſe nouasque emerſiſſe inſulas viſum fuerit. Haud infrequens tamen eſt, inſulas fluctuum vehementia rurſus euerti. Ganges annua ſtatisque temporibus contingente inundatione Hindoſtanum Regnum, Bengalamque irrigat, aquarum incrementum capiens, tum ab ingente nubium vi, quas auſter, menſibus Aprili, Maio, Iunio et Iulio, a mari ad Tibetanorum montium iuga vrget, tum ab imbribus hoc ipſo anni tempore in regione illa cadentibus. Profundiorum vallium incolae, ne nimia inundatione noxam patiantur, aggeribus exſtructis fluminis violentiam cohibent. Summa incrementi quotannis in nonnullis locis 14, in aliis autem 32 pedum altitudine aeſtimatur. Aquae copia, quam ſingulis minutis ſecundis Gan-

ges ad mare deducit, 180000 pedibus cubicis mensuratur. Fluuius, quem *Burrampooter* Bengalenses nominant, ex orientali plaga montium Tibetanorum oritur, *Sanpoo* primum dictus, donec in Assamensium ditionem delatus, nomen mutet. Gange in quibusdam locis, in maris potissimum vicinia, latior est, vt etiam 4 vel 5 milliar. Angl. ripae a se inuicem distent. In reliquis eadem est vtriusque fluuii natura, et incrementi vicissitudo.

p. 139. XI. HENR. SMEATHMAN *Descriptio Termitum Africam aliasque regiones calidas infestantium.* Insecti genus est, quod vulgo Formica alba dicitur, rectius autem, vt a formica diuersum, Termitem LINNEUS appellauit. Dubitaueris merito, vtrum incredibilem horum animalculorum multitudinem, damnaque atrocissima, quae miseri Afri et in vniuersum calidarum regionum incolae ab illis experiuntur, detestari, an vero magis artificiosum, quo natura duce pollent, ingenium, industriamque admirari oporteat. Quinque sunt Termitis species ab auctore huius dissertationis in Africa obseruatae, quarum definitiones a SOLANDRO concinnatas, lectorum gratia hoc loco descripsimus:

1. *Termes bellicosus*, corpore fusco, alis fuscescentibus, costa ferruginea, stemmatibus subsuperis oculo propinquis, puncto centrali prominulo.

2. *T. mordax*, nigricans, antennis pedibusque testaceis, alis fuliginosis: area marginali dilatata: costa nigricante, stemmatibus inferis, oculo approximatis, puncto centrali depresso.

3. *T. atrox*, nigricans, segmentis abdominalibus margine pallidis, antennis pedibusque testaceis, alis fuliginosis, costa nigra, stemmatibus inferis, puncto centrali impresso.

4. T. *destructor*, nigricans, abdominis linea laterali lutea, antennis testaceis, alis hyalinis; costa

costa lutescente, stemmatibus subsuperis, puncto centrali obliterato.

5. T. *arborum*, corpore testaceo, alis fuscescentibus, costa lutescente, capite nigricante, stemmatibus inferis oculo approximatis, puncto centrali impresso.

LINNEUS apterorum insectorum ordini Termitem inseruit, defectu alarum, in illis, quae vidit, exemplaribus, deceptus. Cum autem inter haec animalcula, pro sexuum diuersitate, alia sint alis instructa, alia iisdem destituta, ab alatis omnino, quippe perfectioribus, totius generis definitio repetenda erit. Pertinet itaque Termes ad insecta neuroptera, quae alas quaternas habent, aculeisque carent. Caeterum etsi toto genere Termites a Formicis differunt, pari tamen ingenio vtrumque animalculum a natura praeditum est. Gregatim etiam, formicarum instar, Termites viuunt; respublicas habent, duces, consilia, certosque populi ordines, operarios scilicet siue plebeios, milites, nobilesque, ex quorum numero reges coptantur. Plebeii reliquis numerosiores sunt; vt centuplo etiam militum numerum excedant. Corporis statura minimi sunt inter populares; granique singuli pondus quini et viceni aequant. Hi opera conficiunt, materiem construendis aedibus colligunt, cibumque communi officio cumulant. Milites plebeiis quindecuplo fere maiores sunt, forficesque siue vncos acutos ori affixos habent, quibus dimicant aduersosque sibi hostes vulnerant. Hi pariter ac plebeii sexu carent, alisque et oculis; aërem tam studiose fugiunt, vt semper in subterraneis locis viuant, viasque sibi clandestinas muniant, et, si quando impedimento casu ipsis oblato ex tenebris prodire cogantur, tamen non nisi sub tubis ex luto artificiose substructis procedant. Tertium genus

eſt nobilium, qui alis quaternis, oculis, ſexuque diuerſo gaudent. Praegrandes natura effecit, militibusque duplo maiores. Horum maxima pars, dum per agros paludesque circumuolant, a formicis aliisque inſectis necantur. Pauci ſunt a tanta clade ſuperſtites, nec iſti, niſi ſuorum, militum nempe et operariorum, officio, mortem effugiunt. Hi enim illos reges ſibi praeficiunt, congeſtoque luto aduerſus hoſtium inſultus muniunt. Singula Termitum reſpublica (quam, ſi mauis, examen dixeris) ſingulum regem habet, ſingulamque reginam: qui, cum cameris concluſi ſint, ex quibus prodire corporis magnitudine prohibeantur, licet plebeiis et militibus, vtpote exilioribus, aditus reditusque pateat, deſidem omnino vitam agunt, nulliusque rei niſi propagandi generis curam gerunt. Reginae vterum gerentis abdomen in tantam molem excreſcit, vt reliquo corpore 2000ies maius ſit, termitis plebeii autem volumen 20000 vel 30000 vicibus ſuperet. Stupendum ouorum numerum parit; quae ſimulac ex vtero materno prodierunt, ab adſtantibus ex plebeio ordine famulis, obſtetricum quaſi vice fungentibus, ſuſcipiuntur, et quaquauerſus in diuerſas nidorum concamerationes deferuntur. Excluſa ouis ſoboles ſtudioſe a plebeiis nutritur, donec capto ſenſim incremento officium in republica capeſſere, et pro diuerſa corporis conformatione vel operariorum, vel militum, vel denique regum vicem obire poſſit.

Inprimis autem miranda eſt nidorum ratio, quos Termites communi opera exſtruunt. Forma illorum interiorque ſtructura in diuerſis generibus varia eſt. Termites bellicoſi tumulos conicos, decem vel duodecim pedum altitudine, ex luto aggeſto exſtruunt. Mediam horum partem conclaue regium de quo modo diximus, occupat; quod reliquum

eſt in tumulo ſpatii, concamerationes innumeras habet, variis modis conſtructas, prouti vel conſervando cibo, cuius maxima pars gummi eſt, vel nutriendis pullis, vel denique plebeiorum militumque habitationi deſtinatae ſunt. Tortuoſi etiam amplique canales per medios tumulos excauati ſunt, quos tum aquae ſubducendae inſeruire, tum operarum euntium redeuntiumque vias eſſe verosimile eſt. Termes atrox nidos cylindricos, tecto prominente conico terminatos, fungiformes, aedificat. Minores nidos, ſed pari figura, Termes mordax conſtruere ſolet. Communis harum aedium materies lutum eſt, quod ſubtermoliendo animalcula iſta ex terra effodiunt, ſenſimque nouas concamerationes addendo, in miram illam, quam diximus, collium altitudinem accumulant. Termiti arborum gummi lignorumque ramenta nidorum in arboribus effingendorum materiae ſunt. Caeterum mirandus admodum eſt laborum apud haec animalcula ordo, ſingulorumque in communi opere induſtria, et mutuum, quo ſe inuicem adiuuant, auxilium. Dum enim in nidis ſuis maxima populi pars diſcurrit, conclauia conſtruit, cibum in horrea reponit, pullosque curat, alii ſunt, qui velut excubias agunt, hosque de periculo, ſi quod imminet, ſuſurro edito admonent. Tum omnes in aedium interiora penetralia confugiunt, vt, ſi diffregeris nidos, vix unum alterumue reperias. Eſſet omnino, de quo gratularentur ſibi regionum calidarum Africaeque inprimis incolae, ſi ſua ſorte contenta viuere, nec niſi in campis deſertisque locis habitationes figere vellent haec animalcula. At vero hoc genus inſectorum tam infenſum eſt tamque noxium hominibus, vt atrocius illo vix reperias. Eo certius autem peiusque nocent, quo occultius. Clanculum enim ſubrepunt, trabes, aſſeres, ipſaque tecta domorum

morum penetrant et perforant, vt saepe nil tale ni-
tuentes incolae tectorum ruinis elidantur. Cata-
les, quos in ligneo opere morsu sibi patefaciunt,
luto intus oblinunt, quo fit, vt nonnunquam,
omni ligno ab illis absumto, lutum tantummodo
illius loco superstit. Pari modo vestes, dolia, omne-
que genus vtensilium, nisi ex metallo lapideue fa-
brefactum sit, incredibili celeritate corrodunt. Si
quis est, qui labores horum insectorum interpel-
lere tumulosue destruere audeat, eum mordicus
adoriuntur milites, cruentisque plagis ita infestant,
vt citius frustatim illos discerpere, quam, vt a morsu
desistant, cogere possis. — Termes viarum, cum
in apricis locis frequens discurrat, neque, vt reli-
quae huius insecti species, sub terra habitet, ocu-
lis semper instructus est, siue alas habeat, siue illis
careat.

Restat, vt titulos indicemus dissertationum ma-
thematicarum aliarumque nonnullarum huius vo-
luminis, quas prolixius recensere nostri instituti
ratio vetat:

p. 42. 3) OWEN SALISBURY BERETON *de stupendis quibusdam fulminis effectis, Eastbourni in Comitatu*
p. 58. *Sussex d.* 17. *Sept.* 1780 *obseruatis.* 5) GUIL. HUNTER
p. 82. *noua Cochleam applicandi methodus.* 7) EDUARDI PIGOTT *Relatio de stellis nebulosis in Coma Berenices*
p. 84. *obseruatis.* 8) NATHAN. PIGOTT *de stellis duplicibus*
p. 115. *nuper inuentis.* 10) GUIL. HERSCHEL *Observationes astronomicae de rotatione planetarum circa*
p. 193. *axes suos.* 12) THOM. PENNANT *de nonnullis terrae*
p. 195. *motibus in Principatu Wales obseruatis.* 13) PHILIPPI *Comitis de* STANHOPE *Epistola ad Iac. Clow,*
p. 197. *de aequationum affectarum radicibus.* 14) *Compendium binorum diariorum meteorologicorum ex terra labradorensi ad Societatem regiam missorum a* N. DE LA

LA TROBE. 15) *Diarium meteorologicum Societa-* p. 199.
tis regiae.

Ex parte altera indicandae ſunt diſſertationes ſequentes:

XVI. TIB. CAVALLO *De meteoro quodam lu-* p. 329.
nido, d. 27 Mart. 1781. obſeruato. Ab aurora boreali eo potiſſimum differebat nocturnus iſte coeli fulgor, quod ſtellas non, vt illa ſolet, transparere ſineret, lucem conſtantem non lambentem oſtenderet, et ab oriente verſus occidentem porrigeretur.

XVIII. CAROL. BLAGDEN *De calore aquae in* p. 334.
marino quodam torrente, Gulfſtream vulgo appellato. Haud procul a littore Floridae, quae ſeptentrionalis Americae prouincia eſt, rapidiſſimus obſeruatur in mari torrens, a ventis, vt videtur, meridionalis plagae concitatus, et a Mexicani maris ſinu verſus ſeptentrionem ita porrectus, vt, qui ex Europa nauibus aduenium, illum traiicere cogantur. Hoc inprimis ſingulare eſt, aquam in hoc torrente ſex propemodum gradibus proximi maris aqua calidiorem eſſe. —

XIX. HENR. C. ENGLEFIELD *De natura ſoli* p. 345.
Hanbyenſis in comitatu Lincoln, putei effoſſione determinata. Stratum erat argillaceum, pyrite, tellinitis et belemnitis refertum; eo vero inprimis notabile, quod paſſim calcareae terrae fruſtis globuloſis interſperſum eſſet, cum alias ager Hanbyenſis calce prorſus careat.

XXII. ROB. BLAND *de feminarum ſub partu mor-* p. 355.
tuarum, partuum vtriusque ſexus, gemellorum, monſtroſorum etc. numero, ex diariis obſtetriciis Noſotrophei Weſtminſterienſis (General Diſpenſary of Weſtminſter) *aeſtimato.* Partuum praeternaturalium ad naturales ratio erat, vt 1 : 30. difficilium, vt 1 : 111. Ex 1897 puerperis, ſeptem tantum ſub ipſo partu vel

vel breui poſt partum tempore moriebantur; igitur 1 ex 270. Infantum ab illis partu editorum numerus erat 1923: pueri 972, puellae 951. Vnica tres puellas, 23 gemellos, pueros nempe 16, puellas 30 enitebantur. In tanto partuum numero, octo tantum erant, vel monſtroſi, vel male conformati: ſcilicet 1, cui digiti coaliti eſſent, 1 labio leporino, 1 hydrocephalo et ſpina diſtorta, 1 hydrocephalo tantum deformis; 1, cui palati oſſei, 2, quibus cranii pars deerat; 1 fetus biceps, 1 capitis tantum ſpinaeque rudimentis, ſine vllo viſcere conſtans. Partus mortui erant 84, vel 1: 23, et ex his pueri 49, puellae 35. Intra primum a partu menſem ex 1400 infantibus animam reddiderant 85, vel 1 ex 16; pueri 53 et puellae 32, quae ratio eſt vt 5: 3. Adiectae ſunt tabulae, quibus grauidarum in variis vitae aetatibus, partuum a ſingulis editorum, numerus, vitam denique per 26 annos ducendi probabilitas explanatur. Putat nempe auctor, ex 3780 hominibus vno eodemque tempore in lucem editis, poſt 26 annos 1620 vel $\frac{3}{10}$ in vita ſuperſtites eſſe, reliquos, vel $\frac{7}{10}$, intra hoc tempus mori. — Reliqua, cum ad ſolam ciuitatem Londinenſem ſpectent, omittimus, deſcriptionem addituri foetus illius, quem ſupra diximus, bicipitis alteriusque prorſus deformis. Prior ille duo capita, colla ſpinasque et pedes duos, brachia quatuor, peluim, penem, funemque vmbilicalem ſingulos habebat. Duae erant thoracis cauitates, corda pulmonesque totidem, perfectiores tamen in dextro, quam in ſiniſtro latere. Ventriculi duo, ſeiunctique inteſtinorum canales recto anoque vnico terminati. Veſica vrinaria ſingula erat. Alter ille foetus, quem deformem ſimpliciter diximus, tam ſingulari forma erat praeditus, vt difficilis omnino ſit deſcriptio. Mater tribus ante hunc partum die-

bus

bus puellam bene conformatam enixa fuerat. Proprium habebat ostentum illud funem vmbilicalem; globosum erat, cuticulaque vndique tectum. Eminebat prope vmbilicum pilosa quaedam pars occiput mentiens, sub qua ossa latebant. Dissectione instituta, vasa numerosa per omnem huius corporis molem distributa reperiebantur. Aderat etiam ossea capsula cerebrum spinalemque medullam continens. Thoracis autem abdominisque viscera plane deerant, locumque illorum adeps deformis occupabat.

XXIII. GUIL. WRIGHT. *De puella in vtero materno variolis infecta.* Mulier aethiops vltimo graviditatis tempore variolis laborabat, decimo quarto morbi die puellam enitebatur manifesta morbi eiusdem vestigia in toto corpore gerentem. Variolarum in hac infante eadem propemodum erat facies, qualem, si benignus morbus est, octauo vel nono die deprehendimus. Tertio post partum die puella moriebatur, matre superstite. p. 372.

XXIV. IAC. KERR *Descriptio Cocci Laccae.* Caput sub thorace latens. Corpus rufum, ouatum, compressum, annulis 12 interstinctum. Dorsum carinatum, abdomen planum. Antennae corpore dimidio minores, filiformes, truncatae, diuergentes, binis ternisue pilis praelongis munitae. Cauda bifurcata, corporis magnitudine. Pedes sex. — Magnitudo pediculi parui. — Feminae huius insecti mensibus Nouembre et Decembre arborum ramusculis sese agglutinant, iisdem per trimestre fere spatium sine vllo motu adhaerent. Circa illas exsudatione quadam humor spissus sensim colligitur, quem induratum Gummi Laccae appellare consueuimus. Cellulae pro singulis insectis ex humore isto resinoso efformantur. Mense Martio perfecta seu matura esse solet cellularum materies; at, quae restat, insecti matrix, corpus exanime p. 374.

est

eſt, ouatum, laeue, rubrum, facculo ſimile, et liquore intenſe rubro plenum. Menſibus Octobre et Nouembre in ſingulis matricibus viceni aut triceni vermiculi reperiuntur, qui, abſumto paullatim illo, in quo natant, liquore, vterum maternum perforant, egreſſique ſuas relinquunt exuuias, quae albidae membranulae ſpecie paſſim in Laccae fruſtis deprehendimus. Quatuor arborum ſpecies hoc inſecti genus alunt; Ficus religioſa, Ficus indica *Linn.* Plaſo arbor *Hort. Malabar.* et Rhamnus Iuiuba. Ficus religioſa et indica, cortice vulnerato, lacteum humorem fundunt, qui exſiccatione in materiam Gummi Laccae ſimilem indureſcit. Pari modo arboris Plaſo lacrymae rubro colore Laccam imitantur. In Rhamno Iuiuba rarius nidulantur Cocci lacciferi, et, qui in hac arbore reperiuntur, viliſſimam gummi ſpeciem praebent. Ad vtramque Gangetis ripam in montoſis deſertisque locis, tantus eſt Gummi ex inſectis lacciferis prouentus, vt vili pretio in loco natali conſtet. Ad finem huius diſſertationis adiecta eſt deſcriptio artificiorum, quibus Indi, in efficiendis ex hoc gummi, ornamentis muliebribus, coloribus, vernicibus etc. vtuntur.

p. 383. XXV. GUIL. MARSDEN *de phaenomeno quodam ſingulari anno* 1775 *in Inſula Sumatra obſeruato.* Tanta obtinebat illo anno ſiccitas, vt fontes etiam riuulique omni aqua carerent. Menſe Nouembre immenſa innatabat mari piſcium mortuorum multitudo, paſſimque illi in littus a fluctibus proiiciebantur. Suſpicatur auctor, piſcibus quibusdam marinis aqua dulci, quae maris ſalſedinem temperet, ad vitam protrahendam opus eſſe, eaque deficiente piſces periiſſe.

p. 386. XXVI. PATRICII WILSON *Experimenta frigoris naturam illuſtrantia.* Determinatur his experimen-

mentis niuis pruinaeque temperatura, et ſub dio contingens euaporatio. Nihil ex aëre ad niuem accedere conſtitit. Spiritus vini rectificatiſſimus niuem, cui affunditur, ſoluit, ideoque frigus haud parum auget.

XXVIII. AUGUST. BROUSSONET *Deſcriptio Ophidii barbati Linn.* p. 436. Expoſitis variorum auctorum de hoc piſce ſententiis, ſuam addit auctor definitionem, cuius potiora tantum momenta deſcribimus. Caput compreſſum, ſubacutum, nudum, cute communi laxe tectum. Mandibula ſuperior duplicata, inferiore paullo longior. Cirri duo ad apicem maxillae inferioris, bipartiti, lacinia altera longiore. — Corpus compreſſum verſus caudam attenuatum. Linea lateralis ſuprema laeuis, dorſo parallela, vitta argentea ſubtus ornata, ſquamae obouatae, tectae, vmbonatae, ſeparatae. Color capitis et corporis carneo-argenteus. Lc: A:: 85: 35. Lc: DI:: 85: 27. Lc: DFC FAF:: 85: 87. Lc: PI:: 85: 15. Lc: PF:: 85: 22. Lc: AI:: 85: 37. — R. $5\frac{2}{3}$ P. 2. D. 2. 3. 4. 5. 6. A. 3. 4. 5. 6. Methodus iſta, qua tum in huius tum in aliorum piſcium menſuris inueſtigandis auctor vſus eſt, adiecta explicatione illuſtratur, quam, cum ex alio Commentariorum noſtrorum Volumine, quo Cl. BROUSSONET *Ichthyologiam* recenſuimus *), cognitam lectores habeant, hoc quidem loco iure noſtro praetermittimus. Sequitur *Ophidii* anatome. Quarta vertebra binas habet in vtroque latere apophyſes, quarum intercapedinem occupat cartilago vel oſſiculum reniforme, verſatile, veſicae natatoriae imminens, muſculisque propriis inſtructum. Laxandae arctandaeque motu ſuo veſicae, et natationi regendae videtur eſſe deſtinatum.

XXIX.

*) V. Commentar. Vol. XXV. p. 306.

p. 449. XXIX. ROB. MARSHAM *de incremento arborum lauatione caudicum promouendo.* Nouis experimentis ſtabilitur Auctoris de huius lauationis vtilitate opinio *).

p. 479. XXXI. ADAIR CRAWFORD *de facultate animalium frigorifica.* Animalia viua ſui caloris temperamentum in aëre multis gradibus calidiore pertinaciter aſſeruare, nuperrimis FORDYCII, DOBSONI, BLAGDENI etc. laboribus conſtitit. Variae ſunt de hac re philoſophorum ſententiae, quas paſſim in commentariis noſtris recenſuimus. Cl. CRAWFORD, ingenioſis experimentis circa caloris naturam inſtitutis clarus, hunc etiam locum intactum relinquere noluit. Igitur experimenta in animalibus viuis et mortuis, in ranis potiſſimum canibusque, cepit, conſtanterque vidit, animalia viua aegrius tardiusque, mortua facilius citiusque vltra familiarem ipſis calorem incaleſcere, ſi vtraque eidem caloris atmoſphaerici gradui ſubiicerentur. Facultatem autem iſtam, qua magnis caloribus viua animalia reſiſtunt, non auctae perſpirationi vaporumque refrigerio tribuendam eſſe, eo conſtitit, quod par eſſet experimentorum euentus, ſiue animalia in ſicco calidoque aëre detinerentur, ſiue in aquam calidam immergerentur. Cani in aquam grad. 114. Fahrenh. calentem ita demerſo, vt animam ducere tamen poſſet, ſanguis, inciſa vena, detrahebatur, qui caloris vehementia tantopere mutatus erat, vt colore florido ſanguinem arterioſum imitaretur. Cum vero ſanguinis rubor a reſorpto calore amiſſoque perſpirationis vel reſpirationis ope phlogiſto pendeat, experimentis illis, quae modo

*) Priores eiusdem Auctoris obſeruationes vid. in Act. Angl. LXVII. - comment. noſtr. Vol. XXIII. p. 580.

do recenſuimus, efficitur, ſanguinem venoſum animalis viui magno calori expoſiti non tantam phlogiſti copiam attrahere, quantam alias recipere ſolebat. Hinc etiam idem ille ſanguis, ob phlogiſti inopiam, non tantam caloris vim abſorbere poterit, quantam, ſi phlogiſto ditior eſſet, huius dimiſſione facta, ex vaſis capillaribus mutuo accepturus eſſet. Igitur imminuta ob phlogiſti defectum caloris attractio, hoc efficere videtur, quod animalia, magnos aeſtus ſubeuntia, ſeſe ipſa refrigerent, ſeu potius calorem externum, interno ſuo maiorem, aegre admittant, donec omne ſanguinis arterioſi venoſique diſcrimen caloris externi nimia vehementia vel duratione ſublatum fuerit. — Frigore externo phlogiſti ad ſanguinem acceſſio iuuatur, ſimulque reciproca principiorum permutatione efficitur, vt ſanguis, maiorem phlogiſti copiam ex penu ſuo dimittendo, calorem copioſiorem ex aëre abſorbeat. Hinc fit, vt animalia viua, frigori vehementi expoſita, calorem proprium pertinaciter ſeruent, nec niſi cum vita amittant.

XXXIV. TIB. CAVALLO *Experimenta cum thermometro inſtituta.* p. 515. Aetheris vitriolici euaporatione frigus inſigne produci notum eſt. Aqua etiam, dum in vapores reſoluitur, refrigerium efficit, ſed longe minus illo, quod aetheris ope producitur. Inter aquam et aetherem, medium quaſi locum tenet ſpiritus vini virtus refrigerans; in vniuerſum autem eo maior eſt variorum fluidorum in frigore creando efficacia, quo celerius illa in vapores diſſipantur. Acida mineralia, eodem, quo in reliquis auctor vtebatur, modo thermometri bulbo adſperſa calorem augebant, et liquorem thermometro inclufum ſurſum vrgebant; cuius quidem rei ratio in humore aqueo poſita eſt, quem acida illa ex aëre auide abſorbent. — Electricitate adhibita, fluidorum

dorum euaporatio, indeque etiam frigus, quod producunt, nonnihil augetur. — Deſcribitur inſtrumentorum apparatus ab Auctore inventus, cuius ope cum minori aetheris vitriolici expendio, thermometri liquor ad inſignem profunditatem deprimi, et aqua breuiſſimo tempore in glaciem converti poteſt. Thermometro, in aquam iſtam aetheris euaporatione congelatam immerſo, apparuit, tempore aeſtiuo maiorem, quam per hiemem, frigoris gradum ad aquae congelationem requiri. Sequuntur experimenta, ad mercurii expanſionem ſpectantia, tandemque, deſcriptio barometri thermometrici.

Diſſertationum mathematicarum aliarumque a nobis non indicatarum tituli:

p. 230. 15. BENIAM. THOMPSON *Experimenta baliſtica pulueris pyrii variam efficaciam determinantia.*
p. 331. 17) IOH. LLOYD *de terrae motu in agro Denbighenſi*
p. 347. *ad Hafodunos obſeruato.* 20) NATHAN. PIGOTT
p. 351. *Obſeruationes aſtronomicae.* 21) THOM. BARKER
p. 395. *Diarium meteorologicum Lyndonenſe.* 27) GEO. ATWOOD *Theoria menſurationis anguli ſubtenſi inter duo obiecta, quorum alterum reflexione lucis du-*
p. 454. *plici, alterum immediate oculis cernitur.* 30) GUIL. WALES *de tabulis ſinuum tangentiumque naturalium et logarithmicorum in numerica reſolutione aequationum affectarum vtiliter adhibendis.* 32) HER-
p. 502. SCHEL *de cometa nuper obſeruato.* 33) IOH. WILLARD *de longitudine oppidi Cantabrigienſis in Noua Anglia.*

XVII.

CAROLI A LINNÉ, Equitis, Syſtema vegetabilium ſecundum Claſſes, Ordines, Genera, Species cum characteribus et differentiis: editio decima quarta, praecedente longe auctior et correctior, curante IO. ANDREA MURRAY, *Equite ord. R. de Waſa, Conſiliario R. Aul. Profeſſore Medic. et Botan. O. in Acad. R. Götting. etc.* Göttingae, Typis et impenſis Io. Chriſt. Dieterich, 1784. Alph. 2. pagg. 17½. in 8.

Iuſtum aequumque aeſtimamus in omni de quocunque libro ferendo iudicio rationes, quas ſibi propoſuit Auctor, ponderare, quas ſi rei conuenientes elegerit et recte exſecutus fuerit, tunc Auctor officio ſuo feciſſe ſatis, atque in re difficili et ardua laudes mereri nobis videtur. Has igitur etiam tribuendas cenſemus editori illuſtri nouiſſimae huius Linneani ſyſtematis editionis. Etenim etſi aliis in eo forſan ab officio ſuo deflexiſſe viſus eſt, quod pauciores nouiter detectas plantas huic indici plantarum ſyſtematico inſeruerit, aliis vero, quod Linneanae in defendendis et ſeruandis opinionibus pertinaciae nimis adhaeſerit: tamen ideo minus recte reprehenditur, quum LINNEI ſyſtema, non vero ſuum, ederet, ideoque recte LINNEI legem obſervaret, qua nullam plantam ſyſtemati inſerendam putabat, niſi quam vel ipſe viderit, vel auctor ex ſchola ſua profectus deſcripſerit. Laudandus eſt Auctor ideo, quod certiſſima ſaltem plantarum augmenta in opus hoc ſuſciperet, quum facilius ſit addere repetitis obſeruationibus certiores redditas ſtirpes, quam dubias vel falſe aſſumtas ſpecies a

certis plantis distinguere atque ex earum numero expungere.

Substitit igitur in iis auctariis et emendationibus, quae vel LINNEOS ipsos auctores habent, vel viros ex LINNEI patris schola profectos, vel et alios, qui, licet ab illustris viri ore non pependerint, ad eius tamen praecepta nouos prouentus memoriae prodiderunt, fidemque diligenti atque accurata descriptione et iconum delineatione sibi conciliarunt. Habuit itaque supplementi plantarum a LINNEO filio editi rationem, vtpote quod iuncta patris filiique opera concinnatum fuit; asserit tamen ill. editor, non parum in transferendis supplementi stirpibus laboris fuisse: esse enim inter has noua genera haud pauca, quorum, quamuis classis ordoque significentur, loca tamen commodissima in serie generum secundum cognationem non nisi comparatione mutua facta constiterint: opus fuisse, characterem horum essentialem saepe contrahere et reliquis adaptare, idemque necessum fuisse in speciebus collocandis, quae cum prioribus conferendae, et aliorum botanicorum scripta consulenda erant, subinde tamen se coactum fuisse, praelabe descriptionum recentiorum, praesertim in dictioribus numero specierum generibus, easdem ad finem generum iunctim subnectere. Ceterum aliquando etiam in differentia specifica conformitatis causa vel voculas quasdam praecidit, vel alias addidit; nonnunquam etiam nouae species detectae characterem vetustiorum mutari iusserunt. Nonnulla genera ob species nouiter accedentes in novas familias ab editore diuisa sunt. Atque in his omnibus tam ex horto botanico, cui praefectus est ill. editor, quam ex collectione stirpium siccarum illustrationem quaesiuit.

Prae

Praeterea diſſertationes LINNEI patris de genere *aphyteiae* et de *hyperico*, tum etiam LINNEI filii diſputationes de graminum familiis et lauendulae genere in conſilium traxit; noluit tamen quidpiam ex nouationibus iſtis, quas LINNEUS filius in diſſert. de muſcis circa diſtributionem muſcorum molitus eſt, praeter ſpecies nouas adiectas, in vſum vertere. THUNBERGII opera edita multum, fatente ipſo editore, ad perficiendum ſyſtema hoc contulerunt. Genera *Gardeniae*, *Proteae*, *Oxalidis*, *Ixiae*, *Iridis*, ex obſeruationibus THUNBERGII emendata et locupletata, atque noua genera plantarum multa addita ſunt. Omnes ſpecies Iaponicae, quas in Flora deſcripſit THUNBERGIUS, hic generibus ſuis inſertae ſunt. Mutationes tamen, quas THUNBERGIUS in ipſo ſyſtemate fecit, non ſecutus eſt Noſter. Neque igitur palmas in claſſes ſuas transmiſit, ſed in appendice reliquit, etſi THUNBERGIO in ea re aſſentiatur, neque monoeciam, dioeciam, polygamiam, et gynandriam expunxit, ſed Linneanum ſyſtema integrum dedit. Aliorum quoque Suecicorum botanicorum obſeruationes notatu digniores in medium protulit, modo praegreſſum ſcrutinium id ferret. Suas ex *commentationibus ſocict. ſcient. Gott.* petitas obſeruationes, quibus vel nouas plantas vel mance determinatas ab obliuione et ambiguitate vindicauit, his addidit. Inſigniter etiam creuit ſtirpium numerus, numeroſis illis, quas IACQUINI opera continent, plantis, quae quidem merito propter elegantiam iconum et deſcriptionum praeſtantiam et fidem inter primaria rei herbariae monumenta refert. Dolendum modo eſt, adeo parum emolumenti ex egregiis his IACQUINI libris in vniuerſam plantarum cognitionem redundare, ideo, quod vel nimis pretioſi ſint, vt pauci iis botanici vti queant, vel per ſingulare

auctoris ſuperbi inſtitutum quidam eorundem nulla pretio redimi queant. Hiſtoriam ſtirpium ſelectarum Americanarum coloribus viuis pictarum anno 1781 in publicum datam, ex editione anni 1763 enatam, commemorat Ill. Editor. Iam quum ex prima libri editione LINNEUS plerasque illic deſignatas plantas commemorauerit, nonnullas autem omiſerit: Noſter has poſteriores, quaſi renitente, vt Ipſi videtur, LINNEO, nunc tandem ſpeciebus Linneanis ſubſcribere noluit; acceſſiones autem, poſt mortem LINNEI a IACQUINO enumeratas, laudauit.

Ex his quidem, quae auctor in praefatione propoſuit, quanto ſtirpium numero auctum ſit ſyſtema, colligere licet. Deſunt tamen etiamnum multae ab AUBLETIO, BANKSIO et SOLANDRO, FORSKALIO, FORSTERIS, PALLASIO, SONNERATO, SPARMANO, aliisque detectae et paſſim deſcriptae plantae, quas, rationibus ſupra indictis niſus, clariſſimus editor omiſit.

Ceterum etiam operam dedit ill. Editor, vt ſtirpes iam cognitae certius et facilius cognoſcerentur. Quapropter animaduerſiones numeroſas generibus et praecipue ſpeciebus adſperſit, atque ſynonyma iconesque haud paucas, ex Flora Danica et SCHREBERI hiſtoria graminum indicauit. Se tamen in his breuitati et paucitati ſtuduiſſe profitetur, ſuaque omnia ideo vel nomine, vel littera M. notauit, vt ne errores forſan ſui LINNEO tribuantur, nec ii, quos LINNEUS non potuit euitare editorem feriant. Prolixitatem et copiam in noua editione *generum* et *ſpecierum plantarum* exſpectandam eſſe addit, et, vt priſtinus nexus inter hoc opus eaque, quae genera et ſpecies plantarum complectuntur, perſiſteret, ſeruauit numeros, qui ad vtrumque librum reſpiciunt, ex editione 13., e

mod

modo discrimine, vt speciebus numeros fere continuos praefigeret.

His, quae ex editoris praefatione excerpsimus, nil fere addendum habemus: etenim exempla novarum plantarum hic proferre, irritus esset labor, quum cuilibet botanico ipsius libri vsus sit necessarius, atque mutationum, quae subinde factae sunt, rationes non aliter nisi ex collatione cum prioribus editionibus perspici possint, quae hic separatim propositae lectori potius taedium moueant, quam vtilitatem creent. Manet certe hic liber index manuarius, quo nemo botanicorum carere potest. Supprimimus vota, quae ad perfectum systema plantarum, in quo omnia botanicorum fide dignorum inuenta comprehensa essent, spectant. Tale enim illustris editor noluit dare, sed, quod semper respiciendum est, LINNEI systema iterum euulgandum erat.

XVIII.

I. ANDREAE MURRAY Opuscula, in quibus Commentationes varias tam medicas, quam ad rem naturalem spectantes, retractauit emendauit auxit. cum figuris aeneis. Volumen primum. Göttingae apud Io. Christ. Dieterich. 1785. 8. pagg. 392. sine praefat.

Adeat haec opuscula quilibet, cui volupe est, et eleganter conscriptas et erudite compositas commentationes legere, nec minorem fructum, quam voluptatem, ex ipsarum lectione capiet. Nos autem modo earum mentionem iniiciemus, quae nouae sunt, vel necdum in alio commentariorum no-

ſtrorum volumine recenſitae. Continentur autem hocce primo volumine commentationes decem:

p. 1. *De Arbuto vua vrſi* *).

p. 105. *Natura foliorum de arboribus cadentium* **).

p. 143. *De puris absque praegreſſa inflammatione origine* ***).

p. 189. *De cognatione inter Arthritidem et calculum.* Ambo mala hereditaria ſunt, ex ſimili fonte oriuntur et proſiliunt, ex vino, venere, otio et crapula. Qui vno horum morborum laborat, procliuis in alterum eſt, vno eodemque tempore hominem in-
p. 203. vadunt, alter morbus in alterum tranſit. Crebrius ex arthritide calculus progignitur, quam illa ex
p. 208. hoc. Maior nexus eſt inter articulos et renes, quam inter reliquas c. h. partes intercedit. Porro de primordiis vtriusque morbi exponit, denique de analyſi chemica et de eadem omnino medela.
p. 215. Vtrumque concrementum ſuperficie, figura, colore pari modo differt, ſapore et odore inter ſe convenit.

p. 229. *De obſeruationibus et experimentis apud bruta captis caute ad corpus humanum applicandis.* Eſt oratio docta, erudita, atque eleganter conſcripta, lectu digniſſima.

p. 255. *De Polypis bronchiorum* ****).

p. 277. *De Phthiſi pituitoſa.* Variis animaduerſionibus praeſtantiſſima haec commentatio aucta eſt. Annititur Cel. Auctor inprimis morbi diagnoſin conſtituere ipſumque a quocunque ſimili diſtinguere,
p. 289. hincque morbi decurſum accurate adumbrat. Cum DARWINI experimenta dubia et fallacia iudicet, a muco-

*) V. Comm. noſtr. XV. p. 164.
**) V. Comm. noſtr. XIX. p. 260.
***) V. Comm. noſtr. XXIII. p. 633.
****) V. Comm. noſtr. XX. p. 611.

mucoſo ſputo purulentum eo diſtinguit, quod huic non ea tenacitas, quae alteri generi, contingit, ſed maior fluiditas, figura non globoſa, ſed multiplicis ambitus ſit. Difficulter hic morbus diſcernitur ab hydrope pulmonum et aſthmate humido. De praedictione, quaeque remedia vel conveniant nec ne. Ad calcem hiſtoria morbi amantiſſimi fratris enarrata legitur. p. 293.

De tempore corticem peruuianum in tuſſi conuul-ſiua exhibendi. Aliorum ſententiis prolatis, animadvertit, ſoluentibus et emeticis adhibitis prius ad corticem confugere opus fuiſſe, quam paroxysmus abſque vomitu ſpontaneo deſineret. Primum decoctum corticis cum liquore terrae foliatae tartari, vel ſi tuſſis nimis ſaeuiret, cum pauxillo caſtorei exhibuit vſumque corticis conſopito malo continuauit. p. 307.

De Redintegratione partium cochleis limacibusque praeciſarum. Prolatis multis vis naturae reparatricis exemplis, experimentis et ſententiis, de limacum redintegratione dubia mouet, quae contra haec experimenta ſunt excitata. Duplici autem de fine ſua inſtituit experimenta, tum vt exploraret, an vermium dictis generibus pars abſciſſa recreſceret, tum, niſi hoc fieret, an reſecto adeo capite vitam continuarent. Experimenta vero cepit in limace agreſti LINN. et cincto MÜLL. Limax capite truncatus per ſeptem dies viuus permanſit; alii mox periere. Protuberat nonnunquam canalis, qui facile pro capite renaſcente haberi poteſt. In helice pomatia tentaculum renaſci obſeruauit, altera ſeptimo die poſt encheireſin periit. Ex decem ſpeciminibus Helicis nemoralis, praegreſſa per folia Lactucae ſaginatione, quibusdam iisque adultis integrum caput cum vtroque pari tentaculorum cultro praecidit, aliis partem modo anteriorem p. 317.

cum

cum tentaculis duobus, aliis dimidium caput cum affixis tentaculis, aliis rursus forfice amputauit tentacula modo vel duo vel singula quatuor. Praetaedio testam vnius, cui totum caput praecideret, hebdomades sex postea frangens antrorsum duo oblonga antice latiora corpuscula vidit instar rudimenti tentaculorum, sed insensilia. Alii gemmarum ope rem explicant, alii telae cellulosae productioni, alii denique gelatinosae et mucosae horum animalium naturae hanc redintegrationem tribuunt.

p. 345. *Obseruationum et animaduersionum super variolarum insitione satura.* Commendat inprimis frigidum regimen cum puris fluidi administratione coniunctum, sicuti quoque potum diluentem refrigerantem. Si omnes pustulae haud maturae euaserint nec suppurauerint, dubium est, aegrum veris bene maturatis variolis laborauisse. Mox alia insitioni
p. 369. facta opprobria examinat. Alia causa sinistri post insitionem euentus continetur diathesi putrida subito emergente. Vermes, nominatim lumbrici, saepe omnem salutis spem frustrantur, sicuti idem de
p. 373. colluuie biliosa quoque valet. Noua exanthemata, subinde pristinis copiosiora, et repetitis nonnunquam vicibus per plures dies pullulant. Quod vero insitioni non opprobrio vertendum est, quia in naturalibus propemodum saepe idem obseruatur. Diaeta minus nutriens, exercitatio fortior et neglectus purgantium ante morbum in culpa sunt. Aliud insitionis variolarum incommodum est, quod temporis interuallum, inter encheiresin insitionis et febrem subsequam praeterlabens, saepe insigniter variet ita, vt vel febris anticipet consuetissimum exordii sui terminum, vel solito serius ingruat.
p. 385. Non omnes ad contagium susciendum aeque pro-

cliues

liues sunt, vulnerumque artificialium sanatio tarde imis nec sine difficultate fit.

XIX.

ANDREAE BONN *Anatomes et chirurgiae in illustri Amstelaedamensi Athenaeo Professoris* Tabulae ossium morbosorum praecipue thesauri Houiani Fasc. I. Tab. I — VII. Fasc. II. Tab. VIII — XIV. Fol. 1785.

Retulimus iam alio tempore de descriptione thesauri ossium morbosorum Houiani *), atque eodem tempore spem lectoribus fecimus nostris, fore, ut Cl. BONN tabulas, quae hancce descriptionem illustrarent, ederet aeri incisas, cui promisso etiam diligens thesauri Houiani interpres stetit. Cum vero partim iam alias ossium morbosorum descriptiones ex collectione Houiana petitas cum nostris lectoribus communicauerimus, partim etiam aliae non satis accurate cognoscantur, nisi simul iconem inspexeris, modo earundem aliquas hic commemorabimus.

Tab. I. fig. 2. Os verticis dextrum ictu foratum. Ora foraminis aspera, obducta callo inaequabili. Crassa membrana foramen occlusit.

Tab. II. Duo aposceparnismi specimina.

Tab. III. Fig. 1. Os frontis in regione orbitali et temporali fractum.

Tab. IV. Fig. 3. Fractura ossis frontis per orbitam ad os maxillare superius progrediens.

Tab. V. Fracturae ossis maxillaris superioris, zygomatici et orbitae.

Tab.

*) Comm. nostr. Vol. XXVI. p. 611.

Tab. VI. Fractura processus condyloidei maxillae inferioris.

Tab. VII. Fig. 3 et 4. Maxilla inferior, cuius capitula fracta, mentalis vero regio quoque disiuncta apparet.

Fasc. II. Tab. VIII. Fig. 4. Tibia oblique fracta, post quinque hebdomadum vincturam nondum consolidata; fragmenta crescente denso flexibili callo cohaerent mobilia.

Tab. IX. Humerus edentulae fractus per vndecim menses frustra curatus, ossa non conferbuerunt, neque ossi insidet os, sed sedibus suis mota sunt.

Tab. X. Femur in decem vel plures partes confractum. Fragmenta suis sedibus emota firmo callo ita conferbuerunt, vt vnum os stabile efficiant. Egregium naturae sanantis exemplum.

Tab. XI. Fracturae cum duobus, adeo tribus canalibus medullaribus, intercedente callo vna vel duplici in sede.

Tab. XIII. Femur rachitide insigniter curuatum, iuxta genu fractum et iterum ferruminatum.

Tab. XIV. Fractura colli femoris.

Explicatio tabularum in latina et belgica lingua conscripta est.

XX.

EDUARDI SANDIFORT Medicinae, *Anatomes et Chirurgiae in Academia Batava, quae Leidae est, Professoris,* Descriptio Ossium hominis. Accedit oratio de officio medici perquam difficili, a multis pessime neglecto. Lugduni Batauorum. apud S. et I. Luchtmans,

mans, P. v. d. Eyk et D. Vygh. 1785. 4. pagg. 204.

In vsus discentium hanc descriptionem succinctam ossium edidit SANDIFORTUS Vir Cl. atque vel Vesalianas vel Albinianas icones ad quamlibet ossis, quod describeret, partem semper indicauit. Plura de hocce compendio osteologico, in quo tamen nonnulla, sicuti diuerticulorum auditus, et sinuum osseorum expositionem omnibus numeris absolutam, desideramus, hic commemorare vix refert, nec quae oratio proponit enarrare interest, quippe cum et doctrina et eruditio auctoris, sicuti eiusdem scribendi ratio et sermonis praestantia, satis ex multis paucos inter annos editis scriptis cognita sit.

XXI.

Dissertatio inauguralis anatomica de Lapillis vel prope vel intra glandulam pinealem sitis siue de aceruulo cerebri. Praeside Dr. SAM. THOM. SOEMMERING Resp. *Nicolao Lisignolo.* Moguntiae 1785. 8. pagg. 35.

Antumat Cl. Auctor, huncce aceruulum, qui circa basin conarii sub plexu choroideo vix non semper reperitur, perpetuo adesse. p. 5.

Semel totam pinealem glandulam excauatam, nunquam autem deficientem in octoginta septem cadaueribus inuenit. p. 8.

Humana glandula maiorem vidit in boue, asino, oue, ceruo, dama, capreolo, camelo gibbere simplici, in quo quasi quadripartita est, licet tota encephali moles horum animalium humana multo minor sit. p. 10.

Parua et exigua est in cane, vulpe, mele, fele, putorio, porcello. In ingenti, tur-

turgida et caua pineali glandula damae lapillos humanis ſimillimos conſpexit. Mox habitu aceruuli deſcripto, quaeſtionem mouet, an in omnibus hominibus adſit aceruulus; eamque triginta ſex propriis et multorum aliorum obſeruationibus ſuffultus affirmat.

p. 13.

p. 26. Porro concluſiones nonnullas ex praedictis colligit: adeſſe vel aceruulum extra conarium vel granula intra illud, in iuuenibus iam a decimo quarto vitae anno; adeſſe in hominibus ad vltimum vſque vitae halitum mente ſanis; in caſibus, in quibus non inuenti fuerint conarii lapilli, nihilo ſecius revera adfuiſſe, ſed vel incuria anatomicorum vel ob habitum cerebri flaccidiorem non repertos fuiſſe; nullo alio loco hucusque in encephalo ſimiles lapillos inueniri.

p. 31. Lapilli conarii ſub microſcopio diſquiſiti ab oſſea fabrica differre atque diſcedere videntur, inque aquam immiſſi velociter fundum petunt.

p. 32. Analyſis chemica. Cl. MOLITOR docuit, difficillime ſolui lapillos in acido dilutiori vitrioli, nitri et ſalis. Acidum nitri reliquis velocius in illos agit, acidum ſalis autem lentiſſime; omne autem quod terreum inerat lapillis, reuera ſolutum fuiſſe ab acidis hiſce demonſtrabatur praecipitatione per ſal alcali, adeo vt praecipitatum rite exſiccatum pondere dimidiam lapillorum partem aequaret. Tum igni fuſorio exponebantur lapilli; vſque ad albedinem calcinati ſunt.

p. 34. Denique ſibi aliisque perquirendum relinquit, quomodo in embryonibus ſeſe gerat iſta glandula; cur hoc loco cerebri inprimis inueniatur, nec alibi, verbi cauſa, in ventriculis e. ſ. p. hicce aceruulus.

XXI.

XXII.

Obſeruationes medicinales de febribus intermittentibus et qua ratione eisdem medendum ſit. Opus, quod ſcientiarum artium atque literarum academia Diuionenſis praemio coronauit die 11. Auguſti 1782. Auctore CAROLO STRACK *M. D. et in vniuerſitate Moguntina praxeos medicae et collegii clinic. profeſſore P. O. Eminentiſſ. ac celſiſſ. Principis elector. Moguntin. conſiliar. aulic. elector. vtilium ſcient. acad. Erford. caet. Socio.* Offenbach, ex officina Vlrici Weiſs et C. L. Brede 1785. in 8vo. 250 pagg.

Voluerat academia Diuionenſis, vt medici febrium intermittentium indolem atque genium curatius, quam hactenus adſueuere, diſtinguant, explicent, exponant, ſimul et certa ſigna indicent, per quae tuto noſſe liceat, intra quod morbi ſtadium febrifuga medicamenta recte adhiberi aegrisque tuto offerri poſſint. Cui academiae voluntati vt recte reſponderet Cl. Auctor, primo harum obſeruationum libro quae ad naturam febrium intermittentium ſpectant, altero medendi iis methodum, tertio vero febres intermittentes, alia quam conſueuerunt, forma modoque incedentes pertractauit.

Octanam febrem per tres menſes perdurantem, inordinatam in initio, poſtea omni mercurii die certe redeuntem, Cl. Auctor in muliere 50. annorum obſeruauit. Miaſma vnicum tantum et peculiare febrium intermittentium ſtatuitur, quod non re, ſed diuerſis acceſſionibus, diſtinguitur, prout alia atque alia in corpore, quod prehendit, offendit, ſic vt cum vno corporis vitio quotidianam

cum alio tertianam, cum alio quartanam efficiat. Quod ad credendum Cl. Auctor inducitur, quoniam eadem febris intermittens non raro in vno eodemque aegro corpore acceſſiones mutat, quoniam febrium intermittentium omnium acceſſiones ſibi ſimiles ſunt, ſimiles exitus, ſimilem criſin habent, vno eodemque remedio ſpecifico, ſi recte adhibetur, excutiuntur, quoniam febris materia aliam corporis partem dimittit, aliam prehendit, recens a febriente matre nata proles febrim a matre, aut lactans a nutrice accipit, quoniam omnes febres intermittentes eadem mala poſt ſe relinquunt, icterum, ſplenis tumorem, hydropem, quoniam corticis Peruuiani vis nullo alio modo explicari poteſt, quam quod non ſomitis, ſed miaſmatis remedium ſit, diſtincta omni modo febrilis materies ab impura materie deprehendatur, quoniam febres intermittentes per criſes, humore tenuiore excuſſo, terminantur, quod non accideret, ſi a glutinoſa, aut bilioſa, aut melancholica materie inducerentur. Ex iis omnibus concluſio eſt, eſſe priuatum ſuum febri intermittenti miaſma, quod a ſomite ad recipiendum et retinendum illud apto fouetur, ſimplex atque vniforme, diuerſos typos admittens, prout variolarum miaſma diuerſas febres admittit.

p. 16. Febris intermittens fit, quando miaſma febris intermittentis in corpus incidit, quod per ſua propria vitia ad recipiendum fouendumque miaſma febrile diſpoſitum eſt. Ipſa autem febris intermittens ex chronico vitio et ex acuto miaſmate compoſita eſt. Hinc febrim ipſam pellimus, dum aut diſponentia vitia corporis delemus, aut miaſma excutimus, quod ſaepe fit, purgato ab impura colluuie corpore, quae primam miaſmati ſedem praebet.

Trans-

Tranſitus ad ſigna et ſtadia febris intermitten- p. 27.
tis. Intereſt multum, noſſe, morbum, qui adeſt, febrim intermittentem eſſe, maxime in dubio inuaſionis initio: ſigna autem aequalia febres non habent, quae lente, et quae cum vi quadam protinus incipiunt. Frigus oritur e miaſmate febrili a fomite recepto eidemque vnito, cor ſtimulante, vt vniuerſi corporis vaſa quaſi per conuulſionem contracta anguſtentur atque rigeſcant. Hinc impeditus humorum circuitus, minor attritus, calor exſtinctus. Quam ob cauſſam ſenes, qui febre intermittente moriuntur, intra frigoris ſtadium omnes exſtinguuntur, nullus intra aeſtum. Agitata autem per vaſa materia imperfecte ſenſim conteritur, ſique mitior reddita eſt, vaſis reagendi et humores propellendi libertatem permittit. Hinc maior attritus, frigus pellens, calorem excitans. Criticam perturbationem, qua aegri motibus atque iactationibus maioribus agitantur, ſudor excipit et pinguis rubraque vrina, ſedimentum deponens, quae cum ſudore veram criſin conſtituit. — Bonam criſin imparibus diebus contingere, malam paribus accidere, medici ſtatuerunt. Quam ſententiam alii licet ceu vanam repudiauerint, tamen Noſter in vno eodemque morbo, qui cum continente erat, ſaepe expertus eſt, criſin, quae quinto die incepit, morbum ſeptimo feliciter finiiſſe, contra ſi quarto die eadem criſis apparuit, morbum diutius et traxiſſe, et peiorem euenisſe. Nec vnquam per XXXIV. annos adhuc vidit, neque alium fortaſſe quemquam vidiſſe aſſerit, febrim intermittentem, poſt duas, poſt quatuor, poſt ſex acceſſiones per ſe deſiiſſe, ſed poſt impares. Criſis intermittentium et aliorum morborum diu homines affligentium a veteribus magis, quam a recentioribus, obſeruata eſt, deſtitutis

videlicet efficacibus iſtis medicinis, quibus nos morbos ſine tali criſi ſanare valemus.

Criſin autem intermittentes triplicem habent, febris, materiae, quas tertia ſequitur, quae non tam criſis, quam reſtitutio functionum, appellari poteſt. Acceſſionis ſeu febris criſis ſatis nota eſt, materiae vero ſiue fomitis ea eſt, qua mota, contrita coctaque febrilis materies per ſudorem ſub acceſſionis fine expellitur. Hic ſudor liberalis eſt, ex vniuerſo corpore erumpit, ſpiſſus tenaxque diu in cutis ſuperficie haeret, odorem vt panis fermentum habet et linteamina tingit. Foetor peculiaris inprimis probat, magnam fomitis portionem huic ſudori ineſſe, ſed vniuerſalis eſſe et morbum leuare debet. Altera criſis per oris, narium, faucium, linguae vlcera fit. Sed imperfecta haec eſt, dum non omne morbidum per eam expellitur, et faciles recidiuas permittit. — Vomitu et alui fluxu intermittentes non iudicantur, niſi in inteſtinali tubo omnis febrilis materies ſubſtiterit. Habent autem febres intermittentes alias criſes, quibus febrilis materies in loca quaedam transfertur, ictero et ventris tumore inprimis natis. Quos abſceſſus crebrum lotii, febre ſublata, profluuium praecauet.

p. 51. Medendi febribus intermittentibus ratio duplex eſt, rationalis altera, empirica altera. Ad primam quod attinet, vnaquaeque febris intermittentis acceſſio pro febre continua breuiſſimi circuitus haberi poteſt, hinc recta forte curatio foret, ſi eisdem medicinis debellaretur. Verum iſta curatio ſola ſucceſſu ſaepe caruit. Ancipitis etiam euentus curatio fuit, qua ſudor breui ante acceſſionem excitatur, a veteribus iam laudata et a vulgo hodie frequenter adhiberi ſolita. Quare praeſtat ad corticem Peruuianum confugere, quippe a quo prom-

promtum atque tutum auxilium exſpectari poteſt. Durante frigoris acceſſione autem aegris potio calida aromatica danda eſt, vt ſudent, contra cum calor incepit, aqua ſimplex potui exhibenda eſt, adiecta acidi cuiusdam ſalis parte: vbi vero cutis immadeſcit, dandus iterum potus calidus eſt, qui et ſudorem expediat, et tantum reſtituat, quantum ſudando amittitur. Tandem cardiacum dare expedit.

Extra acceſſionem in purgantium vſu maxime peccatur: corpora enim febre intermittente laborantia nullo modo magis laeduntur, quam purgantibus pharmacis. Reſpiciendum inprimis eſt, crudane an cocta materies ſit; num turgeat. Quod niſi exacte obſeruatur, viſcera vexantur, fatigantur, febris pertinax et contra corticem Peruuianum rebellis redditur. Maximæ autem attendendum eſt, ne in die, quo criſes fieri conſueſcunt, aut natura exitum moliri ſolet, medicamentum purgans praebeatur, quod omnino aduerſum eſt et ſaepe exitioſum euenire poſſet. Vt autem plus, quam opus eſt, purgare febrim exaſperat, ita aluum non ſatis ducere, dum cocta materies eſt, malum eſt, neque tunc etiam febris aegrum cum adhibito multo cortice Peruuiano dimittit. Conſueuit autem Noſter aluum in aegris raro mouere, niſi tribus morbi acceſſionibus ſuperatis. Tutius autem eſt alvum ducere, quum febris ex toto deſierit.

Curatio intermittentium tentanda non eſt, niſi coctione praegreſſa. Vernales coctionem facile admittunt, autumnales non aeque, ob humores ab aeſtu acriores redditos et ad coctionem parum aptos. Facilem in genere curationem admittunt febres vernales, iuniora corpora occupantes, ſolitariae, nulli chronico vitio iunctae, in quibus poſt vnamquamque trium primarum acceſſionum ſudor

acidum odorem ſpirans cum vrina turbida erumpit. Contrarium autem in ſenibus nec non in iis eſt, qui mediis inter acceſſiones diebus non debiles ſunt, quorum vrina his diebus ſubrufa transparensque eſt. Perducta autem ad coctionem febris amaris quibuscunque facile cedit, Noſterque puluere corticis ſimarubae, cuius grana decem ter per diem dedit, talis generis febres intermittentes perfecte ſubmouit. Nihilominus tamen cortex Peruuianus praerogatiuam ſibi vindicat, cuius vnaquaque hora ſcrupulum Noſter exhibet; praeſtat enim minutas portiones ſaepius offerre, quae commodius et digeri in ventriculo poſſint, et omnem virtutem edere. Vanum eſt corticem aquae vel vino infundere, talemque potui dare; ſic enim vix aliquid recte extrahitur. Vana ſunt omnia, quae de noxis corticis Peruuiani medici vnquam protulerunt, nec non de vitiis, quae febrium per corticem curationem ſequi putarunt. Frequentes poſt febrem cortice debellatam recidiuae inde potiſſimum ortae ſunt, quod, vbi proxima acceſſio deſiit, medici ab ipſo auxilio deſtiterint. Igitur febrem, etſi finem habeat, diu perſequi, ipſumque corticem in longum vſque tempus continuare expedit, ſcilicet quo morbi reliquiae, quae corpori inhaerent, omnes expellantur. In hoc omnis curationis cardo vertitur. Nec purgantia medicamenta cortici aut admiſcenda, aut poſt eius vſum danda; purgante enim pharmaco febres exaſperantur, aut, quae deſiere, reuocantur. Hinc cortex ſemper meracus dandus eſt, ſi ſatis cognitum eſt, nihil impuri in corpore remanſiſſe et ſi coctionis ſigna praegreſſa ſunt.

P. 34. Vulgare eſt recidiuas febres eundem diem ſeruare, in quem, ſi absque adhibito auxilio continuaſſent, incidiſſent, potiſſimum quae proxime poſt curationem reuertuntur: at mirum eſt, poſt lon-

longum temporis interuallum, intra quod constituta perfecta valetudo esse posset, febrim in certum diem incidere, quod Noster saepius obseruauit, et vnusquisque experiri potest, dum dies numerauerit. Recidiuae semper febrem imperfecte sublatam supponunt, quantum autem corticis satis sit ad febrem omnino excutiendam, illud certo pondere circumscribi non potest. Grauidae mulieres si febre tentantur, citius auxilio adhibito sanari debent, vt quam primum bona valetudo iis contingat, et ne morbus prolem ipsam praecipitet. Quare expedit iis protinus auxilio dato succurrere multumque corticem Peruuianum mediis inter accessiones diebus dare, et excussa febre diu offerre: nec refert, si periculum vrget, aluus pharmaco purgata ante fuerit, nec ne.

Altero libro febres intermittentes pertractantur, p. 105.
quae incertae sunt et sub alterius cuiuspiam affectionis larua latent, quae caput occupat, aut in toto capite aut in parte intensum dolorem excitat. Dolor per certos circuitus modo occupat, modo iterum dimittit. Vbi autem certa accessionum tempora non seruat, debet per sudorem, vrinam, caeterasque notas cognosci.

Febris intermittens soporosa anno 1749 et 1750. grassante intermittentium epidemia, frequens fuit. Cardo omnis salutis in eo vertitur, vt medio inter accessiones tempore quamplurimum corticis offeratur. Vidit etiam Cl. vir oculorum inflammationem acutissimam febris intermittentis naturam habentem, cortice Peruuiano sanatam.

Febrem pariter cum pleuritide ex intermittentium classe Cl. vir obseruauit, difficulter admodum cognoscendam et soli cortici Peruuiano cedentem. Initium cum frigore et acuto lateris dolore fuit, quem calor

vrens, nauſea, ſitis excepit. Lingua arida, tuſſis acerba, ſpiritus difficilis, vigiliae, delirium ferox. Inter haec ſudor. Altero tertioue die alui profluvium, praecordiorum anguſtiae, corporis agitatio. Sputa copioſa, ſanguine liberaliter tincta. Notae autem pleuritidis, quae intermittentium febrium naturam habet et cortice debellatur, ſunt: horror longior, aut maius frigus, quam a quibus febres intermittentes oriri conſueſcunt, maior calor eum excipieos, vomitus copioſi, os amarum, lingua viſcoſa, ſudores copioſi ſine medicamento calefaciente dato, palpebrae ſubflauae, ſudores ingrati, ſubacidique, velut a febre intermittente odores, vrina rubra, dum friget, turbida, ſedimentum lateritium deponens, nullum ex communibus ad pleuritidem praeſidiis auxilium. (Attamen Cl. vir omnibus, quae de hac febre pleuritica fuſe dicit, non demonſtrauit, febrem intermittentem ipſi adiunctam fuiſſe. Expedita magis res eſt, ſi pleuritidem cum febre gaſtrica coniunctam ſupponimus.) Quae catarrhum ſimulat intermittens febris ſolo cortice Peruuiano ſanatur. Eaque catarrhalis febris ſub hecticae febris forma vtplurimum incedit.— Subinde tuſſis ſicca acceſſionem proxime antecedit et creberrimis inſultibus aegrum excruciat, donec febre exardeſcat. Iuuant quae febrim excutiunt, caetera vana ſunt. Suſpirare per certos circuitus, pectore grauari, laborioſe ſpirare, anhelare circa praecordia, palpitare cor, arteriarum pulſum frequentem habere, febrem intermittentem aſthmatis laruam habere indicat.

p 140. Similiter febris intermittens ſub vomitus, colicae, cholerae, arthritidis, paſſionis hyſtericae, convulſionum forma aliquando latet. Conuulſionibus pueri atque plethorici homines, vbi febre intermittente tentantur, inprimis obnoxii ſunt, iterumque,

vt

vt calor remittit, liberantur. Magis terret, vbi conuulſiones per certos circuitus prehendunt, at nulla tamen febris intermittentis ſuſpicio eſt. Tandem de febre intermittente phthiſin pulmonalem referente, de febre intermittente vt continua, ſeu de febre ſemitertiana, nec non de febre intermittente, quae vnica acceſſione abſoluitur, agitur.

Tertius liber morbos complectitur, qui febres p. 180.
intermittentes excipiunt. Hi aut certas quasdam partes occupant, aut toti corpori inhaerent. Tumido duroque poſt intermittentes ventri pueri magis, quam adulti, obnoxii ſunt. Vitium in liene reſidet, qui tumidus durusque eſt. Vidit Cl. vir poſt febrem intermittentem, quam magnae ſtaturae vir diu traxit, lienem omne illud abdominis ſpatium, quod diaphragma inter et criſtam oſſis ilei atque dorſi ſpinam et ventris albam lineam eſt, non ſolum impleuiſſe, ſed et ſuperaſſe. Hic tumor non omni periculo vacat, inprimis dum magnus et veteranus eſt, vbi integram curationem vix recipit. Curandus autem cortice Peruuiano eſt, propterea quod ortum atque incrementum a febre intermittente accepit. Nec aperientia medicamenta, nec vnguenta hic iuuant. Totus tumor ex corticis vſu ſenſim minuitur, et, dum non admodum antiquus eſt, perfecte reſoluitur, ita vt Noſter praegrandes lienis tumores hoc medicamento diu dato diſſipauerit.

Si miaſma ad iecur conuertitur, fomesque in p. 190.
hepate reſidet, febris ſimul et icterus excitatur, eodem modo, quo febres intermittentes, debellandus. — Vidit Noſter in muliere, quae aqua inter cutem ex febre intermittente laborauerat, in crurum cute maculas complures latas admodum varii coloris, vt pictam chartam marmori ſimilem referrent.

rent. In alio, excuſſa cortice febre, maculae plurimae petechiales, ſed ſine febre, obortae ſunt.

Hydrops poſt febres intermittentes pauperes atque infantes maxime male habet. Abſurdum eſt cortici Peruuiano hydropis culpam tribuere; is enim, ſi protinus adhibetur, hydropem cauet, et ſeum, qui eſt, pellit. Plura ſimul exempla hydropis poſt febres intermittentes, corticis Peruuiani ope depulſi enarrantur.

Menſtruus ſanguis ſi intra ipſam febrem intermittentem deficit, cortice Peruuiano vti conuenit; is enim, vt febrem pellit, ſanguinis exitum reſtituit. Vbi vero finita febre menſtrua deficiunt, iuuat, qui febris reliquias expellit, cortex Peruvianus. Eodem modo cortex Peruuianus haemorrhoidum fluxum, vbi ob febrem defecit, reſtituit.

Nutrices, ſi febre intermittente tentantur, lac amittere conſueſcunt, aut lactis vice ſerum tenue dare. Hae medicamentis febrem pellentibus, maxime cortice, curantur, caeteris non. Lochia ſuppreſſa a febre, dummodo febris cognitio rite capta fuerit, cortice reſtituuntur.

Nimias a febribus intermittentibus excretiones, ſudores copioſos, diuturnos, cum virium deliquio, alui profluuium, menſtruum ſanguinem aut puerperarum lochia nimis copioſa a febre, verbo omnes nimias a febre excretiones cortex efficaciter ſemper leuat, qui, ſi recte adhibitus fuit, lautum corporis habitum poſt ſe reliquit, fiſtulas, vlcera, gangraenam ſanauit.

Tandem quaeſtio, quonam tempore febrim excutere praeſtet, diſcutitur. In diuerſis autem corporis vitiis quum febris intermittens ſaepe proſit, ſaepe vero etiam noceat, vix vlla perpetua praecepta medicinalis ars in his recipit, ſed modo per

febrem ſanitas quaerenda eſt, inprimis ſi vetuſtus quidam morbus occupauit, in eoque febris intermittens ſpem curationis oſtendit; ſi vero ex ea nullus ſequatur profectus, aut noua vitia ſuccreſcere incipiant, protinus febrem cortice Peruuiano excutere expedit.

Inſperſae ſunt tractationi praeclarae, admodum et plurimum experimenti continenti, hiſtoriae morborum plurimae, quibus dicta ab auctore confirmantur. —

XXIII.

WENCESLAI TRNKA de KRZOWITZ *S. R. I. equitis medicin. Doct. in Reg. vniuerſ. Peſtienſi pathologiae prof. publ. ord.* hiſtoria cardialgiae, omnis aeui obſeruata medica continens. Vindobonae, literis Hörlingianis 1785. in 8v. 1 *Alph.* 2 *pl.*

Multum laudis promeruit olim in libris cogendis admodum induſtrius auctor ob hiſtoriam febrium intermittentium conſcriptam, qui primus eius labor, licet plurima in eo deſiderentur, reliquos tamen longe antecellit, ita, vt in poſterioribus operibus conſcribendis magis ad molem operum augendam, quam ad bonitatem et vtilitatem quandam operibus ſuis conciliandam, reſpexiſſe videatur. Nec fieri paene vllo modo poteſt, vt vir, cui alia inſuper negotia, eaque ſat temporis requirentia, demandata ſunt, decem annorum ſpatio octo morborum in iisque admodum difficilium hiſtoriam talem perſcribere poſſit, quae, titulo cuiuscunque libri indicante, omnis aeui obſeruata contineat. Perſcripſit enim hiſtoriam febrium intermittentium

anno

anno 1775. tetani anno 1777. diabetis anno 1778. cophoſeos anno 1778. amauroſeos anno 1781. leucorrhoeae anno 1781. febris hecticae anno 1783. ophthalmiae anno 1783. tympanitidis anno 1785. et cardialgiae hiſtoriam eodem anno editam. Quos libros, vt ipſe Auctor notat, ſequentur hiſtoria haemorrhoidum, rachitidis, ſpinae biſidae, enureſeos.

Licet laudis parum, vituperii ſaepe multum ii mereantur, qui ex libris pluribus nouum congerunt, omnemque operam non tam in cogitando, quam in congerendo, ponunt; hi labores tamen vtilitatem quandam habent, vſui quippe medicis inſeruientes, quibus aut libri deſunt, ex quibus auctor plurima hauſit, aut qui ob temporis anguſtiam congeſta legere, quam ipſi congerere in vſum ſuum, malunt. Talem vtilitatem, non eſt, quod laboribus Cl^i TRNKA penitus denegemus; ſed maiorem longe haberent, ſi cum maiori ſtudio collegiſſet, delectu diligenti habito inter vera falſaque, ſcitu digna, vtilia, neceſſaria, eaque, quae ſine omni vſu libri molem augent, ſi formulas medicamentorum longas vtplurimum, nec ſaeculo noſtro accommodatas, omiſiſſet, morborum, quas addidit, hiſtorias prolixas ex auctoribus in anguſtius ſpatium redegiſſet.

Definitione morbi tradita, genera ſtatuuntur cardialgiae a varia ſenſatione et a duratione, cardialgia, cardiogmus, cardiaca paſſio (quae vero longe alium morbum conſtituit a cardialgia plane diuerſum, quod non ex veteribus, ſed ex LUDOLFO, Noſter monuit) gaſtrodynia, pyroſis, ſiue ſoda, (quae etiam peculiarem morbum a cardialgia, quoad ſymptomata, longe diuerſum conſtituit.) acuta, chronica, continua, intermittens. Symptomata morbi ſatis bene expoſita ſunt, etiam ea, quae

quae a conſenſu neruorum pendent, plurima tamen omiſſa ſunt, vt totus morbus cardialgicus, qui a ſanguineis infarctibus ventriculi et ſuperioris inteſtinalis tubi pendet morbumque nigrum conſtituit, frequentiſſimum iis, qui ſedendo vitam tranſigunt, ſed a medicis parum hactenus pertractatum.

Cauſae proëgumenae recenſentur: haereditariap. 32.
labes, idioſyncraſia, hyſterica, hypochondriaca affectio, tumores vicini, xyphoides cartilago introvergens, ventriculi vitia varia, vt amplitudo vel anguſtia inſolens, ſitus praeternaturalis, accretio ad vicina, choledochus ductus ei inſertus, tumores, vlcera, caet. Occaſionales autem morbi cauſſae traduntur ex Auctoribus: ingeſta digeſtu difficilia, acria, tenacia, pinguia, terreſtria, nuclei, oſſa, metalla, frigida, flatulenta, ſpirituoſa, ſalina, aromatica, colluuies prauorum humorum, inſecta, calculi in ventriculo, animi affectus, grauiditas, calculi renum et veſiculae felleae, applicata externa, vulnera, metaſtaſes haemorrhagiarum ſuppreſſarum, ſcabiei, tumorum, arthritidis, rheumatiſmi, febres continuae, intermittentes, ob metaſtaſin, paroxyſmum.

Pernicies omnis cardialgiae in ſcirrhis, cancro, calculis eam inducentibus ponitur, de caeterarum cauſſarum pernicie nihil additum eſt, licet omnibus notum ſit, quantopere dirus hic morbus aegros excruciet, medicosque, qui in eo curando occupantur, exerceat. Nos ipſi cardialgiam longe plurimus ex cauſſis inſanabilem, lethiferamque vidimus. Sed Noſtri non eſt propriis vti oculis, ſed alienis niti obſeruationibus, quae omnes hunc morbum parum illuſtrant.

Effectus cardialgiae enarrantur: icterus, tabes, enſiformis cartilago introrſum flexa, ſtomachi vitia varia,

varia, corrugatio vel diſtentio, ſacci praeternaturales, gaſtritis cum ſequelis ſuis, carus.

Poſtea medendi methodus a pag. 180. vſque ad 342. fuſe traditur ex auctoribus congeſta.

P. 353. Adiectae ſunt operi hiſtoriae cardialgiae decem ex AMATI LUSITANI, ELIAE R. CAMERARII, LAURENTII HEISTERI, FABRICII HILDANI, W. TH. RAU, C. I. TREW et P. R. VICAT obſeruationibus deſumtae. Appendicis loco addita eſt ANTONII DE HAEN methodus medendi cardialgiis inveteratis, contumacibus, ab HERM. BOERHAAVIO accepta ex rationis medendi ſexta parte.

XXIV.

Der gemeinſchaftliche Kelch, nebſt einigen hiſtoriſchen und mediciniſchen Zweifeln. Ein Beytrag zur wohlgemeynten Ehrenrettung des Herrn Dr. TRALLES, *von Dr.* CHRISTIAN GOTTFRIED GRUNER. *Iena, bey Cuno's Erben* 1785. *in 8v. 5. pl.*

i. e.

De communis calicis in ſacra coena vſu, cum dubitationibus quibusdam hiſtoricis et medicis, Auctore CHRIST. GOTTFR. GRUNER.

Diſputauerat quaedam Illuſtris Auctor in libro: *Almanach für Aerzte und Nichtärzte*, de noxis ex communi calice in ſanos redundantibus, ſi morbis quibusdam contagioſis infecti, inprimis lue venerea, vinum ex calice praelibaſſent, ſanorumque ora labiaque locum infectorum ſaliua conſpurcatum foedatumque tetigiſſent, propoſueratque magis ex re fore talibus de rebus ſollicitis, ſi priuatim ſacra coena vterentur. Haec vero diſplicuere LESSIO, V.

Sum-

Summe Reuerendo, theologiae apud Göttingenſes profeſſori, qui publicum vſum ſacrae coenae eſſentialem eſſe perhibuit *), et TRALLESIO, venerando ſeni, qui eandem paene ſententiam defendit, et contagii vim per ſputa propagati, etiam in venereis morbis, penitus negauit **).

Ad hos viros, inprimis autem TRALLESIUM, confutandos Ill. vir hoc opuſculum conſcripſit, in cuius praefatione ſententiam verae ſane rationi et maxime venerabili religionis noſtrae inſtituto et Chriſti adeo menti accommmodatam tuetur, ſacrae coenae priuatum vſum in eodem, quo publicus, valore eſſe. In ipſo autem opere, pertractatis confutatisque plurimis, quae TRALLESIUS aut male, aut non accommodate ſatis ſcripſerat, contagium impurorum morborum per ſputa vlterius exponitur, illuſtratur. Primum quaeſtio diſcutitur, num morborum venereorum contagium per ſputa poſſibile ſit, eaque adfirmatur, ob ſpiritum, ſudorem, alui recrementa in venerea lue adfectis admodum foetentia, vocem raucam, ſaliuam etiam abſque mercurii vſu copioſius ad os fluentem, loca vicina occupantem eaque omnia loca foedantem.

Quibus omnibus hoc modo expoſitis, vt fides iis denegari non queat, altera quaeſtio excutitur, num infectio venerea per ſputa vere adſit. Negari certe non poteſt, corporis humoribus infectis venerea labe, eadem etiam ſaliuam infici debere, in primis quum malum maxime in faucium glandulo- p. 25.

ſis

*) In SCHLÖTZERI praeclaro opere: *Staatsanzeigen.*

**) In peculiari libello, cui titulus: *Die Ehre und Unſchuld des gemeinſchaftlichen Kelchs bey dem heiligen Abendmahl, gegen ungegründete Einwürfe und Bedenklichkeiten gerettet von Dr.* B. L. TRALLES. *Breslau.* 1785. *in* 8vo.

ſis partibus ſaeuiat. Hinc etiam omnes medici a cognito melius inde morbo contagium per ſaliuam pro certo et indubitato habuerunt, veteresque plurimi de lue venerea ſcriptores, quorum loca plurima citantur, oſcula vnanimi paene voce pro contagii propagati cauſa habuerunt. Vidit adeo Noſter in homine catarrho narium et faucium a morbo venereo reſiduo affecto ſputa tam foeda, vt canis, qui ea deuorauerat, in lentam cachexiam incideret. Denique luis venereae contagium, quod per mammas a nutricibus in pueros, et a pueris in nutrices propagatur, notum eſt.

p. 33. Quaeſtio tertia mouetur, num communis alimentorum et potulentorum vſus ex ſupellectile culinaria vaſisque, quibus lue venerea infecti antea vſi ſunt, ſputo venereo conſpurcatis ab omni ſuſpicione liber ſit. Quod negatur a quibusdam, affirmatur a pluribus. Nec obeſt adfirmantibus natura ſputi venereo miaſmate infecti, nec ſedes morbi a variis varie ſtabilita. (Nec experientia, ſumma in his rebus magiſtra, obeſt: vidimus enim morborum venereorum contagium manifeſtum ex communi vaſe, quo ruſtici ad potum vtuntur.)

p. 48. Denique vltima quaeſtio adfirmatur, verum videlicet contagii metum ſubeſſe, dum in ſacrae coenae vſu quidam ea vtuntur, quibus fauces ex venerea labe affectae ſunt. Non enim poſſibilis eſt vel leuiſſima potulenti cuiusdam guſtatio, niſi vaſe labiorum internae ſuperficiei ſic applicato, vt lingua id contingere poſſit. Nec, licet contagium perfectum raro hoc modo in alios tranſeat, adeo optabile eſt, efflorescentiis venereis in ore, a communi potulenti vaſe, corripi. — —

XXV.

Die Eispflanze als ein faſt ſpecifiſches Mittel empfohlen von Dr. IOHANN WILHELM FRIEDRICH LIEB, *Königl. Pohlniſchen Hofrath, der gelehrten Geſellſchaft in Frankfurt an der Oder Beyſitzer und Practicus in Mitau. Hof, im Verlag der Vierlingiſchen Buchhandlung.* 1785. *in* 8. 16 pagg.

i. e.

Meſembryanthemum cryſtallinum paene ſpecificae ad inſtar medicinae commendatum, Auctore IO. GUIL. FRIDER. LIEB.

Planta a nemine hactenus ad medicos vſus commendata eo maiorem attentionem meretur, quoniam Cl. Auctor libelli huius eam nunquam ſine praeſentaneo ſucceſſu adhibuit, eaque aegrotantium quorundam mala velut enſe reſcidit. — In bilem potiſſimum agit, omnesque veſicae vrinariae et viarum vrinariarum morbos. Adhibuit eam Auctor ad infarctus pituitoſos abdominis, vrinam retentam et cum dolore decedentem, veſicae vrinariae ſpaſmum et conuulſiuam tuſſim cum optatiſſimo optimoque ſucceſſu. Lotium potenter depulit, idque ſtatim poſt adhibitam hanc plantam ſedimentum depoſuit, doſi admodum parca data: vbi vero maiori copia dabitur, lotium potentius ſquilla marina et aliis potentibus medicinis pellet. — Morbis inprimis aduerſatur bilioſis, aeſtivis, nec non iis, qui a bile in corpore oberrante, craſſa, tenaci, nigra, inerti, translata ad partes alias et non rite ſecreta pendent.

Exempla allata docent, medicamentum expreſſi ſucci forma cum anima rhei datum depuliſſe in-

ſarctus ſanguineo-bilioſos abdominales admodum rebelles, veſicae vrinariae intenſum ſpaſmum cum ſymptomatibus abortum praeſagientibus coniunctum, tabem cum vrinae difficultate a febre bilioſa in puerpera male curata, et tuſſim convulſiuam.

XXVI.

Diſſertatio inauguralis medica ſiſtens obſeruationes practicas circa vſum belladonnae in melancholia, mania et epilepſia, quam pro gradu Doctoris — publice defendit IOANNES HENRICUS MÜNCH, Cellenſis. Göttingae 1783. 4.

Non is finis fuit Nobiliſſimo auctori, ſumme reverendi patris, in belladonna ad varios morbos adhibenda feliciſſimi, filio, vt belladonnam ceu ſpecificam ad melancholiam, maniam, et epilepſiam medicinam commendaret, verum potius vt exemplis copioſis oſtenderet, in hac medicina ſummam curandi efficaciam, latente etiam incognitaque ſubinde penitus horum morborum cauſſa, latere. Ne limitibus ſuis circumſcriptum opuſculum mole excederet, eas tantum hiſtorias perſcripſit, in quibus curationis euentus felix fuit.

Felix autem belladonnae ad melancholiam, maniam et epilepſiam vſus ideo fuit, quod haec planta cauſſis horum morborum reſponderit. Reſolvens quippe belladonnae vis inſignis ineſt, ipſeque Nob. Auctor teſtis eſt, patrem venerandum magnum aegrotorum numerum ab ingentibus ſcirrhis ea feliciter liberaſſe. Ipſe Auctor eadem medicina a tumore ſubaxillari poſt morbillos orto feliciter libera-

beratus eſt, qui cicutae et aliis fortioribus medicinis non ceſſerat. Mire etiam obſtructiones in internis viſceribus expedit. Icteros pertinaces hac planta breui tempore MURRAY, V. Ill. ſanauit.

Praeter narcoticam vim inſignes quoque vires poſſidet excretiones omnes promouendi, ſudorem, vrinam, alui fluxum, ſaliuam, menſtruum fluxum, vt adeo peculiari vi in vterum agere quidam putent. Datur etiam inſigni cum ſucceſſu in morbis a materiis morbidis, exanthematibus retrogradis oriundis. Propter reſoluentem autem vim belladonna in melancholia, mania et epilepſia ab infarctibus et obſtructionibus in viſceribus internis pendentibus, inprimis ſi a ſpaſmis obſtructiones ortae ſunt, maxime valet. Ob narcoticam, neruos lenientem virtutem planta in his morbis adhibenda eſt, ſi de cauſſis immaterialibus tales adſunt, quae ſenſorium commune ſubito turbant, quo in caſu tranquillitatem eodem modo, quo opium, reſtituit. Ob vim, qua dolores mitigat, in omni epilepſia a nimio dolore orta danda eſt, nec non in omni mentis alienatione tali, vbi aegrotantes circa vnicam ideam delirant. In omni etiam caſu, vbi hi morbi a retrograda materia morbida, aut ab intercepta excretione quadam orti ſunt, ob expellentem vim admodum conuenit. Quin imo medicamentum eſt vbique in his deſperatis morbis adhibendum, ſi ab aliis medicinis nullum auxilium eſt, nec morbida cauſſa detegi poteſt.

Formam medicamenti quod attinet, puluis herbae vel radicis extracto praeferendus eſt, cui videlicet ignis partium volatilium et efficacium copiam maximam abſtulerit. Praeferenda autem eſt in exhibenda belladonna methodus, qua planta ſat magna doſi ingeritur, quum, ſi minori exhibetur, corpus facile medicamento adſueſcat. Eaque ex

nobiliſſ. Auctoris mente cauſſa fuit, quare GREDING, vir quondam Cl. tam raro hoc medicamento morbos curauerit, praecipue quum extractum minima doſi ingereret.

Obſeruationum partem ſatis magnam hae efficiunt, quas pater Auctoris Ipſi communicauerat, quarum epitomen, omiſſis aliis omnibus, exhibere lubet. Leuauit et ſuſtulit belladonna melancholiam a fluxu menſtruo praeter naturam emanente oriundam, eundem haereditarium morbum, alium in vidua 48 annorum a fluxu menſtruo ceſſante forte oriundum, pluresque alias melancholias aut ab interceptis euacuationibus, aut ab aliis cauſſis vix cognoſcendis ortas. Maniam ſuſtulit a moerore nimio ob denegatum matrimonium cum viro valde amato, ortam. Suſtulit etiam hunc morbum ſaepius, cauſſa illius latente.

Epilepſiam ſuſtulit in puella a praeceptore in ſchola male verberibus tractata indeque epileptica, quae iam per ſex annos epilepſia laborauerat. Alia epileptica ex menſtruo fluxu intercepto, reſtituto eo, ſanata eſt. Suſtulit idem medicamentum epilepſiam ab ira, terrore, poſt morbillos, a vermibus, oriundam. Suſtulit etiam eundem morbum a tinea capitis retropulſa et a materie varioloſa in corpore reſidua oriundum. Puerum denique ab obſtructionibus viſcerum internorum ex longo tempore epilepticum idem medicamentum, adhibitis ſimul euacuantibus, feliciter reſtituit.

XXVII.

Diſſertatio anatomico-chirurgica de cirſocele, quam praeſide ADOLPHO MURRAY — pro gradu

gradu Doctoris publice defendit *Gabriel Bonsdorff*. Vpſaliae, 1784. 40 pagg. 4.

Quaeſtionem inprimis enodandam propoſuit Cl. Auctor, vtrum cirſocele a venis ſpermaticis tumefactis, quae Celſi mens fuit, aut potius ab epididymide turgida et diſſoluta, ducat originem, quae diſquiſitio, quum vtraque opinio argumentis ſpecioſis nitatur, eo difficilior eſt, quo rarius accidit, vt hic morbus ſine vlla complicatione, a primis ſuis originibus, per omnia ſua ſtadia obſeruetur.

Quum autem Cl. MURRAY, doctiſſimi huius opuſculi, quo difficili huic morbo plurimum lucis affunditur, auctor, aegros hoc morbo laborantes aliquot viderit eorumque curationi operam dederit, praemiſſa deſcriptione anatomica funiculi ſeminalis et teſtis ex ſummae famae anatomicis deſumta, in natura morbi enodanda et curatione ſtabilienda vberiorem operam collocat.

Licet autem de tumoris natura et vaſculorum p. 12.
mutatione tali, vt hunc morbum conſtituat, inter chirurgos nondum certe conſtet; ſingulare tamen morbus genus conſtituit, quod in ſpecies varias, varicocelen, cirſocelen et ſpermatocelen, ex ſede in primis affectionis, diuiſum eſt, quam vero diviſionem Cl. Auctor cum recentioribus chirurgis, SHARPIO praeſertim, reiicit. Vaſculorum eſſe congeriem, quae maſſam formant ramicem conſtituentem, primus rei adſpectus demonſtrat. Venis generatim tumoris origines a multis adſcribuntur, at docent obſeruationes, morbum, dum in grauiori ſtatu latius diuagatur, ipſum epididymidis ac deferens vas ſimili quo venas modo adgredi, hisque partibus tumentibus tumoris molem admodum augeri, indeque quidam hunc morbum non vena-

rum, ſed epididymidis et teſtium proprie eſſe putarunt.

p. 19. Quae omnia in diſquiſitione decurſus et ſedis morbi vberius exponuntur. Primos ſuos natales tumor prope ipſum teſtem, in ſpermatici funiculi vltimo fine habere ſolet, tumore ſenſim, prout augetur, adſcendente. Incrementum tumoris vix limitatur, temporis progreſſu creſcentis, at herniae complicatae, elapſis inteſtinis omentoue, metus non eſt, praecluſo quippe a tumido ramice annulo. Sinister funiculus hoc morbo frequentius corripitur, in omnibusque caſibus a Cl° Auctore viſis in ſiniſtro latere morbus fuit. Tumor, prout augetur, epididymidi et teſti vim infert. Succeſſiue ſcilicet illius fabricam, vaſa eius euoluendo ipſa, ſurſum trahit, illamque priori maſſae ita immiſcet, vt limites inter illam et funiculum diſtingui amplius nequeant. Non autem vas ipſum deferens a funiculo iam receptum, totaque epididymis, ſed media eius portio cum cauda intumeſcit, vaſis eius venoſis ſubinde cum altero ſpermatico vaſe euolutis, caput autem epididymidis multo diutius, forte etiam ſemper intactum manet. Teſtis etiam, comprobata a ſummis viris experientia, contabeſcit. Obſeruauit etiam RICHTERUS V. Ill. ſub augmento mali vaſcula ſpermatica teſtis carnem formantia craſſiora fieri, tumque ex tunica albuginea velut extrahi atque epididymidis vaſculis adiungi, albuginea demum ſaccum velut inanitum formante, indeque ſedem morbi in epididymide et teſte, affecto ſecundarie funiculo, ponit.

p. 20. Sed grauia et vix confutanda ſunt argumenta, quibus Ill. Auctor ad antiquam de funiculo ſpermatico in hoc morbo primarie affecto ſententiam reducitur. Ipſe enim cirſocelen vidit ſine vlla teſticulo eiusue appendicibus iniuncta labe, incipientem,

tem, paucorum tantum menſium. Limites inſuper tumoris non adeo circumſcripti ſunt, vt ſuperiorem teſtis oram tantum occupet, ſed ad teſtis ſuperficiem, vaginalem tunicam, ab initio ſaepe ſe extendere ſolet, vbi tamen eas partes tantum arripit, quae vaſa genituram ducentia plane excludunt. Haec vero tumoris particula a ſuperiore nullo modo differre videtur. Genituram ducentia vaſa tunc tantum in conſortium trahuntur, quando maiorem molem tumor acquiſiuit, vel ab initio rapidiſſimos progreſſus fecit, quibus tota fabrica a violentia cauſſarum agentium deſtrui videtur, vel quando, ob ſanguinem inſolita copia aduectum, inſolita geniturae copia generatur, quae per anguſtata a varicoſis venis vaſa reduci commode nequit. Caeterum Ill. Auctor in cadaueribus, quorum epididymides ſolito maiores et flaccidae fuerunt, venas turgidas vidit, cauſſam ſine dubio ſpecialis huius laxitatis. Teſticuli autem, cuius funiculus cum epididymide hoc modo adfectus eſt, contabeſcentia inde deducitur, quod teſticuli venae, intercepto ob compreſſionem ramorum a varicibus ſanguinis ex iis recurſu, varicoſe dilatentur tantopere, vt in ipſo teſticuli ambitu contineri nequirent. Moles etiam ſuperimpoſita vaſa teſticulum nutrientia, arterias tantum comprimere valet, vt denegato penitus ſucci nutritiui accurſu, teſticulus contabeſcat. Quibus omnibus argumentis teſtimonia ſummorum virorum, MORGAGNII, I. L. PETIT, aliorum accedunt, eadem obſeruatione ſua ſatis fida comprobantium, ita vt ſedes morbi in vaſis venoſis funiculi ſpermatici, epididymidis et teſtis ſit, et ſi quando vaſa ſeminalia dilatantur, morbus cum ſpermatocele complicetur.

Cauſſis morbi expoſitis, in quibus ſingulari et eminenti partium verendarum laxitati, debilitati, p. 29.

caet. plurimum tribuitur, ſymptomata ſecundum theoriam, nouis et ſatis ſpecioſis firmisque ſimul argumentis ab auctore ſtabilitam, explicantur. Dilatatio vaſorum ex corporis pampiniformis ſtructura explicari facile poteſt. Aequalitas dilatationis in his vaſis a valuularum raritate et peculiari ſtructura explicanda eſt, qua efficitur, vt etiam anatomica iniectione deorſum propulſus humor vaſa, non impeditus a valuulis, repleat. Quod turgidum vaſculum a compreſſione nec ſurſum nec deorſum dilatetur, a crebris admodum vaſorum funiculi communicationibus explicatur.

p. 32. Facillime autem hallucinantur medici ramicem cum antiqua omenti hernia confundentes; in hac enim ſymptomata cum ramice aequalia ſunt, ſi omenti venae in morbo veteri intumuerunt omentumque funiculo ſeminali adnatum eſt. Nec in hoc caſu celeberrimos viros in obſeruando ſagacitas ab errore liberauit, deluſos a ſimilitudine: firmum tamen quodam modo iudicium de vera morbi indole ferri poteſt, ſi vnus tantum funiculus fartus atque turgidus, ſi morbus ſine violentia externa obortus eſt, ſi initium prope teſticulum ſumſit, illumque, auctus ſenſim ſurſum, verſus annulum traxit. Tandem dolor in ramice ad renes producitur, epididymis interdum diſſoluitur, teſtis tandem extenuatur. Creſcit inſuper tardiſſime ramex, ita vt in viro per viginti annos hoc morbo laborante tumor parum auctus fuerit. In omenti autem hernia morbus citius augetur. Hydrocele funiculi ſpermatici quoad ſigna ſua cum ramice ex omni parte conuenit, excepto tamen eo, quod ramex, aegro ſupino decumbente, decreſcat, hydroceles vero tenſio ſitus mutatione non pariter mutetur. Fluctuatio, morbo grauiore exiſtente, demum percipitur. Spermatocele, ſi cum ramice coniuncta

eſt,

eſt, non facile cognoſcitur: Verum coniunctio horum morborum maiorem quidem deſtructionem partium indicat, indicationes vero curatorias non mutat. — Complicatus ramex cum aliis herniis ſpecialem curam non requirit, raro quippe ad inſignem molem creſcens et cum primario morbo plerumque cedens. Si venoſa vaſa ſimul tumeſcunt et indurantur, triſte vtplurimum praeſagium eſt.

Difficilis admodum et ambiguus curationis huius morbi ſucceſſus eſt, interdum ſorti magis, quam arti, adſcribendus. Si enim obſtacula, quae humorum refluxui obſtant, tolli nequeunt, aut inſanabilis relaxatio eſt, medicamenta optatum ſucceſſum non habent. Si humores nimis magna vi ad verendas partes propelluntur, quae humores ad alia loca dueunt, minuunt, et eorum influxui in affectas partes reſiſtunt, adſtringentia fomenta conveniunt. Si debilitas ſolidarum partium vniuerſalis in cauſſa eſt, ſtimulantia et tonica interne et externe adhibenda ſunt. In externis medicinis princeps eſt aqua frigidiſſima impoſita. Si ſanguinis reditus ab obſtructis abdominis viſceribus praepeditur, aperientia tentanda ſunt. Morbus ab aluo nimis tarda, haemorrhoidibus interceptis ortus, ſuis remediis curatur. Qualiscunque tamen cauſſa ſubſit, ad corporis diſpoſitionem generalem ſemper omni diligentia reſpiciendum eſt. p. 36.

Cauteria actualia, potentialia, cultri chirurgici vſus, quo venae tumentes inciduntur, vt ad cicatricem perductae maiorem firmitatem nanciſcantur, damnanda ſunt, ſi et ſucceſſum quendam nonnunquam habuerint, tribuendum potius ſorti coecae, quam arti chirurgicae. — De caſtratione ſpes eſt, vt cum ea morbus penitus tollatur. Sed quum cruciatus atroces morbus raro excitet, ad

vltimum hoc auxilium confugiendum eſt, dum morbus, ne in cancrum degeneret, iuſtum metum excitauerit.

XXVIII.

De ruptura cordis — praeſide ADOLPHO MURRAY — progradu Doctoris diſſerit *Petrus Guſtav Tengmalm.* — Vpſaliae. 1785. 28 pagg. 4.

Rarus ex omni parte morbus eſt nobiliſſimo auctori a Clariſſimo viro, GAHN, collegii medici Stockholmienſis aſſeſſore, communicatus, quo vir excellentiſſimus, militiae deditus, demum occubuit. Dolor violentior, acutus premensque medium pectus occupans et ad brachium ſeſe extendens illum repente inuaſit, ceſſans ſubito, aqua frigida hauſta. Rediit circa meridiem, eadem die idem dolor, ſed non perdurans. Nocte ingruente pectus iterum et intenſius adfectum eſt, vt intolerabiles aeger cruciatus ſentiret. Malum flatum pellentibus medicinis ſedatum eſt. Rediere per dies aliquot cruciatus intenſiſſimi ſaepius, in ſiniſtro inprimis pectore fixi, reſpirationem et pulſum non turbantes. Euacuantia, carminatiua, antiſpaſmodica, leuaminis quid adferre viſa, aucta tamen tertio die morbi oppreſſio et anguſtia pectoris, ſputaque tuſſi eiecta ſanguine tincta. Ob celerem pulſum et pectoris oppreſſionem vena aegro in brachio tuſa eſt. Sanguis expedite profluxit: at detractis quatuor vel quinque vnciis aeger, qui nullam adhuc a ſanguine detracto debilitatem ſenſerat, collapſis ſubito viribus ſyncope adfectus palluit, liuore obductus eſt, et inſpirato aliquoties celeriter aëre animam efflauit.

Inciſo

Inciſo cadauere, pericardium ſumme turgidum p. 10.
et colore profunde caeruleo tinctum cor a morbi vi ſciſſum eſſe ſtatim probauit. Diſciſſo pericardio, totum cor vndique cruore et ſero duarum circiter librarum menſura circumfuſum deprehenſum eſt. Sciſſura autem in ſiniſtro ventriculo inuenta eſt, pollicis longitudine, inter apicem et auriculam poſteriorem, in aequalibus oris. Carnea cordis ſubſtantia in hoc tractu multo tenuior, quam ſolet, et obſcuri coloris, veluti gangraena corruptum locum prius occupaſſet. Caeterum in corde et pulmonibus nihil praeter naturam. In cordis et maioribus vaſis aliis nil fuit, quod ſanguinis curſui inhibendo par eſſet.

Inflammati cordis ſuſpicionem mouit intenſiſſi- p. 12.
mus dolor, at idem dolor tantopere remittens, vt ſanitatis ſpes adfulgeret, cordisque adeo externus habitus nulla adipoſa craſſaque membrana obducti, quam inflammatum cor ſemper exhibet, eandem ſuſpicionem adeo infirmarunt, vt pectorali angina aegrotum laboraſſe magis credibile ſit. Cuius anginae pectoralis proxima cauſſa in ſpaſmo ponitur, adeo vt Cl. Auctor morbum cordis ſpaſmum aliquo iure adpellandum putet. Spaſmo illi arthritica materia ad pectus delata frequentiſſimas origines praebet, quae et in aegro neruorum vaſa violenter adfecit, et irritatione ſpaſmum cor demum ſcindentem induxit. Spaſmus autem ſupponitur ab Auctore non totum cor occupans, ſed fibras quasdam, aliis in contractionis intenſiſſimae, aliis in relaxationis ſtatu permanentibus. Doloris maxima pars neruorum conſenſui tribuitur. — Tandem exempla cordis in variis locis ſciſſi ex probatiſſimis auctoribus copioſe exponuntur.

XXIX.

XXIX.

Diſſertatio chirurgica de tumoribus ſaliualibus, quam praeſide ADOLPHO MURRAY pro gradu Doctoris defendit *Ioannes Guſtauus Loain.* Vpſaliae 1785. 24 pagg. 4.

Tumorum ſaliualium ſpeciem vnicam chirurgi plerique deſcripſerunt, ranulam ranamue, at recentiorum obſeruationes docuere, ductibus glandularum ſaliualium dilatatis hoc tumoris genus formari, idque in quauis oris regione, hos glandularum meatus recipiente, enaſci. Stenonianus ductus, ob expeditas vias, raro intumeſcit, frequentius Whartonianus, inprimis ob arctius oſtii lumen, quam ab amplo hoc vaſe exſpectaſſes.

Quorum tumorum habitus is eſt: Oboritur, ſine multo dolore, in oris cauo tuberculum tenſum, ſed digiti preſſioni aliquantulum cedens, mobile, frigidum, aquoſum. Tenſionem elaſticam citius ſeriuſue perdit, huius loco mollitiem acquirens tenacitate ſingulari iunctam, vel lapideam duritiem. Superficies tumoris partesque adiacentes vel oedemate, vel inflammatione corripiuntur, haec vero ſymptomata tumori eſſentialia non ſunt, ſed conſecutiua potius. Si antiqui tales tumores irritantur, cum dolore in ſcirrhos ſubinde tranſeunt. Nonnunquam minores maioribus longe acerbiores cruciatus excitant, ob partes, quas occupant, magis irritabiles.

Forma tumoris admodum varia eſt. Si liquidus humor in eo continetur, cylindrum aequat, aucto morbo ſphaericam, poſtea oualem figuram recipit, ad partium adiacentium formam. Materia etiam in tumore, veluti ſacco, incluſa etiam admodum varia eſt. Differt admodum quoad colorem,

rem, albuminoſum tamen vtplurimum habet, ipſa etiam conſiſtentia albumini mucoue proxime accedit; quo autem diuturnior eſt morbus, fluidum eo magis ſpiſſeſcere ſolet. In ranula inciſa humoris vitrei, pultis, calcis viuae exſtinctae firmitatem habuit. Copia humoris in his tumoribus contenti ſubinde tanta eſt, vt loci capacitatem longe ſuperare videatur. Symptomata ſecundum locum, quem occupant, varia ſunt. Qui in buccis reſident, maxillae motui obſunt, pluraque ab irritatione incommoda inducunt. Sublingualem locum occupantes linguae motum intercipiunt.

Didicit autem nobiliſſimus Auctor accuratiori p. 9.
examine, in horum tuberum ſuprema ſuperficie non raro aperturae cuiusdam qualecunque veſtigium detegi et in nonnullis hoc perfecte clauſum et quam maxime deletum videri, in aliis autem per illud minorem ſtylum ad ipſum tumoris cauum propagandum adhuc duci poſſe. Cognoſci tamen oſtii rudimenta nequeunt, ſi ductuum extrema a vitae initio imperuia fuere, quo in caſu natiua ranula naſcitur, cuius caſum VOGELIUS obſeruauit.

Duplex horum tumorum genus chirurgi plurimi ſtatuunt, alterum in ductibus ſaliualibus reſidens, alterum extra ductum, tumorum cyſticorum more, in tela celluloſa formatum, ſed dubium eſt, quin vere cyſtici tales tumores exiſtant, quum in Whartoniani ductus loco frequentiſſime naſcantur, ipſaque fabrica declaret, receptaculum quoddam prius exiſtens intumuiſſe. Nulla inſuper ſanationis ſpes eſt, niſi fiſtuloſo oſtio in inciſo tumore remanente, quod ſaliuam tranſmittat. Formam adeo ſuam a tumoris longitudine induunt, rotundis a breuioribus ductibus originem petentibus. Si tenuior ſaliua per anguſtatum oſtium defluit, tumor durior exiſtens tardius augetur.

Cauſſa

p. 14. Cauſſa ſaliuae vitio cum veteribus tribuenda, et atoniae canalis ſpeciali. Saliua, mutatione praeternaturali, interdum ad concretiones formandas admodum procliuis fit, in eoque caſu efficaciſſimam harum concretionum cauſſam conſtituit. Plurimum forte etiam ad morbum confert ſpecialis lymphae ſpiſſae ad glandulas ſaliuales affluxus, et peculiaris ſaliuae lentor a ſpiſſitudine lymphae inductus. Obſeruantur hi tumores in quauis aetate, ſed ob abundantiam ſaliuae, corporis laxitatem, canales nimis arctos, praecluſos, pueri maxime his tumoribus infeſtantur. Efficaciſſima occaſionalis morbi cauſſa inter alias frenuli lingualis artificioſa ſolutio eſt, qua ſimul ductuum ſaliualium ora ſauciantur.

Diagnoſi et prognoſi traditis, ad curam tranſitus eſt. Si mitiora remedia, inprimis conſtringentia, curam abſoluunt, credibile eſt, parietes ſacci iis ita indureſcere, cauumque adeo coarctari, vt humor tranſiturus poſtea ibi accumulari non poſſit. Quando vero fortiora in vſum vocantur, vehementer conſtringentia, exedentia, adurentia, ſaccus inde tumeſcit, corrugatur, corroditur, demumque plane deſtruitur, ea vlceris parte, quae intacta permanſit, dum vlcus coaluit, ſaliuam tranſmittente. Eiusmodi vlceris reliquias pro fiſtulis multi habuere, et earum ſanationi, at in caſſum, operam dedere.

In iuſta ranulae curatione, ſi ſaliuae tenacitas aut acredo eminet, medicamenta, quae hunc praeternaturalem ſtatum tollunt, certe danda ſunt. Si vitium in ductu eiusque oſtio latet, alia in recente, alia in antiquo morbo, alia vbi hiatus tantum coarctatus, alia vbi concretus exiſtit, medendi methodus adhibenda eſt. Occluſo naturali oſtio, ab inciſione tumoris curatio incipienda, in eoque caſu

minor

minor plaga ſufficit. Si prioris oſtii veſtigia obuia ſunt, dilatatio ductus immiſſo ſtylo tentanda eſt, vt naturali via humor educatur. Talia vero in ductibus ſaliualibus maioribus, Stenoniano et Whartoniano, tantum locum habent. Omnes alii, niſi adſtringentibus collationibus cedant, incidendi ſunt. Quo maior ſacci ambitus, eo longius inciſio producenda eſt, per totam eius longitudinem. Expeditque labia ſacci inciſi nimis propendula enſe reſcindere, poſterior vero ſacci paries cauſticis deſtruenda non eſt. In pueris vero, quorum ranulae congenitae vtplurimum ſunt et ab oſtio ductus deficiente profectae, inciſio ſemper quidem inſtituenda eſt, quippe a qua ſola mali curatio exſpectari poſſit, at ob ſanguinis profluuii metum, ex venis arteriiſue ſimul inciſis, qui in pueris ad fletum procliuibus, ſugentibus, admodum magnus eſt, minor partium ſectio ſemper tentanda eſt, quo videatur, an ea ſola proficiat, rigoroſior medicina ad maturiores annos differenda. — Operatione ad finem perducta, os adſtringentibus colluere frequenter conuenit, inprimis corticis Peruuiani et granatorum decocto. Cauſtica et catharctica in plerisque caſibus ſuperflua penitus ſunt. Expedit autem ranulas omnes, quae cancri ſuſpicionem mouent, non attingere, ne calamitatibus variis antea vexatus aeger medela adhibita nouis et multo grauioribus infeſtetur.

XXX.

Nouveaux Mémoires de l'Academie de Dijon, pour la Partie des ſciences et arts. Second Semeſtre, CIↃIↃCCLXXXII. A Dijon, chez Cauſſe, 1783. 8. pagg. 238.

i. e.

i. e.

Noui Commentarii Academiae ſcientiarum et artium Diuionenſis. Semeſtre ſecundum.

p. 1. I. *De lixiuio, quod a nitri cryſtalliſatione ſupereſt, ea ratione ſaturando, vt neque febrifugum ſal nitroſis cryſtallis ſe immiſceat, neque maior alcali vegetabilis portio addatur, quam quae nitroſo lixiuii acido in medium ſal commutando par ſit*, auctore DE MORVEAU. Abundat hoc lixiuium non ſolum terreſtribus quibusdam ſalibus, quae in deliquium admodum prona ſunt, ſed pinguem pariter materiem, quae lutei lixiuii coloris cauſa eſt, et quandoque etiam aliquid ſelenitae, vitriolati tartari, ſalis communis et nitri crudi continet. Huius autem medii ſalis, quod ex vegetabili alcali et nitroſo acido conſtat, cryſtalliſatio cum deliqueſcentibus illis ſalibus, tum pingui materie impeditur, quare conuenit, vt, ſi et hoc ſale, et vero etiam nitroſo acido, quod terreſtribus ſalibus ineſt, potiri velimus, illud a peregrina materie ſeparemus, hoc autem in neutrum ſal conuertamus. Et quod ad pinguem ſubſtantiam attinet, ea repetita cryſtalliſatione, aut exſiccatione atque calcinatione, aut forte etiam expoſitione lixiuii per diuturnum tempus in eiusmodi locum, in quo libero aëri ad illud aditus pateat, prorſus deſtrui poteſt; terreſtria autem ſalia, quae ex magneſia ſalita, ſale ammoniaco fixo, nitro calcareo et magneſia nitrata vtplurimum compoſita ſunt, et quandoque etiam terrae aluminis vtroque minerali acido ſaturatae aliquam portionem admixtam habent, haud facile videntur a ſe inuicem ita ſeparari poſſe, vt nitroſo tantum acido potiamur. Nam, ſi, quae vulgaris methodus eſt, alcalini ſalis ſolutio lixiuio matri, eique diluto affundatur, haud ſolum

ſolum a nitri ſpiritu, verum etiam a muriatico acido terra ſeiungitur, lixiuumque ſal vtrique acido nubit, et nitroſis non minus, quam ſalinis (ſal. digeſt. *Sylu.*) cryſtallis progignendis materiem ſuppeditat: quare hunc morem ſane non dignum eſſe, quem imitemur, patet. Videtur potius ea ratio, quae Noſtrum auctorem habet atque ſuaſorem, artificibus commendanda eſſe, qua quippe hoc obtineatur, vt ea tantum alcalini ſalis portio impendatur labori, quae ſaturando nitri acido conueniat. Atque haec quidem methodus, quae certis nititur atque indubitatis experimentis, verſatur in hoc, vt primum diluta plumbi in aqua forti ſolutio alicui lixiuii matris portioni guttatim affundatur, donec nulla amplius praecipitatio locum habeat *). Ita magneſia et calcarea terra, a quibus plumbi ſoluti ope muriaticum acidum liberatur, nitri ſpiritui nubunt, quo plumbum antea erat diſſolutum, ipſum autem hoc metallum cum muriatico acido init coniunctionem et ſal ſaturni cornei nomine ſatis cognitum ſiſtit, quod deinde filtri ope a ſupernatante lixiuio ſeparatur. Iam, hoc labore rite peracto, reſtat, vt hoc lixiuium alcalino fixo ſale ſaturetur **), et copia alcali, quae ad hunc finem neceſſaria fuit, accurate computetur. Addendum itaque omni lixiuio matri, eique multa aqua diluto, tantum eſt alcalini ſalis, quantum nitroſo illius acido P. 7.

*) Si forte hoc lixiuium ita concentratum eſt, vt terreſtris materiei praecipitatio obſeruari recte nequeat, diluere illud exigua aquae portione conuenit; neque vero nimium aquae addi debet, ne ſaturnus corneus ſoluatur rurſus atque euaneſcat.

**) Tincturae heliotropii quibusdam guttis lixiuio matri affuſis certior reddi poteſt artifex, vtrum ſatis alcalini ſalis additum ſit, nec ne.

do in neutrum ſal commutando par ſit; nam cum ſciamus, quantum nitroſi acidi in plumbi ſolutione inſuerit, determinare etiam rationem poſſumus, quae inter idem acidum et reliquas partes in data quadam lixiuii matris portione locum habeat, cet. Salinum ergo acidum hac ratione non ſeparabitur a terreſtri materie, nitroſum autem in perfectum medium ſal abibit, quod inſpiſſatione et cryſtalliſatione a reliquo lixiuio ſeiungi facile poteſt. Ceterum hanc methodum qui accuratius noſcere cupiant, Auctorem ipſum conſulant neceſſe eſt, qui in hoc, cuius recenſum dedimus, commentario
p. 16. vberius de ea retulit, in ſupplementis vero, quae ipſi addita ſunt, ſua praecepta breuiter repetiit, eaque experimentis quibusdam egregie illuſtrauit, vt eiusdem excellentia abunde pateat.

p. 26. II. *Obſeruationes practicae, quibus efficacia atque virtus naphthae vitriolicae cum ſpiritu terebinthinae mixtae in colica a biliariis calculis producta demonſtratur*, auctore DURANDE. Mentionem nuper *) huius, vt videtur, admodum efficacis medicinae iniecimus, et, quae Noſtro de ea placuerunt, cum lectoribus communicauimus; reſtat proinde, vt obſeruationum, quibus aſſertis fidem facere DURANDIUS ſtuduit, vnam, alteramue breviter commemoremus. Femina annos nata ſexaginta, quae a duodecim inde annis hepatica colica laborauerat, eamque depellere multis medicamentis fruſtra operam ſibi dederat, menſe martio anno ſupra milleſimum ſeptingenteſimum ſeptuageſimo quarto, cum euacuante medicina vſa fuiſſet, graviſſimis quibusdam ſymptomatibus erat expoſita, ita vt rurſus a ſalutari arte aduerſae valitudinis auxilia quaereret. Cum Noſter eam conueniſſet et

*) Vid. comm. noſtr. Vol. XXVI. P. III. p. 460.

et in eius ſtatum inquiſiuiſſet, vehementiſſimis doloribus eam excruciari, hypochondria habere admodum tenſa, pulſum eſſe lentum, cet. reperit, quare et fomentationes atque clyſmata, et, pro interno vſu, oleoſum liquorem cum ſpiritu vitrioli dulcificato mixtum ipſi ſuaſit. Et hiſce quidem medicamentis efficiebatur hoc, vt, quatuordecim horarum ſpatio praeterlapſo, dolores valde mitigarentur, eosque regius morbus exciperet, cui balneis, clyſmatibus, ſero lactis, et oui vitello in frigida aqua diſſoluto mederi Auctor ſtuduit. Neque vero ſanari hac ratione malum prorſus poterat; etenim, etſi ſexto die nullus amplius in cute flauus color conſpicuus eſſet, alia tamen ſymptomata ſupererant, quibus leniendis illa medicamina omnino non ſufficere videbantur. Accedebat praeterea decimo quarto die poſt nouus colicus inſultus partiali ictero comitatus, aegraque de vehementi pruritu et inſomnia querebatur. Vt proinde aegritudo velvt radicitus tolleretur, curabat Noſter, vt aegrota, poſtquam per ſex circiter hebdomadas balneis et ſero lactis fuiſſet vſa, quotidie matutino tempore drachmam mixturae anticolicae *) aſſumeret, et ſimul ptiſana reſoluente et ſero lactis cum cichorei ſucco mixto vteretur. Atque hanc medendi methodum ſaluberrimi ſecuti ſunt effectus; nam cum per tres integros menſes horum medicaminum vſum continuaſſet, et tandem euacuantem medicinam adhibuiſſet, ſecunda ipſi reddita fuit valitudo, neque vnquam nouum colicum inſultum eſt experta. Anno ſeculi octogeſimo primo diem ſupremum obiit, maligna quadam febre correpta.

Alia femina quadraginta et duorum annorum, quae per viginti amplius annos hepaticae colicae expo- p. 35.

*) Vid. comm. noſtr. Vol. XXVI. P. III. p. 461.

ſita fuerat, cuius paroxyſmos, cum per decem aut duodecim horarum ſpatium perſtitiſſent, icterica ſaepe affectio inſequebatur, longo pariter diluentium medicamentorum, vt et balneorum, terrae foliatae tartari et mineralium aquarum vſu malo obicem ponere non potuerat. Conſulebat ea de re DURANDIUM, qui, cum intellexiſſet, aegram quarto aut quinto quoque die colica affici et inde ab aliquo tempore menſtrui fluxus obſtructione laborare, ſeri lactis, balneorum et clyſmatum adhibendorum praecepta ipſi dedit. Altero autem die poſt colicus eam inſultus inuadebat, quem pulſus admodum lentus, ſtrictusque praeceſſerat, quare, praeſertim cum, durante colico dolore, pulſus ad ſanum ſtatum non rediiſſet, ſanguinis copiam minui iuſſit Auctor. Cruor, qui ex vena prodierat, pleuritica crulta obtectus conſpiciebatur; ceterum inſequente die flauus cutis color prorſus euaneſcebat, menſtruus autem fluxus etiamnum obſtructus erat. Paucis proinde diebus poſt repetendam Auctor curauit venae ſectionem, et ſimul balneorum, aliorumque veluti praeparantium medicamentorum vſum continuare aegram iuſſit. Tandem vero, cum ita tres ſeptimanae praeteriiſſent, mixturae anticolicae ex tribus aetheris vitriolici et duabus ſpiritus terebinthinae partibus compoſitae drachmam quotidie aegrae praeſcripſit, ipſique ſimul balneorum, clyſmatumque vſum et, potus loco, ſerum lactis cum herbarum quarundam ſuccis primum, deinde cum aqua vichienſi mixtum commendauit. Adhibuit ea haec remedia per duos menſes, neque nouo colicae inſultui fuit expoſita. At enim hoc praeterlapſo tempore ſubito vehemens in dextro hypochondrio oriebatur dolor, qui tamen mox ſponte euanuit, cum biliarii calculi, iique admodum molles redditi, ano excreti fuiſſent. Ceterum perfecta

ſen-

ſenſim rediit ſanitas; nam cum ſeptendecim circiter aut octodecim vncias mixturae illius anticolicae aegra aſſumſiſſet, et denique primae eius viae eccoprotico medicamento fuiſſent purgatae, bene valuit, ita vt nulla amplius medicina, niſi quae praediſponentibus ad hepaticam colicam cauſis penitus e medio tollendis apta eſſet, opus haberet.

Mollioris conſtitutionis homo eo ipſo colico morbo inde ab octodecim menſibus laborauerat, fueratque multoties regii morbi paroxyſmis expoſitus, qui dolores vtplurimum inſequuti erant. Neque vero princeps morbus per interualla tantum redibat, ſed perſiſtebat ſemper dolor in dextro hypochondrio, in vtroque oculo flauus aliquis color conſpiciebatur et fellea veſicula videbatur tumefacta eſſe. Huic aegro Noſter primum extracti ſaponariae, balneorum et ſeri lactis vſum ſuaſit, ſimulque cruoris eius copiam minui iuſſit; deinde vero acceſſit ad vitrioli naphtham, qua cum ouorum vitello mixta aeger per decem dierum ſpatium non ſine fructu vſus eſt: neque enim ille diutius ferre hoc medicamentum commode poterat, neque ipſi, qui mollioris eſſet conſtitutionis, terebinthinae ſpiritus conuenire videbatur. Attamen malum illa anticolica medicina vtique admodum mitigatum fuit, quod cum aeger animaduertiſſet, ad eam aliquo tempore poſt rurſus rediit, eaque per interualla cum ſummo emolumento vſus eſt, vt proinde ſpem foueat maximam, fore, vt integram mox ſanitatem recuperet, cet. P. 39.

III. *Examen cuiusdam plumbi minerae in Burgundiae quodam tractu* (Saint Prix-ſous-Beuvray) *effoſſae*, auctoribus DE MORVEAU et CHAMPY. Eſt haec minera *Plumbi galenae* L. ſpecies, quae cum galena decompoſita et fluore ſpatoſo mixta ex terrae P. 41.

viſceribus effoditur. Matricem eius hic ipſe ſpatoſus fluor conſtituit, qui mox cryſtallina figura gaudet, mox regulari forma deſtitutus, et viridi vel coeruleo colore inſignis eſt. Ceterum in diſquirenda minera ſicca via Auctores progreſſi ſunt, eaque repererunt, plumbi illam admodum diuitem eſſe; nam ex centum et decem minerae libris ſexaginta circiter huius metalli libras ſeparari poſſe ſibi perſuaſum habent, ſi quidem ea excoquendi methodus adhibeatur, quae in Germania vſu recepta eſt. Neque vero argento haec minera prorſus caret, ſed rationem nobilis huius metalli ad reliquas minerae partes eam eſſe Auctores fatentur, vt cum
p. 47. fructu inde excoqui nequeat. — Additae ſunt huic de minerae variis partibus relationi mineralogicae quaedam obſeruationes, ex quibus notamus, ſolum, quod ab illo, in quo plumbi illius mineraliſati vena decurrit, non multum abeſt, corneo fiſſili et ſpatoſo, ſpato ſcintillante, iaſpide puro, ſaxo porphyrio, cet. abundare, in ipſa fodina autem galenam etiam decompoſitam aut mineram plumbi nigram, item ceruſſam citrinam natiuam (*Maſſicot natif*) et mineram plumbi albam ſpatoſam cryſtallinam reperiri.

p. 52. IV. *Explicatio et vſus Tabulae arcuum ſemidiurnorum*, quae primo horum commentariorum volumini inſerta fuit, auctore ROGER.

p. 80. V. *De Lampyride*, auctore GUENEAU DE MONTBEILLARD. Non ſatis diſtincte indicat vtrum Lampyris *noctiluca* ſit, an *ſplendidula*, cuius hiſtoriam obſeruationibus curioſis magis illuſtrat: vtraque enim phoſphoreo lumine ſplendet, vtriusque femina eſt aptera. Caeterum, enarratis breuiter iis phaenomenis, quae iam alii obſeruarunt, Noſter ſuas, aliis incognitas, addit obſeruationes. Harum prima eſt, laruam feminae Lampyridis ſegmento

mento abdominis vno plus praeditam esse, quam insectum declaratum: altera, chrysalidem feminae magis lucere, quam laruam, lumenque, quod repandit, magis esse vniforme, atque per totam inferiorem corporis superficiem extendi: ipsius autem adultae feminae lumen omnium maxime splendere. Vidit deinde ipsa oua lucere, atque ab hac ouorum phosphorescentia maius feminae grauidae lumen pendere. Ipsam igitur phosphoreo nitore splendendi facultatem, qua alia marina animalia instruuntur, deriuandam esse ex illorum animalculorum ouis indita phosphorescentia, globulosque splendentes aquae marinae ipsa esse oua piscículorum. Oua Lampyridis excluſa ex vtero femellae per quatuordecim circiter nonnunquam etiam per quadraginta dies splendent, non tamen eodem, sed sensim diminuto luminis gradu; eademque etiam, si vel non fecundata fuerint, lucent. Obseruauit etiam, leni frictione lucendi facultatem vel in mortuis insectis posse resuscitari. Vidit etiam vnam femellam oua ponere, non lucentia; moriebatur tamen eadem in ipso hoc actu: itaque a sanitate insecti splendorem ouorum pendere existimat Noster. Refert postea mutationes, quas laruae passae sunt, tum, cum cutem renouarunt, omnesque, quas sub finem aestatis collegit laruas, in eo statu mansisse, vsque ad Iulii mensem anni sequentis. Singulare est, quod per omne hoc tempus nunquam vnam vesci obseruare potuerit Auctor. Metamorphosin maris etiam detexit: pupa eiusdem est incompleta, quemadmodum feminae, caeterum forma multum ab hac recedens: atque simili modo larua et pupa phosphoreo lumine per omnes transmutationes splendent. Sic itaque his Cl. Auctoris obseruationibus fere omnia phaenomena historiae Lampyridis sunt expositа: restat tamen, Ipso quoque monente, vt characteres, quibus

harum *maris* ab illis feminae distinguendae sint, nutrimentum huius insecti, atque coitus ratio, detegantur atque describantur.

p. 98. VI. *Aquae mineralis, quae prope vicum Pruneaux in Burgundia scaturit, examen*, auctore MARET. Haud procul a vico, a quo nomen haec mineralis aqua habet, vliginosum pratum est, in cuius media parte receptaculum colligendis aquis e calcareo monte in vicinia sito prodeuntibus dicatum obseruatur. Pluribus autem hic mons fontibus scaturit, quorum aqua clara, limpidaque est, et odore atque sapore prorsus destituta: neque vnguinosi quicquam ea continet, neque, si per quoddam temporis spatium asseruata fuit, cuticula obducitur. At vero ex aqua in receptaculo collecta aëreae semper bullulae ascendunt, quibus ea virtus est, vt et flammam exstinguant, et terram ex calcis aqua praecipitent; hinc fixo, qui vocatur, aëre hanc mineralem aquam abundare patet, quem a calcareo lapide in terrae visceribus quodammodo destructo, aut, vt cum MARETO loquamur, decomposito, esse repetendum ex iis, quae de montis natura Noster dixit, satis clarum est. Sed vt cum fixus hic aër, tum aliae partes, quibus aqua gaudet, accuratius possent cognosci, multos Auctor cum ea reagentes, quos dicunt, liquores commiscuit, pluraque alia instituit tentamina, quorum euentus lectoribus cognitos reddidit. Apparet vero ex hisce periculis, praeter aëreum acidum, etiam atmosphaericum aërem, media quaedam salia, calcem crudam et terram cum argillaceam, tum siliceam, aquae inesse, martiali autem principio, libero alcalino sale, acidis mineralibus non ligatis et selenite eam prorsus carere; rationem, quae inter varias illas partes in mensura

(pinta)

(*pinta*) aquae obtinet, Auctor in ſequenti tabula expreſſit:

Acid. aër.	Sal ammon. fix	Magneſ. ſalit.
10. 3856 poll. cubic.	0. 248 gr.	0. 495 gr.

Sal commun.	Terr. calcar.	Terr. argill.	Terr. ſilic.
0. 564 gr.	0. 615 gr.	0. 718 gr.	0. 205 gr.

Ceterum hanc aquam diluentis, reſoluentis, ca- p. 109.
tharticae et abſorbentis medicinae nomen mereri Noſter cenſet, eamque iis potiſſimum aegrotis commendandam eſſe, qui obſtructis abdominis viſceribus laborant, aut quorum humores digeſtioni inſeruientes nimis pituitoſi ſunt.

VII. *Obſeruationes ad naturalem hiſtoriam ſpe-* p. 111.
ctantes, auctore PAZUMOT. Factae ſunt eae in ducatu Burgundiae ab Antiſſiodoro (*Auxerre*) vſque ad Cabillonum (*Chalon*) ſpectantque potiſſimum oryctographiam regionis. Circa Antiſſiodorum ſolum eſt calcareum, petrefactis refertum, quae enumerat Auctor. Mons *St. Brix* ex calcareo albo compacto, ex ſtratis octo pollicum, terra argillacea ſeparatis, compoſito, conſtat. Continuat lapis calcareus, hic illicue petrefactis repletus vſque ad vrbem Aualloniam, vbi promontorium graniten offert, qui quaſi lapidem calcareum, in ſummitatibus montium reperiundum, tranſrumpit et perforat. Quarzo abundat hic granites, granisque ſpati ſilicei (*Feldſpat*) rubri, et micae nigrae componitur. Idem hoc ſaxum expanditur vſque ad *Maupas* et *Saulieu*, varietatibus nonnullis exceptum; tum ſequitur iterum calcareus, petrefactis e. g. belemnitis, entrochis, ammonitisque refertus, et terra argillacea tegitur. Pone *Pochey* iterum apparet granites, quem circa *Arnay* excipit calcareus, petrefactis plurimis plenus, terra argillacea mixtus, isque extenditur totosque mon-

tes saepe efficit vsque ad *Echarnant*: concedit tamen Auctor, huic calcareo subiacere graniten, qui nucleum huius strati calcarei efficiat, atque in cacuminibus montium nudus saepe inueniatur. Calcareus hic vbique solidus, et petrefactis plenus, variis modis in vsum vertitur, marmorque appellatur. Regio circa vrbem *Beaune* vsque ad Divionum, quam denique describit Noster, etiam solum habet calcareum, sed secundariae originis videtur, tectus terra argillaceo-calcarea, rubra, atque facile in terram margaceam fatiscens: vnde vini culturae aptissimum fit solum. In toto hoc tractu semel tantum in summis montibus, iuxta *Monderonde* sitis, crystallos quarzeas exiguas invenit.

p. 139. VIII. *De hepatica colica a biliariis calculis producta*, auctore MARET. Nouum hic, illudque ab experientia desumtum argumentum Auctor nobiscum communicat, quo ea, quae de colicae a lapidosis concretionibus productae medendi methodo DURANDIUS nuper commentatus est, illustrantur et egregie confirmantur. Homo scilicet annos natus sexaginta, qui robustus admodum erat et temperamento fruebatur sanguineo-bilioso, colicis saepe affectionibus fuerat expositus, quarum veluti prodromi dyspepsiae et ventriculi dolores erant. Neque tamen fixam hanc sedem dolores habere videbantur, qui aliquo tempore post et varias abdominis partes occuparent, et vero etiam vehementiores redderentur, ita vt de leniendis iisdem cogitare aeger coactus esset. Iam autem, cum colicum insultum vomitus exciperet, et simul flatus per superiora pariter atque per inferiora venter redderet, omnis mali causa in primis viis posita esse aegro videbatur, quare vinoso cinnamomi infuso, saccharo edulcorato et clysmatibus ex maluae decocto et oli-

varum

rarum oleo paratis vſus eſt. Sed tantum aberat, vt hac medendi methodo proxima mali cauſa tolleretur, vt morbus in dies grauior euaderet, aliaque accederent ſymptomata, quae aegrum in periculo verſari indicabant; etenim vrina ſpiſſior et aluus tardior reddebatur, appetitus proſtratus et venter tumefactus erat, cutis flauedine tincta conſpicieba-tur, et colica ſaepe redibat, vt quoque menſe tribus ad minimum paroxyſmis aeger eſſet expoſitus. Atque hic morbi ſtatus erat, cum aegrum MARETUS prima vice conueniret, qui poſtquam in naturam eius inquiſiuiſſet, bilem aliquo vitio laborare, eamque nimis ſpiſſam redditam eſſe et lapideas inde concretiones productas intellexit; hinc ſaluberrima futura ea medicamenta iudicauit, quibus et orti iam calculi diſſolui, et nouorum generatio praepediri poſſet. Auctor itaque Noſter fuit, vt primum aeger vitelli oui in aqua ſimplici ſolutione, deinde vero anticolica DURANDII medicina vteretur, et ſimul quotidie tres aut quatuor ſeri lactis libras biberet, duo ſibi clyſmata ex aqua frigida injicere curaret, cet. Et profecto ſpem, quam Noſter conceperat, haud fefellit euentus; nam cum duas mixturae illius vncias aeger aſſumſiſſet, regius non ſolum morbus euanuit, ſed reliqua etiam ſymptomata ita erant mitigata, vt neque dolores ſupereſſent, neque colici inſultus amplius redirent. Enimuero vt omnis morbi fomes prorſus exſtingueretur, aeger ſenſim integram adhuc illius mixturae vnciam aſſumſit, quo facto ita bene valuit, quaſi nullo vnquam morbo fuiſſet affectus. Ceterum calculi eo tempore, quo hac medicina aeger vſus eſt, nulli excreti ſunt, ſed picea materies, eaque obſcure luteo colore tincta, cum ſcybalis ano exiit, quam a diſſolutis calculis ortum habuiſſe, veri admodum ſimile eſt.

IX.

p. 145. IX. *De obſtaculis (écluſes) canalium vehendi nauibus*, Pars ſecunda, auctore GAUTHEY; cum tabula aenea.

p. 192. X. *Extractum ex obſeruationibus meteorologicis Diuioni ab anno* CIↃIↃCCLXIII *ad annum* CIↃIↃCCLXXXII *factis*, auctore MARET.

p. 197. XI. *Hiſtoria naturalis Veratri Sabadillae* RETZ. auctore WILLEMET. Recenſet primum Noſter MONARDI *), LEMERYI, VALMONTI (*de Bomare*), VOGELII, SPIELMANNI, LUDWIGII, LINNEI, aliorumque de planta, cui ſemina ſabadillae debentur, relationes, deinde praecipuos horum ſeminum aduerſus pediculos, cimices, aliaque inſecta effectus laudat, et tandem deſcriptionem plantae, quae RETZIUM **) auctorem habet, in francogallicam linguam translatam, ſynonyma, cet. addit. Noui huic tractationi fere nihil ineſt, (niſi forte methodum haec ſemina aduerſus cimices adhibendi nouam vocare velis,) neque omnes aliorum de Veratro ſabadilla relationes in epitomen redactas continet; etenim nec SCHMUCKERI ***) de interno ſeminum huius plantae vſu commentationis, nec obſeruationum GLEDITSCHII †) de eorundem natura atque virtutibus vllam WILLEMETUM mentionem iniecisse animaduertimus; hinc mancam admodum et imperfectam hanc diatriben eſſe patet.

p. 205. XII. *Continuatio hiſtoriae meteorologicae* anni CIↃIↃCCLXXXII, auctore MARET.

*) Hiſtoire des medicamens ſimples de l'Amerique, Cap. XXXVI.

**) Vid. comm. noſtr. Vol. XXIV. P. IV. p. 678.

***) Ibid. Vol. XXV. P. IV. p. 666.

†) Ibid. Vol. XXIV. P. IV. p. 666.

XXXI.

Theoria generationis et fructificationis plantarum cryptogamicarum LINNEI, mere propriis obſeruationibus et experimentis ſuperſtructa; diſſertatio, quae praemio ab Academia Imperiali Petropolitana pro anno 1783 propoſito ornata eſt; auctore IOANNE HEDWIG, *M. D. Societat. Phyſiophilorum Berolinenſ. et oeconomicae Lipſienſis Socio.* Petropoli, typis academiae imperial. ſcientiarum. MDCCLXXXIV. plagg. 21. tabb. aen. XXXVII. 4.

Non quidem prius, quam ſub finem anni MDCCLXXXV. lucem publicam vidit haec diu exſpectata, atque exſpectatione omni digna, diſſertatio, qua dubiam atque a nonnullis obtuſioris naſi, et hebetum oculorum negatam florum praeſentiam in plantis, a LINNEO cryptogamicas dictis, certam atque e tenebris dilucidam emergere fecit ſolertiſſimus atque oculatiſſimus plantarum harum minutularum ſcrutator Cl. HEDWIG, qui profecto omni iure cunctis aliis longe antecellit obſeruationum fide, atque diligentiſſima omnium, etiam longe et alte abditarum minutiſſimarum partium extricatione ac repraeſentatione; digniſſimusque ideo recte ab illuſtri academia iudicatus, qui praemio propoſito ornaretur. Retardata vero huius operis publicatione, ipſum perfectum magis euaſit: etenim Academia, poſtquam tractatus hic praemio ornatus erat, cum Auctore in eo conuenit, vt delineationes a ſe ipſo factae, etiam eius ſub oculis et regimine, Lipſiae ab artifice harum rerum perito, aeri inciderentur; qua quidem occaſione etiam curauit Auctor, vt nonnulla exempla,

ſaltim

ſaltim ea, quae ipſi dederat in augmentum praemii Academia, viuis coloribus ad naturae ſimilitudinem illuſtrarentur. Factum itaque eſt, vt icones, naturae ſimiles, et arti conuenientes, propoſita ab Auctore egregie illuſtrarent, quum alias, ſi, remoto Auctore, ab artifice vulgari delineatae imagines aeri inciſae fuiſſent, non potuiſſent non alienae et mendoſae fieri. Etenim iam nunc dolet Auctor et nos cum eo, quod liber ipſe, Petropoli impreſſus, plurimis mendis typographicis ita ſit deformatus, vt ſaepe ſenſus dictorum falſus vel obſcurus euadat. Quamobrem nos Lectorum gratiam inituros eſſe ſperamus, ſi, communicatos ab Auctore grauiſſimos et ſenſum turbantes errores typographicos, finito in ipſum librum commentario, indicemus.

Protinus autem in prooemio monet Cl. Auctor, inuenta cryptogamicarum plantarum genitricia organa cum botanicorum placitis de calycis, corollae, ſtaminum et piſtillorum ortu non conuenire, ſeque ideo coactum fuiſſe in partem plane e diametro oppoſitam illis opinionibus ſecedere: neque tamen ſuis ſe oculis fidem ſtatim dediſſe, ſed omnia reiteratis vicibus, varioque modo ad examen
p. 14. reuocaſſe. His praemiſſis in introitu, breuiter relata detectae ſexus plantarum inuentionis hiſtoria, primum agit *de flore* plantarum generatim, animaduertens in aperte nubentibus plantis confirmata auctoritate virorum Clariſſimorum quaedam doctrinae fundamenta, quibus ſua non conuenirent obſeruata, docetque ſtaminum originem in omnibus plantis eſſe vnam eandemque, atque plantarum cryptogamicarum organa maſcula neutiquam ab aliis abludere, ſed ſua origine vera etiam eſſe ſtamina. Negat igitur adſumtam hactenus LINNEI doctrinam: calicem e cortice, corollam e libro, ſtamen e ligno,

piſtil-

piſtillum e medulla oriri; quum in multis plantis decrepitis, multisque aquaticis, aliisque deſit medulla: neque minus fauet Ludwigianae hypotheſi, qui medullae contextum celluloſum, in interſtitiis circulorum lignoſorum reperiundum, ſubſtituit, quamuis concedit, ſi fabricam, vſum, et officium ſpectes, intercedere ſimilitudinem aliquam inter medullam atque contextum hunc cellularem; dubitat tamen ex eodem praecipuos plantarum ſuccos oriri, et ramos, folia, gemmas, fructus ab eodem ſolo produci et promoueri. Quin potius vaſa ſpiralia in ſemine iam praeſentia, ex eiusdem cotyledonibus depoſitum ibi primum plantulae nutrimentum accipere et roſtello tradere. Huius in radiculam increſcentis iam primas ramificationes neutiquam e meditullio, ſed de horum vaſorum circulo emergere iam alibi *) docuit. Iisdem alibilis ſuccus in plumulam promouetur. Abinde continuo adoleſcens planta, quidquid vel folii, vel gemmae, vel rami, vel florum profert, nonniſi de ſpiralium ductuum faſciculis ordiuntur. Numero, ſitu et fi- p. 18.
gura variantes hos ductus exemplis quibusdam docet Cl. Auctor, atque pergit, ſi quis cultello acuto verticaliter gemmam aut ramulum parum protruſum et his adiacentis folii petiolum vna cum trunco diuidit, videbit euidentiſſime, ex faſciculis vaſorum ſpiralium venire eorum principium, et medullam eſſe ſequelam primariorum ductuum nouae partis, non vero primordium aut cauſſam producentem. Deeſt omnis medulla filicibus noſtratibus; quodſi igitur a medulla ſola flos fructusque oriretur, filices fructu carerent, cuius tamen contrarium locum habet. Secto etiam tranſuerſim caule

*) In *Sammlungen zur Phyſik und Naturgeſchichte.* Vol. II. P. I. p. 7. Tabul. f. 10 et 11.

caule ſucculento, ſolis ex vaſis ſpiralibus ſucci prodeunt, atque ab iisdem ſucci tincti inſuguntur, vt ideo in his ſuccum nutritiuum vehi ſit certiſſimum; ſtatuit itaque Noſter, ſpirales hos ductus in vegetabili corpore eodem fungi munere, cui dicatae ſunt arteriae indeque continuati canales in ani-
p. 20. mali. — Hinc modus et cauſſa immutationis ſtaminum piſtillorumque in petala, hinc varius in quauis floris parte ſtaminum ſitus, facile et egregie declarantur.

p. 21. His poſitis, momenta quaedam accidentalia, quae cryptogamiarum generationis organa, euidentiora reddant, perpendit. Partes plantae cujusuis, diſtinctae a communibus, ſpeciei propriis, florem vel fructum ipſum offerre cognitum eſt. Si harum aliae mutentur colore et euaneſcant, reliquis huius apparatus in vegetatione continuantibus, aliamque plane faciem et molem induentibus, maſculas illas eſſe impraegnantes partes, in his vero fructum feminarum impraegnatarum ſubſequi apparet: potiſſimum ſi, deciduis poſtremis, ipſa herba vel mox, vel aliquanto ſerius, pereat et conſumatur; aut elapſo aliquo temporis interuallo, rurſus eandem vegetationem inchoet. Vel his momentis perpenſis, palam eſt, muſcorum, filicum, algarum fungorumque puluerem, non maſculum impraegnantem, ſed potius fructum ſeu ſemen eſſe. E comparatione plantarum aperto flore praeditarum cum cryptogamis, ratione florendi temporis, ſequitur, etiam cryptogamas florere notabili interuallo ante, quam fructus maturus et conſpicuus ſit: ad haec attendendum eſt iis, qui genuinum florendi tempus inuenire velint, vt ipſa flores cryptogamarum plantarum obſeruent.

Deinde

Deinde *botanicorum ſententias de ſexualibus vegetabilium cryptogamicorum* a THEOPHRASTO ad KOELREUTERUM vſqûe breuiter ſed exacte recenſet, quam tamen recenſionem, vtpote ex ipſis illorum Auctorum libris ſatis cognitam, hic repetere ſuperfluum iudicamus. p. 22.

Iam ad florum, quos ipſe in plantis cryptogamis vidit, deſcriptionem accedit, ita, vt, cum non omnia genera, quae nunquam in vna regione coniunctim habitant, diſquirere, neque ideo ſyſtema quoddam vniuerſae claſſi accommodatum dare potuerit, ordinem a LINNEO poſitum ſeruet, dicatque primum de Filicibus, deinde de Muſcis, poſtea de Algis, denique de Fungis. Atque *Filicibus* quidem cum LINNEO iungit aliena certe quaedam genera, *Equiſetum*, *Onocleam*, *Marſileam*, *Pilulariam* et *Iſoëten*. De quibus omnibus autem Equiſetum tantum diſquirere potuit.

Equiſetum igitur nominat *Filicem fructificatione clauata*, eiusque duas ſpecies, *ſyluaticum* et *paluſtre*, examinauit. In claua Equiſeti circumpoſita ſunt corpuſcula e pedunculo peltata; ſub peltis carnoſioribus cornicula 4-7 conoidea inueniuntur, apice adhaeſionem pedunculi, cui circumpoſita ſunt, reſpicientia, quae a ſuperficie, pedunculum ſpectante, dehiſcunt, et concuſſae ſpicae maſſam puluerulentam viridem cadere ſinunt. Hic puluis ſub microſcopio ſiſtit ſphaerulas plus minus ouales, filamentis quatuor tenerrimis, pellucentibus, extremitate cochleariformi marginata inſidentes, quae vermicularem motum exercent, madida autem ſuis ſphaerulis circumuoluuntur. Haec filamenta in ſpica quoad maximam ſui partem recondita, adſperſa ſunt plurimo puluiſculo adiaphano: eadem igitur ſtamina, quemadmodum ſphaerulas virentes p. 33.

acumine, quod ſtigma refert, inſtructas, ſemina eſſe docet. Character genericus *Equiſeti* erit itaque hic:

Planta hermaphrodita, inſtructa calice vniuerſali ſquamoſo imbricato, partiali peltato; antheris quatuor e filamentis duobus continuatis; ſtigmate 1; *capſulis e pelta* 4, 5, 6, 7, *vnilocularibus, in quibus ſemina numeroſa ouato-globoſa, ſtaminum filamentis impoſita, iisque inuoluta.*

p. 37. Sequuntur *Filices fructificatione frondoſa*, e quibus Europaeae, propter minutiem partium genitalium, minus aptae huic diſquiſitioni ſunt. Interim ex comparatione earum cum ſupra indicata lege naturae patet, globulos frondium puluerem ſubtilem admodum diſpergentes, nihil eſſe aliud, quam fructus harum ſtirpium. Tum vero propter minutiem, tum ideo, quod non in gemma, ſed inuolutis frondibus hybernent, ibique iam paratum habeant florem, qui procul dubio ipſa in euolutione horum circinorum, coehleatim ductorum, floreat ſ. copulam exerceat, inquiſitioni praebent difficultatem. Fatetur hic Noſter, ſe, dum legiſſet, quae b. DE GLEICHEN de ſtaminibus Filicum ſubter cuticulam latitantibus, propoſuerat, his adſenſum praebuiſſe; at vero, dum altero abhinc anno aliorum etiam vegetabilium cuticulam diſquireret, obſtupefactus in quauis folii cuticula, eadem ipſe corpuſcula offendit, ductibus connexa lineaque media notata, mutato tamen hinc inde coordinationis modulo, quae nihil, niſi cuticularum ſpiracula, lineae autem in cuticula adparentes, impreſſiones ſubiacentium vaſorum ſunt: illuſtrat hanc obſeruationem Cl. Auctor exemplis ex *Narciſſo poëtico*, *Lilio bulbifero*, *chalcedonico*, *Auena ſatiua*, *Galio Aparine*, *Allio Cepa*, *Diantho ſatiuo*, *Tulipa*, et *Conuallaria maiali* deſumtis, quae

quas

quas formas habeant in Tabula III. delineatum eſt.

Noua igitur ſtamina erant inuenienda. In *Ophioglosſo vulgato* eadem inuenit in ſpica, vix integre e folio egreſſa: eius enim vtrumque latus columnulae, vbi ſubinde tranſuerſaliter dehiſcunt cauitates puluerem ſpargentes, innumeris ſquamatim quaſi ſibi impoſitis eminentiis aut verrucis obſitum eſt. Immiſſis his, leni cultelli raſura a columnula ſeparatis eminentiis in guttulam aquae, et microſcopio viſis, apparebant corpuſcula ſimplicia compoſitaque, vtplurimum ouoidea pellucidiore linea ad ambitum cincta, interne vero granuloſum opus continentia. Spica Ophiogloſſi igitur eſt *hermaphrodita, antheris, interſtitia germinum, tranſuerſali ſtigmate inſtructorum, occupantibus.* p. 41.

In *Oſmunda Spicant*, quam maiori iure *Acroſtichis* adiudicandam putat, florigerorum frondium pinnulae, in glomerem intortae, in auerſa facie lineas duas albas, proxime a loco cohaeſionis cum ſtipite per omnem longitudinem exporrectas, marginibus viridibus incluſas, intermedia linea depreſſiore offerunt. Hae lineae ſunt tenerrimae membranae, margini pinnulae cohaerentes, liberae autem vbi ſe inuicem reſpiciunt, aliquantumque leuatae. Sub iisdem recondita ſunt *corpuſcula minima pellucentia pedicellata, quae feminina organa genitalia* eſſe putat Cl. Auctor, et neruus mediam longitudinem emetiens, cui in iunioribus pinnulis inſident *corpuſcula* plus minus *fuſceſcentia*, e duabus compoſita partibus, altera, quae de neruo procedit, anguſtiore fuſca, altera huic impoſita globulum oualem, pellucentem album repraeſentante, quae *organa maſcula* habet, vtpote quae poſt plenariam pinnulae euolutionem diſparent. Membranulas iſtas tegmina tenellorum fructuum p. 43. p. 49. dicit,

dicit, quibus foueantur maſculo ſpermate applicato defendanturque contra iniurias externas. Apparatus huius fructificationis Tabula VI. delineatus eſt.

p. 44. In *Polypodii Thelypteridis* (*Acroſticho Thelypt.* LIN.), cuius egregiam iam dedit hiſtoriam SCHMIDELIUS, pinnularum pagina auerſa copioſas ſatis ad pinnulae coſtam potiſſimum eiusque ramificationes poſitas veſiculas ſeſſiles, luteo fulgentes colore, obſeruauit, quae augente lente conſideratae ſphaerulas exhibent aequaliter apertas, neque fugaces ſunt, ſed capſulis iam matureſcentibus perſiſtunt: has croceas veſiculas maſcula eſſe organa ſtatuit; continent enim granuloſam materiem, et vigent, dum germina ſunt minutiſſima.

p. 46. *Polypodii filicis feminae* LIN. emergens e ſuo hybernaculo complicata frons in vltimis pinnulis poſticam capſuligeram faciem totam criſpam, turgeſcentibus rudimentis capſularum et quaſi protuberantibus extra tegmentum membranaceum oſtendit, diuiſuris pinnularum tunc adhuc obtuſis: antica vero, in quam intorta erat, pagina pinnulae, cum ad ramulum, tum coſtae indeque exeuntium ramificationum, abundat ſpaerulis lactei coloris, quae maſſa conſiſtentiore granuloſa refertae ſunt, pedunculis ſuis inſidentibus, pellucentiſſimis, tenerrimae compagis: has ſphaerulas antheras eſſe demonſtrat, egregie in Tab. VII. f. 34. et 35. delineatas.

Similis fere ſtructurae ſunt eodemque fere in loco poſita ſunt organa genitalia maſcula in *Aſplenio trichomane* LINN. Etenim in eius fronde, dum ſurgit intorta pinnulisque minutiſſimis carnoſis recta exporrectis et auerſa facie quaſi ſibi oppoſitis inſtructa, ad neruum medium conſpiciuntur globuli ſplendentes lactei, pedicellati, granuloſamque maſ-

maſſam includentes. Ramificationibus pinnularum lateralibus adſita ſunt tegmina lunulata fructuum, quorum granula poſtmodum in capſulas adoleſcunt. Eadem corpuſcula in *Aſplenio ſcolopendrio*, *ruta muraria*, *Polypodio filice mare*, *phaegopteride* et *dryopteride* animaduertit Noſter. Hiſce partibus ipſis expoſitis, earundem vſum atque officium deſcribit, quae nos quidem ſuo loco indicauimus. De tempore, quo flores filicum inquirendi ſint, monet; primarias frugiferas frondes ineunte vere prodire, capſulas circiter Iunio menſe maturare, atque cum perennantia vegetabilia, dum fructum maturant, nouas quoque copulas parent, is, qui organa genitalia in ſuo vigore conſpicere cupit, filices tunc adeat atque inquirat neceſſe eſt. Concedit ceterum auctor iis, qui ſtilum cum ſtigmate in filicibus forſan deſiderabunt, ſe non niſi in *Polypodii phaegopteridis* primordialibus capſulis tale quid vidiſſe, in quibus adhuc proxime ad cingulum vtrinque proceſſus tenerrimus pellucens, globulo pellucente inſtructus, aderat, at vero cum partes non exacte ſatis diſquiri poſſent, incertus manſit auctor, atque coniicit, pedunculata iam fructus rudimenta, in frondis euolutione nuptias iam celebratas indicare, et ſtigma deperditum eſſe. Denique certiſſimum eſſe demonſtrat, in vaſculis frondium illis, quae vel cingulo elaſtico inſtruantur atque in duo hemiſphaeria tranſuerſim ſecedant, vel eodem carentia de vertice dehiſcant, vera ſemina contineri, quorum modum diſſeminationis in *Oſmunda* et *Polypodio* ſaepius obſeruatum deſcribit, fidemque dat Moriſſonianis, STAEHELINI aliorumque aſſertis, qui ex his ſeminibus plantulas germinaſſe obſeruarunt: Erraſſe autem illos, qui ſemen vnicum maiuſculum vidiſſe dixerunt, et vel immature corruptam et exſiccatam capſulam, vel ſemina

omnia vnius capſulae conglutinata pro ſemine vno habuerunt.

In muſcorum iam diſquiſitione Cl. Auctor nunc totus eſt, atque ipſa muſci notione primum rectius definita, ad hunc plantarum ordinem easdem ſtirpes refert, quas LINNEUS in eundem recepit, Lycopodio tantum atque Porella, quam nemo praeter DILLENIUM vidit, exceptis. Iungit tamen his Linneanis muſcis Iungermanniam atque Marchantiam, quae quidem a muſcis Linneanis differunt, ſed neutiquam toto ordine dirimendae ſunt, quemadmodum iam alio tempore in fundamentis hiſtoriae naturalis muſcorum frondoſorum a Cl. Auctore expoſitum eſſe meminimus *). Repetita igitur etiam ſunt de muſcis frondoſis eadem dogmata, quae in libro mox laudato primum vberius patefecit, ita tamen, vt recentioribus obſeruationibus atque exemplis aliis a plantulis deſumtis partium genitalium et florum ſtructura et ratio illuſtretur. Hanc tamen libri partem, quum de iis obſeruationibus loco indicato iam ad lectores retulerimus, ſicco tranſimus pede, ad ea tranſeuntes, quae vberiori ſermone *de muſcis hepaticis*, *Iungermanniis* nempe et *Marchantiis* obſeruauit Cl. Auctor.

p. 82.

p. 83. In *Iungermanniae* variis ſpeciebus organa genitalia ſexus vtriusque deſcribit, obſeruauitque, alias ſpecies eſſe *monoecias*, e. g. *puſillam*, *furcatam*, *epiphyllam*; alias *dioecias*, vt *nemoralem*, *aſplenioidem*, et *palmatam* **). Oriuntur autem in his maſculi flores

*) V. Comm. noſtr. Vol. XXV. p. 282. et 288.

**) Haec quidem eſt *Iungermannia* frondibus palmatis, digitatis e baſi floriferis HALL. hiſt. ſtirp. T. III. p. 64. n. 1887. Sed perperam HALLERUS eam cum *I. puſilla* LINN. confudit; diſtinctiſſimam enim ſpeciem eſſe Auctor Noſter hic aperte demonſtrat.

flores 1) modo *de caulium frondiumque ſummitate*, vt in *I. nemorali*, vbi foliolorum apices corpuſculis fuſcis, obtuſis, granuloſa maſſa refertis, ſeu antheris inſtructi ſunt; in *I. aſplenioide*, cuius extremitas clauata, foliolis baſi concaua imbricata, ad caulis axin, intra cuiusuis calycini folioli ventrem duas vel tres antheras, ouatas, folliculo reticulato et filamento inſtructas profert; in *I. palmata* maſculi flores apices proceſſuum occupant, tumidiores, et veſiculari ad ambitum habitu, in quorum mediis circellis lucidis folliculi maſculi pedicellati continentur: tumeſcentia apicum dehiſcit abſoluto flore, deinde plane cadit, truncatos relinquens proceſſus: p. 84, p. 85. p. 87.

2) modo *de medio caulis*, vt in *I. puſilla*, cui ad alas foliorum inſident antherae globuloſae, primum viridantes, deinde luteae; in *I. furcata* ad truncum, ſubter continuatum folium latent in capſa ouata reniformi pedicellata antherae folliculoſae ouatae duae vel tres, filamento inſidentes, granuloſamque genituram continentes. Similem etiam originem habent antherae in *I. epiphylla*, quae in mediis lobis exſerit puncta luteola, quae, microſcopio luſtrata, verrucis ſimilia ſunt. In his antherae ſunt; quo vero earum ſtructuram clarius obſeruaret Cl. Auctor, auferebat particulam ſectione perpendiculari vtrinque ſecundum longitudinem per aliquot horum punctulorum ducta. Hanc aquae guttulae in lamella vitrea immiſit, vt, ſi notatu digniora adparerent, delineationi conſeruaret. Quo facto laetus animaduertit apparatum Tab. XXII. fig. 112. expreſſum, folliculos nempe tres, maſſa leuiſſime granuloſa onuſtos: quin imo, inter delineandum ſcaturire vidit de vno horum folliculorum per ſuperinductum ſuperficiei veſiculoſum opus cuticulae maſſam granuloſam, halitus ſ. fonticuli puluerulenti inſtar, cuius particulae granuloſae per duo fere mi- p. 86. p. 88. p. 89.

nuta horae immotae perſiſtebant, poſtmodum anteriora verſus inclinabant. Teſtimonium itaque hoc eſt euidentiſſimum, eſſe has verruculas folliculos maſculos polliniferos.

p. 90. Feminei flores *Iungermanniarum* etiam vel *de caulis ramorumque extremitate*, vti plerumque, vel *de media aut baſilari parte* oriuntur. Notandum vero eſt, ſaepius floruiſſe femineum florem in extremo ramo ſ. caule, cum tamen matura capſula de media fronde emineat: nouae enim plantulae, abſoluta floreſcentia, incrementa capiunt, vt caulis vegetatione continuata fructus medium nunc locum occupet, qui antea extremus erat, manifeſtis in *Iungermannia puſilla*, notante iam SCHREBERO, et *epiphylla* exemplis. Confirmat Cl. Auctor SCHMIDELII obſeruationem, qui recte femineis his floribus *duplex perianthium* tribuit, cuius diuerſam formam Noſter enumerat. Praeterea flores feminei in Iungermanniis figura et coordinatione partium multa cum illis muſcorum frondoſorum communia habent. Nunquam tamen Noſter filia ſucculenta obſeruauit; adſunt vero machinulae piſtilliformes, quas piſtilla vera (ſterilia) eſſe etiam inde probatur, quod ipſis hic calyptris inhaereant.

p. 92. Piſtillum foecundatum in capſulam mutatur, quae verae eſt calyptrae incluſa: atque ſingulare eſt, quod calyptrae non ſoluantur de ſua ſede eleventurque cum capſula, vti in frondoſis muſcis, ſed perrumpantur; vnde laciniae duae pluresue ſunt ab auctoribus obſeruatae. In Iungermannia palmata, furcata, aliisque ſimilibus deſiderantur corpuſcula piſtilliformia, earumque hirſuta echinataque fructus clauſtra, maturitate perrumpenda, calyptrae dicenda ſunt: in *I. palmata* praeterea

vidit

vidit Cl. Auctor tegmen obſcuri coloris cum ſtigmate.

Ratione fructus omnes *Iungermanniae* conue- p. 93.
niunt, quatenus celeri elongatione pedunculus capſulam attollit nigricantem vel fuſcam, in quatuor valuas dehiſcentem; foetam ſeminibus filisque elaſticis. Pedunculus celeriter intra paucarum horarum ſpatium proportionatam longitudinem acquirit, quod Cl. Auctor potius elongationi, quam incremento et appoſitione particularum tribuit: deliteſcere enim ait ſubter calyptram bulbillum ſuccis copioſis repletum, in quo vaſa ſpiraliter contorta ſunt, quae, calyptra ſoluta, nunc celeriter elongentur.

Capſulis deſunt columellae, quarum loco forte fila elaſtica ſeminibus data ſunt; haec, elegantiſſime in tabulis depicta, vel ſimplicia, vel duplicia, ſpiraliter intorta, et hygrometrica ſunt, vel centro capſulae inhaerent, vel de valuularum lateribus per omnem longitudinem, vel de apice exporriguntur.

Semina ſunt rotunda, laeuigata, punctulata, echinata, vel appendiculata. *Iungermanniae epi-* p. 96.
phyllae ſeminula ſata poſt aliquot dies intumeſcebant, deinde a dilutiore extremo prodibat radicula ſimplex alba, pellucentiſſima, quae ſubinde in perfectas plantulas expandebatur. Itaque et de his certo certius conſtat, puluerem capſularum ſemina eſſe vera, foetura antherarum viuificata.

Marchantiae ſpecies duas, *polymorpham* et *conicam*, diſquiſiuit. *M. polymorpha* peltis vmbellatis ab ea peltis ſtellatis habitationis loco differre Auctori videtur. In hac ſtirpe notatu digni ſunt, qui primo vere in conſpectum veniunt, cyathi, corpuſculis lentiformibus referti, quos quaſi viuos par-

tus esse, et in perfectas plantas excrescere iam proposuit MICHELIUS, confirmat Noster, qui dum prouectiora de cyathorum margine desumta corpuscula lustraret, vidit iam radiculas inde prodeuntes, quemadmodum egregie in tab. XXV. f. 133. delineauit Auctor (perperam in libro l. c. impressum est T. VIII. f. 8.) Caeterum confirmat hic Cl. Auctor obseruata Ill. SCHMIDELII *), qui in peltis organa inesse masculina, subter radios vero feminina locari, iam docuit. Folliculos tamen polliniferos, non pyriformes, sed ouatos oblongosque vidit, quos circa filamenta transeuntia quasi loculum tenerrimum emissariumque formant, sunt leuissime articulata, cohaerentque cum breuissimo folliculi pedicello, qua receptaculo iunctus erat; intro autem massa granulosa continetur. Elegantissima atque singularis est structura floris feminei, qui in peltis radiatis inhaeret, attamen verbis solis vix distincte satis describi potest, nisi simul iconum elegantissimarum illustratione vtaris.

p. 103. In *Marchantiae conicae* descriptione fatetur Cl. Auctor, DILLENIUM et MICHELIUM quam proxime abfuisse a sexualibus partibus huius plantae, quapropter etiam descriptionem ab illis datam commemorat. Differunt mascula organa *Marchantiae conicae* a peltis masculis *M. polymorphae* in eo, quod huic sint peltae pedunculatae; illi autem sessiles. Verrucis s. peltis his sessilibus per medium neruum perpendiculariter sectis, eadem structura, iidemque folliculi animaduertuntur, qui in polymorpha adsunt. Feminae autem singulari mechanismo ratione pistilli instruuntur. Eodem enim tempore, quo masculi flores vigent, ad margines, vbi nervus

*) Icones et analys. part. p. 41. Tab. 9. vid. Comm. nostr. Vol. XXV. p. 271.

vus procedit, eriguntur membranulae rubrae, intra quas totidem ſtyli acuminati adparent, quot capſulas deinde conus frugifer habet. Parenchymati huius coni incluſae ſunt capſulae, eaeque baſi ſua ſurſum, aperturae autem loco, cui ſtylus reſpondet, deorſum ſpectant; ſtylus itaque et ſtigma, ſeu, vt Auctor loqui amat, *piſtilli recipiens pars*, recuruata, intra perianthium eminentia, foeturam ſuſcipere opus erat. Quae quidem omnia non, niſi adulto iam aliquantum cono, conſpici poſſunt, quo inuerſo, ſtyli recuruati ſupra baſin pronae ſuperficiei euidenter patent, quemadmodum etiam Noſter iconibus egregie illuſtrauit. Inuenit hic ſimilem calyptram cum ſtylo adnexo eidem, quam in Iungermanniis deſcripſit. Capſula *Marchantiae* matura in quatuor valuas dehiſcit nigerrimas, quae reuoluuntur, et elateres filiformes extremitatibus in latius ſpatium dimouentur, ſeminaque motitando ſenſim elidunt, denique etiam diſparent. Elaterum alii e duobus, alii e tribus, alii e quatuor filamentis ſpiraliter circumductis conſtant, videnturque membrana tenerrima circumducti eſſe. Semina ſunt vel rotunda, vel ouata, ſuperficie punctata.

Atque his quidem de Iungermanniis et Marchantiis traditis, ſubiicit Auctor, apparere, has ſtirpes omnino muſcorum ordini recte adnumerari: tum quoque tantam inter vtrasque eſſe ſimilitudinem, vt fere in vnum genus contrahendae videantur. Cum tamen et diuerſitate receptaculi capſularum differant, et generis character potius ex diverſitate organorum maſculorum definiendus ſit, recte in duo genera ſeparari, quin imo conſultum fore arbitratur, ſi Iungermanniae vaſtum genus, cuius ſpecies organis maſculis varient, in plura diſpeſcatur.

ſcatur. *Targionia*, a SCHREBERO *) nuper deſcripta, ad *Iungermanniae* genus pertinere Auctori videtur.

p. 107. Capite quinto *de Algis* agit Cl. Auctor. Fatetur quidem, ſibi nec *Anthoceros*, neque *Blaſiam*, neque *Ricciam*, omniumque minime *Charam*, cum Lichenibus vni ordini iuncta placere: cum tamen de iſtis paucarum tantum ſpecierum generationis partes cognouerit, vnamquamque ſuo loco relinquens ea proponit, quae certe detexit.

p. 107. Etſi igitur iam Ill. SCHMIDELIUS de *Anthocerote* et *Blaſia* egregie expoſuit; cum tamen augmenta Auctoris noſtri paullo altius eſſentialia fructificationis penetraſſe viſa ſint, ſuis Schmidelianas vo-

p. 109. luit confirmare et illuſtrare obſeruationes. Sunt igitur granula, ſubter cuticulam plantae in eiusdem ſubſtantia poſita, vera organa maſcula; etenim inſtante floreſcentia aliquantum eleuantur paullo poſt cuticula eadem obtegens dehiſcit, ſenſimque retrahitur in circulum oualem, inaequaliter protuberantem, reticuloſum, eaque eſt maſculi floris perianthium, quod SCHMIDELIUS coronulae ſimile expreſſit. Excauata circuli areola tres pluresque folliculos pyriformes, pellucente filamento, et ſuccoſa articulata circumferentia praeditos, granuloſaque maſſa repletos continet, quos vlterius diſquiſitos exacte deſcribit. Vigentibus his organis maſculis, corniculum eleuatur, in ſummitate filamentoſa calyptra ſtyligera tectum, quod membranam quamdam, eius baſin vaginae dentatae ad inſtar cingentem, perrupit: adultum deinde fuſceſcit, maturumque factum in duas valuas, quae in medio fila-

*) Vid. *Naturforſcher* XV. Th. p. 336.

filamentoſum ſeminum receptaculum inuoluunt, dehiſcit, ſeminaque echinata, elateribus difformibus comprehenſa, explodit. Atque hae quidem fructificationis partes omnino Auctoris ſententiam, iuxta quam Anthoceros ad muſcos hepaticos ſit adiungendum, confirmare nobis videntur.

In *Blaſia* fere ſimilis eſt fructificationis ratio. p 112.
Maio iam apud nos floret. Organa maſcula, inſtar veſicularum, neruo membranaceae expanſionis primum, impraegnatione autem abſoluta etiam lateralibus partibus inhaerent. Conſiſtunt antherae huius plantulae in folliculo, dum vigent, parum protuberante, fere luteſcente, perfunctae ſuo negotio nigreſcunt; exemtae ex receptaculo margine fibrilloſo inſtructae, intrinſecus maſſa granuloſa repletae ſunt. Eadem plantula, ſi tempeſtiue ſatis microſcopio multum augente diſquiritur, verum piſtillum cum ſtigmate ſuo offert; poſtea intumeſcere incipit rudimentum fructûs, atque tubulum molitur clauſum ſimilem corniculo Anthocerotis: atque in capſulae cauo conſpici poſſunt ſeminales globuli pellucentes. Maturo fructu tubulus aperitur, ſeminaque adſcendunt tubulique oſtio adhaerent. Decidunt deinde, et in ipſa plantulae vetuſtae fronde radiculas agunt et in nouas plantulas increſcunt. Pleraeque *Blaſiae* plantulae monoeciae ſunt; inueniuntur autem etiam numeroſi caeſpituli mere maſculi, quorum tamen ſperma maſculum femineis plantulis vicinis ope venti inſpergi Auctori videtur.

Ricciam glaucam LINN. tantum diſquirere po- p. 116.
tuit. Praemiſſa variae eius configurationis deſcriptione, in tota plantula reticularem conſpici vaſculorum ſtructuram oſtendit, ſuperficiemque ſuperiorem tuberculatam adparere. Inter iſta tubercula eminent globuli diſtincti a reliqua ſuperficie, niten-

tentes, quibus maſcula ineſſe organa ex granuloſa maſſa, intus contenta, docetur. *Flos femineus* intra ſubſtantiam deliteſcit, virgineum tamen expiſcari non potuit; foecundatus autem tumidusque factus detegitur. Loco, vbi apparet, ad perpendiculum ſecto, apparet ſtylus eleganter fuſcus, qui de loculo ſeminulis referto per parenchyma ad ſuperficiem adſcendebat. Eximi poterat vtriculus ex plantulae corpore, vnde eum propriis inſtrui involucris patebat. Semina globuloſa albiſſima, deinde virideſcunt, linea alba pellucente cincta.

p. 120. Sequitur nunc *Lichenum* conſideratio. Plerique Lichenes, praeter ſcutella concaua, vel farinoſam maſſam, circumferentia ſcutelliformi cinctam, vel puncta quaedam, ab ipſa fronde diuerſa, produnt. In his organa maſcula latent; ſcutella autem fructus ſ. ſemina continent. Sic in *Lichene* ciliari aliae verrucae, in ipſa frondis ſuperficie remanent, quae, ſi prius verticaliter diſſectae fuerint, quam fuſceſcunt, loculum ſiſtunt maſſa granuloſa repletum; quamprimum autem ſummitas eiusdem nigra fit, granuloſa maſſa euanuit, eiusque loco gelatinoſi quid ineſt. Particula autem, quae in ſcutellum eſt abitura, continuato incremento foueola ſe diſtinguit, ſubter quam, ſi ad perpendiculum ſecatur, e centro ſtriae ad peripheriam diriguntur: Adulto autem omnino ſcutello, eoque verticaliter diſſecto, inter ſtrias tenerrimas, quaſi inter loculos, granula nigra, in columnulam aggregata, conſpiciuntur, quae vera Lichenis ſemina ſunt. Eadem fere eſt organorum genitalium ratio in reliquis Lichenis ſpeciebus: ſi enim tempeſtiue luſtrantur, farinaceae et granuloſae partes e meris veſiculis conglomeratis conſtant, variant autem loco; ſic in *Lichene phyſode* in apicibus diuiſionum tumidis prodeunt; in aliis, vt *Lichene farinaceo* et *fraxineo*, ad margines locantur; vel

e ſu-

e ſuperficie prona emergunt, e. g. *L. pulmonario, aphthoſo;* vel ibidem orbiculos ſcutelliformes ſiſtunt, vt in *L. ſtellari.* Sic etiam partes femininae, ſcutella nempe inque his contenta ſemina, differunt, quorum priora in Lichenibus coriaceis praeſertim a communi forma recedunt; poſteriora vel oblonga, vel teſticulata, vel ſphaerica ſunt. Quae cum ita ſint, perſpici facile, ait Cl. Auctor, amplum Lichenis genus rectius in plura iuxta diuerſitatem organorum fructificationis diuidendum, nonnullasque ſpecies, a LINNEO diſtinctas, in vnam coniungendas eſſe.

Chara etſi ex mente SCHREBERI et poſt SCHMIDELII analyſin *Charae flexilis* non amplius plantis cryptogamicis accenſenda videatur: Noſter tamen *Charae vulgaris* ſuam diſquiſitionem hic appendicis loco addidit ideo, vt et illa magis confirmarentur, et alia ſpecies certius definiretur. Caulis *Charae vulgaris* laeuis, ſtriis ſpiralibus tamen diſtinctus eſt: denticuli articulorum calycis munere funguntur, quibus flores adpoſiti ſunt: anthera globulus eſt cinnabarini coloris, quae in hac ſpecie circulo pellucente tranſuerſalibus lineis notata veſtitur. Flos ſemineus ſ. piſtillum antherae ſuperimpoſitum eſt, et cum Linneana deſcriptione conuenit, praeter quod ea pars, quam ſemen vnum habuit, capſula ſit ſemina plura globuloſa continens. p. 125.

Denique capite VI. de Fungis agitur. DILLENII et GLEDITSCHII opera quidem genera fungorum bene eſſe definita; ſed in ſpecierum definitione omnia eſſe ambigua. Cauſſa huius incertitudinis in eo poſita eſſe Noſtro videtur, quod iſta vegetabilia tum demum conſpectui ſeſe offerant conſpicianturque, quum fructus maturent, ſintque, imo morti proxima. Tunc vero eadem maxime, p. 129.

a vera

a vera et genuina formá recedere. Itaque primum inquirendae ſunt partes genitales, atque locus indagandus, vbi eaedem ſint. Atque haec quidem Cl. Auctor in Agaricis et Boletis certis definiuit obſeruationibus. Partes, quas MICHELIUS maſculos flores ſ. ſtamina habuit, eadem non eſſe poſſunt: nam et in variis ſpeciebus deſunt, et vigent adhuc, cum ſemina maturitati propiora ſunt. Itaque Noſter, quae in Amanita arborea molli, coloris exacte crocei DILL. cat. Diſſ. p. 182. obſeruavit, refert. Huius fungi exordium, Auguſto exeunte, punctulorum minutiſſimorum inſtar apparebat, quae tomento rimae arboris arcte inhaerebant, donec d. 14 Septembris in fungum trium quatuorque pollicum adoleuiſſent. Tunc pilei inferior margo de ſtipite ſeceſſum parabat; pileique inferior pars denſa filamentoſa alba tela, a ſtipite ad marginem pilei extenſa, tecta erat. Secto ad verticem per medium pilei ſtipitisque fungo, ſubſtantiam eiusdem ſolidam albam animaduertit; ſimul autem vidit, ſuperficiem filamentoſae telae, a ſtipite ad pileum tendentis, interius, qua lamellas reſpicit, violacea materie induci, quae poſt breue interuallum in fuſcum colorem vergebat. Atque ablata haec violaceo fuſca particula, microſcopioque diſquiſita, ex filis pellucentiſſimis ſuccoſis, quibus innumeri ouales globuli dilutiſſime fuſcelli adneri erant, componebatur; hi globuli maſculam ſiſtunt genituram, quae igitur inſidet ſuperiori paginae volvae. Lamellae autem pilei in margine inferiore piloſae, pilis vel in apice globuli inſtructis, vel nudis, ſubſtantiam veſiculoſo reticulatam, cum elatiuſculis diſtinctis areolis maioribus exhibebant; atque adulto magis fungo ex lamellis pulviſculus fuſcus decidebat, quem vera ſemina eſſe mors plantae ab eius dimiſſione teſtatur. Hac ita-

itaque obſeruatione docetur, fungos fructificationis in ſtatu eſſe, dum pileus ſtipiti eſt adplicatus; hoc autem explicato ſtatum matureſcentiae indicari.

Alia eſt ratio in fungis, volua carentibus: nam p. 135.
in iis, ſi in tempore obſeruantur, filamentoſum opus in ſtipite ipſo deductum, iisdem ditatum globulis inuenitur: quod Cl. Auctor exemplo *Agarici orbicularis* DILL *Giſſ. p.* 185. et *Hydni imbricati* LIN. docet. In genere autem monet, tempeſtiue, et ante perfectam euolutionem adeundos eſſe hos fungos, ſi eorum organa genitalia cognoſcere velis, opusque eſſe perquam augentibus vitris, cum partes hae admodum minutae ſint. Num proceſſus ſ. pili in margine lamellarum, et oris tubulorum in boletis, loco ſtylorum habendi ſint, dubium eſt Auctori, etſi certum ſit, fungos, in quibus inueniantur, monoicos eſſe. Certe his propoſitis fungi vegetabilium claſſi vindicantur, euinciturque erraſſe, qui eos regno animali accenſendos eſſe dixerunt.

Atque his diligentibus atque accuratiſſimis obſeruationibus Cl. Auctor organa ſexualia ſ. flores in ſingulis ordinibus Claſſis XXIV. ſ. Cryptogamiae vere adeſſe clare et aperte demonſtrauit, et fideli delineatione iconibus egregiis illuſtrauit. Digna ſane fuit doctiſſima, atque ſolis fere curioſiſſimis obſeruationibus compoſita diſſertatio plauſu Academiae illuſtris, ſed digna eſt etiam omnium Botanicorum aſſenſu, quibus viam indicauit Cl. Auctor, quam proſequi debeant in extricandis floribus plantularum harum minutularum. Atque profecto ſi LINNEO laus honorque tribuenda erant, qui ab aliis, CAMERARIO, IUNGIO, caet. paſſim iam indicatum ſexum plantarum, repetitis experimentis extra omne dubium poſuit: eadem certe, quin imo maiora, praeconia meritus eſt HEDWIGIUS noſter,

qui in adeo paruis plantulis latentes minimasque partes, abſtruſo in loco poſitas, inamoeno et tam vario tempore vigentes, ac multum variantis ſtructurae tamen detexit, atque ſic illuſtrauit, vt obmuteſcant neceſſe eſt omnes illi, qui muſcorum aliarumque harum plantularum per copulam ſexualium partium propagationem negare auſi fuerant.

Reſtat, vt, quemadmodum polliciti ſumus, errorum typographicorum emendationem ſubiungamus:

Pag. 11. lin. 13. *veri;* lege, veritatis. p. 15. lin. 14. *vehentium;* lege, vehente neget. p. 17. l. 10. lege, interea in radiculam increſcentis iam primae ramificationes, etc. p. 18. l. 1. *fol.* lege, foliorum. p. 18. l. 1. *iorum*, facto commate, dele. p. 21. l. 19. *quadam*; lege, quaedam. p. 22. l. 2. *aſſumatur;* lege conſumatur. p. 39. lin. antepenultima: poſt *iſiarum* adde, apertura. p. 40. l. 9. *plantas*; lege, quantas. p. 40. l. 10. *pulueri analogon;* adde, habentes. p. 42. l. 6. poſt *iſta*; adde, vbi. p. *ead.* lin. 8. poſt *ſperma* dele punctum, et loco E, fac e. ib. l. 9. *riuulo*; adde, tradunt. p. 44. l. 15. *intricatorum*; lege, intricatarum. ib. l. 18. *Velleriana*; lege, Kelleriana. p. 48. l. 16. *dicimus*; lege, dicemus. lin. vltima, *maſculi*; lege, maſculo. p. 51. l. 45. *pedetenrim*; lege, pedetentim. p. 52. l. 7. poſt *iuntorum*, loco (;) fac (.) p. 54. l. 17. *vegetabilium*; adde, connectuntur. p. 57. l. 8. *abortu*; lege, ab ortu p. 61. l. 16. audient; lege, audiet p. 63. l. 22. ſtatuerunt, *qui non pro femineo habuerunt.* pone: ii, qui non pro mero femineo habuerunt. p. 66. l. 13. *obſeruatae*; lege, obſeruata. p. 67. l. 15. *quouis*; lege, quauis. p. 70. l. 8. *Muſc*; lege, femineo. p. 71. l. 2. *Maſculo*; lege, femineo. p. 73. l. 6. poſt *Conferuas;* fac, Comma. p. 79. l. 6. *praecipitant*; lege, praepilant. ib. l. 18. *hunc*; lege, hanc. p. 83. l. 11, *continuatam*; dele (.)

p. 58.

p. 85. lin. antepenult. *maſculo*; lege, maſculi. p. 87. l. 11. poſt *continuata*; inſere, alio. p. 89. lin. vltima et p. 90. l. 1. *diuerſimodum*; lege diverſis admodum. p. 93. l. 8. poſt globuligeris fac Comma; atque dele, obſidetur vna cum Semicolo poſt p. p. 96. l. 3. *Iungermanniae*; adde, epiphyllae. p. 98. l. 18. iſtas; adde, excreſcentes. p. 100. l. 14. tamen; lege, autem. p. 101. l. 4. *figurae quintae*; lege, figurae 127. p. 102. l. 5. in notula: *vicibus*; lege, viribus. p. 103. l. 17. *vtraque*; lege, vtroque. p. 104. l. 20. poſt *annotauit*; fac Colon. p. 105. l. 15. dele Comma poſt *cum*. p. 106. l. 15. *quoque*; adde, partium. p. 107. l. 3. *tum*; lege cum. ib. l. 15. *adnerſaria*; lege, adverſaria. p. 108. l. 4. dele Colon poſt *innoteſcerent*, et fac poſt *diſtractas*, ſemicolon. p. 112 l. 1. coelo; adde Comma. ib. l. 16. eleganti; lege elegante. p. 116. l. 11. *obſcura*; lege obſcura. p. 119. l. 1. *ſit*; lege, ſit. p. 124. l. 15. poſt *coriaceorum*; pone ſemicolon, atque adde, et. l. 16. *rotundiora*; loco puncti, fiat Comma. ib. lin. antepenult. perſpiciunt; lege perſpicient, p. 130. l. 1. *ea*; lege, eo. p. 134. lin. penultima: *incremento*; lege incrementum. p. 136. lin. antepen. poſt *organa* dele Comma et genuina. p. 138. l. 1. *Imbuti*; lege, Ieiuni. p. 139. l. 2. XIV; lege XXIV.

XXXII.

Noua phyſico-medica.

Quam nuper admodum *Viennae* fortunam chirurgia experta eſt, ea omnium medicorum oculos animosque in ſe conuerterit oportet. Hac de re quae nobiſcum communicata fuerunt, paucis referemus.

In nosocomio militum Gumpendorfensi, quod vocant, IOSEPHUS II. anno 1780 instituerat scholam medico-chirurgicam BRAMBILLAE curae concreditam. Haec ab initio habuit duos doctores; HUNCZOWSKY fungebatur professione chirurgiae, GABRIELY professione medicinae. Horum duumvirorum institutioni traditi erant 130 iuuenes, quorum 30 chirurgi militum superiores, qui dicuntur, iam fuerant. Triennio elapso auctus fuit et discentium et doctorum numerus, iussique sunt docere GABRIELY pathologiam et clinicen, BOECKING anatomen, physiologiam et physicen, STREIT chirurgiam medicam, et materiam medicam chirurgicam, HUNCZOWSKY operationes chirurgicas, artem obstetriciam, et chirurgiam forensem, PLENCK chemiam et botanicen; his additus est BEINDL, prosector professorque chirurgiae et anatomes extraordinarius constitutus. Praeterea Imperatoris liberalitate coëmta sunt instrumenta fasciaeque chirurgicae, bibliotheca ampla, quae quotidie per horae spatium aperiretur, instrumenta denique physica. Cum autem nosocomium Gumpendorfense spatii angustia laboraret, in vsum istius scholae splendidum amplissimumque aedificium Viennae exstructum est, in quo non modo doceatur, sed etiam habitent doctores, discentes, aegroti, foeminae grauidae, famuli. Tenet praeterea hoc aedificium bibliothecam, collectionem rerum naturalium, praeparata anatomica ad pathologiam spectantia, instrumenta fasciasque chirurgicas, instrumenta physica, praeparata anatomica e cera facta Florentiaque allata. Additus est hortus botanicus. Iam in isto aedificio schola medico-chirurgica solemniter aperta fuit die 7. Nouembr. *) 1785.

BRAM-

*) Non *Octobr.*, vt in titulo orationis BRAMBILLAE excusum legitur.

BRAMBILLA coram coetu ſplendidiſſimo orationem *) habente, doctoribusque Imperatoris iuſſu monetas aureas et argenteas diſtribuente. Praeterea Imperatoris atque BRENDELII, protochirurgi, liberalitate factum eſt, vt quotannis feſto paſchatos tres monetae, quarum vnaquaeque 40 floren. pretio aequat, conferantur in totidem iuuenes chirurgiae operam nauantes, qui tribus quaeſtionibus feſto paſchatos anni elapſi propoſitis optime reſponderunt.

Sed cum BRAMBILLAE oratio modo commemorata non pauca praeclara contineat, non alienum putamus, quae ibi leguntur, ea breuiter recenſere.

Diſpeſcuit autem BRAMBILLA orationem duas in partes, quarum in vna doceret praeſtantiam atque nobilitatem artis chirurgicae, in altera declararet, neceſſariam vtilemque eſſe ſcholae medico-chirurgicae fundationem. *Prima in parte* diſputat primum de *antiquitate* artis chirurgicae: eſſe ipſam matrem medicinae diaeteticae, nec minus antiquam, quam ipſum genus humanum: patere id partim ex rei natura, partim ex variis locis ſcriptorum et ſacrorum et profanorum: CHIRONEM primum chirurgiam, cuius tractatio ante ipſius aetatem tantummodo empirica fuiſſet, in artis formam redegiſſe (?): ab eo multos chirurgiam edoctos fuiſſe, in his AESCULAPIUM. HIPPOCRATEM maxime chirurgia exercenda clarum fuiſſe. Omnino duas medicinae partes, chirurgiam et medici-

 nam

*) Titulus hic eſt: Oratio I. A. EQ. A BRAMBILLA, habita Vindobonae, cum noua Caeſareo-regia academia medico-chirurgica anno 1785. die menſis Octobris ſolemniter aperiretur. Viennae. 4. pagg. 53.

nam diaeteticam, quas naturale idque arctiſſimum vinculum copulat, antiquitus coniunctiſſimas habitas fuiſſe. Sic praeter multos alios GALENUM fuiſſe ſimul medicum diaeteticum et chirurgum. Seculo demum 13 ſeiunctam eſſe in *Italia* chirurgiam a medicina interna. — De *neceſſitate* chirurgiae: medicinam ſaepe expoſcere auxilium chirurgiae: e contrario chirurgiam ſaepe carere poſſe medicina interna.—De *difficultate* chirurgiae: vaſtiſſimum eſſe chirurgiae campum, arctiorem multo medicinae internae, vt quem iam HIPPOCRATES propemodum emenſus fuerit. — De *iucunditate* chirurgiae: omnia in arte chirurgica eſſe tutiſſima et euidentiſſima (?), internam autem medicinam eſſe admodum incertam: plura huius rei exempla: chirurgiam non tantum in externis malis curandis priorem eſſe medicina diaetetica, ſed etiam in ſanandis quibusdam morbis internis palmam ei praeripere: exempla nonnulla hoc demonſtrantia. — Denique de chirurgiae *nobilitate*: eam antiquitus a viris nobiliſſimis adeoque principibus tractatam fuiſſe: de honore chirurgis habito praemiisque in eos collatis. — Iam *ad alteram orationis partem* tranſit noſter. — Primum comparat chirurgiam, qualis olim fuit in terris Auſtriacis, cum ea, quae ibi nunc eſt, vt inde eruat, qualis ea ſit in poſterum futura. Conqueritur de neglectu ac contemtu chirurgiae in Germania. De noſocomiis regionum Auſtriacarum. IOSEPHI II. merita de chirurgia et chirurgis. De ſchola medico-chirurgica Viennenſi. De academia chirurgica Regia Pariſina.

Ex plurimis huius orationis locis patet, quam magnifice illuſtris vir de artis chirurgicae praeſtantia ſentiat. Quae res etſi non potuit non efficere, vt BRAMBILLA hic illic paulo iniquior in medicinae internae virtutes eſſe videatur: optabile tamen eſt,

eſt, vt omnium et chirurgorum et medicorum animi ſimilibus ſenſibus impleantur. Ita enim fiet, vt nobiliſſima ac praeſtantiſſima ars tonſoribus et balneatoribus erepta priſtinoque ſplendori reſtituta melius excolatur, quoque vinculo ipſa natura eam cum medicina arctiſſime coniunxit, id ne amplius per hominum ſtultitiam atque ignauiam diſcindatur.

Academia ſcientiarum, artium bonarumque literarum *Diuionenſis* in conſeſſu die XXI Auguſti 1785. habito diiudicauit tractatus ſolutionem quaeſtionis febres continuas et intermittentes ſpectantis *) comprehendentes. Praemium tulit VOULLONNE, prof. medic. primarius in academia *Auenionenſi*, quem bis academia praemiis antea ornauerat. Sed praemium, quod acceſſorium dicunt, diuiſit academia, inque duos contulit: vnius nomen latet; alter eſt SAMUEL BENKOC, M. D., in Hungaria ſuperiore degens.

Academia regia ſcientiarum et bonarum litterarum ac artium *Burdegalenſis* in conſeſſu ſuo d. 25. Aug. 1784. habito praemio ornauit librum Cl. PARMENTIER, quo quaeſtionem ab ipſa propoſitam: quanam methodo optime et diutiſſime *Zea Mays* vel in granis, vel in farina conſeruari poſſit? et quibus mediis in vſum duci poſſit, praeter iam cognitos et ſolitos adhibendi modos? (*quel ſeroit le meilleur procedé pour conſerver le plus long tems poſſible, ou en grain ou en farine le Mais ou blé de Turquie? Et quels ſeroient les differens moyens d'en tirer parti dans les années aboudantes indépendamment des vſages connus et ordinaires dans cette Provence*) egregie ſoluit. Typis

 ex-

*) Vid. comm. noſtr. Vol. XXV. p. 556.

ſcriptus eſt liber Burdegali 1785 quaternis pag. 164. et mirum in modum auctus ab Auctore Cl. doctiſſimis obſeruationibus hiſtoriam naturalem et culturam huius plantae concernentibus.

Academia ſcientiarum, quae *Bruxellis* floret, in annum 1787 hoc dedit problema: Optat Academia, vt, quum *Melolontha vulgaris* ſ. *Scarabaeus melolontha* LINN. praeſertim eiusdem laruae tam copioſe multiplicentur, magnasque clades in aruis producant, *remedia tuta atque probata inueniantur, indicenturque, quibus haec inſecta facillime minimisque ſumtibus in diuerſis metamorphoſeos ſtatibus imminui vel eradicari queant.*

Praemium eſt moneta aurea, viginti quinque numos aureos hollandicos aequiualens. Tractatus latine, aut gallice, aut belgice, ante d. 16. Iun. 1787. ad Cl. DESROCHES, academiae ſecretarium, legibus ſolitis, mittantur.

Academia regia *Mantuana* inter alias quaeſtiones Philoſophiam, Matheſin, atque humaniores litteras ſpectantes hanc ex ſcientia naturali propoſuit: Quaeritur, cum experientia probatum ſit, aquae quandam quaſi praeparationem et quendam definitum ſtatum requiri, ſi eadem plantae fibroſae omnino et perfecte macerari velint; *qua ratione* facillime minimisque ſumtibus *magnae variarum aquarum copiae ea aequalis vis arte conciliari poſſit, vt linum cannabisque optime in eadem macerationem ſubeant; quaue machina vel alio medio haec aquae proprietas vel varia eiusdem macerandi vis cognoſci vel iudicari poſſint.*

Optima quaeſtionis ſolutio praemio CL florenorum valore coronabitur. Commentarii autem mittantur hoc ipſo etiamnum anno, legibus conſuetis, ad Cl.

IOAN.

IOAN. GIROL. CARLI, qui ſemper eſt Academiae a ſecretis.

Vt vniuerſitas, quae *Marpurgi* eſt, fama atque celebritate maiora incrementa capiat, Sereniſſimi ducis Haſſiae iuſſu, Ill. atque Cl. BALDINGER, hactenus Caſſellis Archiatri munere fungens, Profeſſor medicinae primarius Marpurgi factus, in hanc vrbem profectus eſt. Simul quoque Ill. STEIN, Conſil. aulicus, MICHAELIS, Conſil. aulic. et Archiater, Cll. MÖNCH, STEGMANN, et BRÜHL, Profeſſores Caſſelliani, in vniuerſitate Marpurgenſi profeſſores nominati ſunt. Inſtituetur etiam Hortus botanicus, Laboratorium chemicum, atque domus obſtetricia.

Societas regia ſcientiarum *Hafnienſis* in ſociorum numerum elegit: Ill. IOSEPHUM BANKS, Baronetum, Praeſidem ſocietatis Londinenſis: Ill. PETR. SIMON. PALLAS, Academicum Petropolitanum; Cl. ANDREAM IOANN. RETZIUM, Profeſſorem Botanices Lundenſem, atque HENRICUM NICANDRUM, Aſtronomum atque academiae ſcientiarum Holmienſis ſecretarium.

Cl. THUNBERG, Profeſſor botanices Vpſaliae Celeberrimus, ordine equeſtri de Waſa a rege Suecorum ornatus eſt.

Cl. IOANNES CHRISTIANUS GOTTLIEB ACKERMANN, M. D. Academiae naturae curioſorum Collega, hactenus Phyſicus Zeulenrodanus et Prouinc. Burgenſis, *Altdorfum* vocatus, atque ibi Profeſſor Medicinae factus eſt.

Cl. ZIMMERMANN, Profeſſor Carolinei Brunſuicenſis, *Petropolitanae* academiae imperialis membrum ordinarium electus, Petropolin adibit, atque Phyſici munere fungetur.

Cl. FRID. AUG. MEYER, M. D. Hildeshemienſis, a Ruſſorum Imperatrice munere Poliatri *Taurienſis* et titulo conſiliarii aulici ornatus eſt.

In locum mortui SCHMUCKERI ſucceſſit Cl. THEDEN, atque primum inter chirurgos regios obtinuit locum.

Mortui ſunt:

D. XXXI Iulii anni MDCCLXXXV. *Tranquebari* Experientiſſimus D. IOANNES GERH. KÖNIG, Medicus miſſionis Danicae, correſpondens ſocietatis ſcientiarum Hafnienſis, hiſtoriae naturalis diligens cultor, et botanicus ſagax.

D. XXVIII. Nouembr. eiusd. anni PHILIB. GUENEAU DE MONTBEILLARD, opera, qua BUFFONI hiſtoriam auium naturalem continuauit, aliaque plura ſcripta edidit, clarus; anno aetatis LXV.

D. XXXI. Decbr. eiusdem anni *Regiomonti* I. C. BOHLIUS, regis Boruſſorum archiater, et Profeſſor medicinae primarius, anno aetatis LXXXIII.

Menſe Ianuarii anni MDCCLXXXVI. *Idſteinii* Cl. NEIDHARD, et *Wisbadenii* Cl. MOHR, vtrique medicinae doctores, et practici felices.

D. V. Ian. eiusd. anni *Lutetiae Pariſiorum* I. STEPH. GUETTARD, membrum facultatis medicae Pariſinae, Botanicus ducis Aureliae, Cenſor regius, mineralogus celebris.

D. V. Martii anni MDCCLXXXVI. Berolini Cl. SCHMUCKER, Protochirurgus regius, atque Director noſocomiorum militarium.

Quem mortuum eſſe ſupra *) retulimus QUATREMERE D'ISJONVAL, etiam nunc viuere legimus.

XXXIII.

*) V. Comm. noſtr. Vol. XXVII. p. 538.

XXXIII.

Index librorum phyſico-medicorum, qui anno MDCCLXXXII. prodierunt.

Allgemeines Verzeichniß neuer Bücher mit kurzen Anmerkungen. 7 Band. Leipzig. 8.

Phyſicaliſch-ökonomiſche Bibliothek. 12ter Band. Göttingen. 8. (editore Cl. BECKMANN.)

Schriften der berlin. Geſellſch. naturforſchender Freunde. Dritter B. m. K. Berlin. 8.

Commentationes Societatis Regiae Scientiarum Göttingenſis per annum 1781. Volumen quartum. c. Fig. Göttingae. 4.

Bemerkungen der kurpfälziſchen phyſicaliſch oekonomiſchen Geſellſchaft vom Iahre 1781. Lautern. 8.

Abhandlungen einer Privatgeſellſchaft in Böhmen herausgegeben von I. *Edlen* VON BORN. 5*ter Band. m. K. Prag.* 8.

Der Naturforſcher 17 *und* 18 *Stück. Halle.* 8.

Nouveaux Memoires de l'Ac. Roiale d. Sc. et belles lettres. année 1780. Berlin. 4.

Acta academiae electoralis Moguntinae ſcientiarum, quae Erfurti eſt, ad annos MDCCLXXX et MDCCLXXXI. Erfurti. 4.

Neue Sammlung phyſiſch oekonomiſcher Schriften herausgegeben von der oekonomiſchen Geſellſchaft in Bern. 2ter Band. Zürch. 8.

Philoſophical Tranſactions etc. Vol. LXXI. for the Year 1781. Part. 1. and 2. London. 4.

Hiſtoire de l'Academie Royale des Sc. année 1779. Paris. 4.

Hiſtoire de la ſocieté royale de Médecine, année 1779. avec les mémoires de médecine et de phyſique médicale pour les mêmes années. à Paris. 4.

Iournal de Médecine, Chirurgie etc. Tom. LVII. et LVIII. à Paris. (v. c. n. XXVI. p. 626).

Hiſtoire de la Société Roy. des ſcienc. établie à Montpellier; avec des Mémoires de Mathematique et de Phyſique, tirés de Regiſtres de cette ſocieté. Tom. IIieme. A Montpellier. 4.

Hiſtoire et Mémoires de l'Academie Royale des Sciences, Inſcriptions et Belles Lettres de Toulouſe. Tome I. Toulouſe et Paris. 4.

Memorie di Matematica e Fiſica, della Società Italiana. Tomo I. Verona. 4.

Verhandelingen uitgegeeven door de Hollandſche maatſchappye der Weetenſchappen te Haarlem. 20 Deel, tweede Stuk. Haarlem. 8.

Verhandelingen uitgegeeven door het Zeeuwſch Genootſchap der Weetenſchappen te Vliſſingen. Achtſte en Negende Deel. Te Middelb. 8.

Kongl. Suenſka Vetenſk. Academiens nya Handlingar. T. III. for. 1782. Stockholm. 8. (vid. c. n. XXVII. p. 3.

Abhandl. der königl. ſchwed. Academie der W. aus der Naturlehre, Haushaltungskunſt und Mechanik, aufs Iahr 1776, aus dem Schwediſchen überſetzt von ABR. GOTTHELF KAESTNER. *38 Band. Leipzig.* 8.

Acta acad. ſcient. imperial. Petropolit. pro anno 1779. Pars I. II. Petropoli. 4.

Phyſikaliſche und mediciniſche Abhandlungen der kaiſerl. Academie der Wiſſenſchaften in Petersburg: a. d. Latein. überſezt von F. L. C. MÜMLER. *Iſter Band. m. K. Riga.* 8.

Abhandlungen zur Naturgeſchichte, Chemie, Anatomie, Medicin und Phyſik aus den Schriften des Inſtituts der Künſte und Wiſſenſch. zu Bologna, herausgeg. von N. G. LESKE. *2 Band, mit* VIII. *Kupfert. Brandenburg.* 8.

Unga-

Ungariſches Magazin, oder Beyträge zur ungariſchen Geſchichte, Geographie, Naturwiſſenſchaft, und der da hineinſchlagenden Litteratur. 2ter Band. Presburg. 8.

Mediziniſches Wochenblatt für Aerzte, Wundärzte und Apotheker: auf 1782. *Frankfurt am Mayn.* 8.

Gazette de ſanté, *erſter Jahrgang. Zürch.* 8. (vid. c. n. XXVI. p. 423.)

Materialien zur Geſchichte des Vaterlandes, deſſen Geographie, Naturproducte, Gewerbe in Baiern, Oberpfalz, Neuburg und Sulzbach. 1ſtes Stück. München. 4.

Pfalzbaieriſche Beiträge zur Gelehrſamkeit. Jahrgang 1782. *Erſtes Heft. Mannheim.* 8.

Duisburgiſche wöchentliche Unterhaltung. Duisburg. 8. (auctore Cl° MEISTER, qui hic de oeconomicis et hiſtoriam naturalem ſpectantibus rebus agit.)

Wunder der Natur, eine Sammlung auſſerordentl. und merkwürdiger Erſcheinungen und Begebenheiten in der ganzen Körperwelt, zum Unterricht und Vergnügen, nach alphabetiſcher Ordnung. Aus dem Franz. überſ., und mit Zuſätzen vermehrt. 1ſter Band. Leipzig. 8. (*Von Hrn.* SIGAUD DE LA FOND.)

La terre habitable ou eſſai ſur la ſtructure extérieure et intérieure du globe. London et Paris. 8.

Kurzes Lehrbuch der Naturgeſch. für Kinder und Kinderfreunde. Nürnb. u. Leipz. 8.

Abbildungen der merkwürdigſten Thiere nach ihren Geſchlechtern mit lebendigen Farben erleuchtet. XI—XIV. *Quartal. Berlin.* 8. (Icones hae ad BOROWSKY compilatam introductionem in hiſtoriam naturalem pertinent.)

Cata-

Catalogue des oiſeaux de la collection de M. le Bar. DE FAUGERES, fait ſuivant le ſyſteme de Mr. BRISSON, avec les noms donnés aux mêmes oiſeaux par différens auteurs. Paris. 8.

Méthodes ſures et faciles pour détruire les animaux nuiſibles. Paris. 8.

Verzeichniß aller Gewächſe Teutſchlands zur Beförderung ihrer phyſikaliſchen Geſchichte. Leipzig. 8.

Flore de Bourgogne etc. Dijon. 8. (auctor eſt DURAND, M. D. Diuionenſis.)

Abbildungen verſchiedener Sorten Hölzer. 1 — 14*ter Heft. Amſterd. u. Leipz. gr.* 4.

Collection de Mineraux, premier Cahier. à Paris. folio.

Verſuch eines ſyſtematiſchen Verzeichniſſes der Schriften und Abhandlungen von Eiſen, als Gegenſtand des Naturforſchers, Berg- und Hüttenmannes, Künſtlers und Handwerkers, Kaufmanns, Staatshaushälters und Geſetzgebers. Berlin. 8.

Abbildungen der Marmorarten nach der Natur auf das ſorgfältigſte mit Farben erleuchtet, und mit beigefügten teutſchen, holländiſchen, franzöſiſchen, engliſchen und lateiniſchen Namen. 1 — 6*tes Heft. Amſterdam und Leipzig. fol.*

Deliciae Cobreſianae. I. P. COBRES *Bücherſammlung zur Naturgeſchichte. Augsb.* 8. (Egregius ſyſtematicus eſt index librorum phyſicorum, accuratiſſime expoſitis titulis, inſimulque libris, vbi cenſurae indicatorum librorum factae ſunt.)

De förſte Regler for Agerdyrknigen, grundede paa Erfarenhed, og förnuftſluttninger. Odenſe. 8.

Encyclopedie methodique, ou par ordre des Matieres par une Societe de Gens-de-Lettres, de Savans et d'Artiſtes. Précedée d'un vocabulaire univerſel, ſervant de table pour tout l'ouvrage, ornée

ornée des portraits de MM. DIDEROT et D'ALEMBERT, premiers Editeurs de l'Encyclopedie. Hiſtoire naturelle. Tome I. à Paris. 4.

Bibliotheque phyſico-économique inſtructive et amuſante recueillie en 1782. 2 Tomes. à Paris. 8.

Beobacht. über den Ackerbau, nebſt Verhältniß zwiſchen demſelben und der Viehzucht. Deſſau. 8.

Traité complet de la culture de figuier; ſuivi d'un petit traité de la culture de differentes fleurs. à Paris. 8.

Le guide du fermier, ou inſtructions pour elever nourrir, acheter et vendre les bêtes à cornes, les brebis, les moutons, les agneaux et les cochons; Traduit de l'anglois ſur la 4eme Edition. Paris. 12.

Avis ſur les bleds germés, par le comité de l'Ecole gratuite de Boulangerie, imprimé et publié par ordre du Gouvernement. à Paris. 8.

Anleitung, wie der Hopfen aller Orten nutzbar zu erzielen ſey. Prag. 8.

Eſſais ſur la préparation des alimens dont le but eſt la ſanté, l'économie et la perfection de la théorie, á l'uſage des maitreſſes de maiſons etc. à Londres et ſe trouve à Paris. 8.

Catechetiſcher Unterricht für Bienenfreunde. Dresden. 8.

Hiſtoire des Decouvertes faites par divers ſavans Voyageurs dans pluſieurs Contrées de la Ruſſie et de la Perſe etc. 4 Vol. à Bern. 8. (Collectas ex GMELINI, PALLAS, GULDENSTEDT itineribus relationes continet.)

Allgemeine Geſchichte der neueſten Entdeckungen, welche von verſchiedenen gelehrten Reiſenden in vielen Gegenden des ruſſiſchen Reichs und Perſien, in der Hiſtorie, Naturgeſchichte, Landwirthſchaft etc. ſind

ſind gemacht worden. 5ter Theil, nebſt 11 *K. Bern.* 8. (Verſio prioris.)

A conciſe Account of Voyages for the Diſcovery of the North-Weſt-Paſſage. — By a Sea Officer. London. 12.

Troiſiéme Voyage de Cook, ou Iournal d'une expedition faite dans la mer pacifique de ſud et du Nord en 1776 — 80. traduit de l'anglois. à Paris. 8.

Travels in Europe, Aſia, and Africa; deſcribing Characters, Cuſtoms, Manners, Laws, and Productions of Nature and Art, etc. begun in the Year 1777, and finiſhed in 1781. 2 Vols. London. 8. (By MAC-INTOSH.)

The Iourney from Cheſter to London. London. 4. (by PENNANT).

Vermiſchte Beyträge zur phyſikaliſchen Erdbeſchreibung. 4ter Bd. Brandenburg. 8.

Deſcription generale et particuliere de la France. Departement du Rhone, Gouvernement du Dauphiné. Douzieme Livraiſon, compoſée de huit Eſtampes. à Paris. fol.

Bemerkungen auf meinen Reiſen über verſchiedne Gegenſtände der Phyſik. 1ſter Theil. Gieſſen. 8.

Medicinifches Handlexicon. Nach der 4ten franz. Auflage überſezt. 2 Bd. Augsburg. 8.

Almanach, oder Taſchenbuch für Scheidekünſtler und Apotheker auf das Iahr 1782. *Drittes Iahr. Weimar.* 8.

The new Britiſh Diſpenſatory. London. 12.

Schwediſches Apothekerbuch, nach der zweyten verbeſſerten Originalausgabe überſetzt, und mit einigen Anmerkungen begleitet. Leipzig. 8.

Pharmacopoea ruſſica. *St. Petersburg.* 8.

Sammlung vermiſchter Abhandl. iztlebender Scheidekünſtler. Hamburg. 8.

Memoria

Memoria di Chimia experimental. A Madrid.

An Account of ſome Experiments on Mercury, Silver, and Gold, made at Guilford, in May 1782. In the Laboratory of IAMES PRICE. To which is prefixed an Abridgment of BOYLE's Account of a Degradation of Gold. Oxford and London. 4. (*vid. com. noſt. XXVI. p.* 407.)

A Treatiſe on Experience in Phyſic. 2 Vol. London. 8.

Mediciniſcher Almanach fürs Landvolk, auf 1782. *Nürnb.* 8.

Mediciniſche Anekdoten aus der Schweiz. Frankf. und Leipz. 8.

Curſory Remarks on the Nature and Cauſe of the Marine Scurvy. London. 4.

A Medical and Philoſophical Eſſay on the Theory of the Gout. London. 8.

Wahre und zuverläſſige Beſchreibung von den Kennzeichen und der Kur der Entzündung des Magens und der Gedärme. 2te Aufl. Kopenhag. 8.

Beſchreibung der Epidemie, welche im Frühjahr 1782 *in mehrern Gegenden von Europa geherſchet und unter dem Namen ruſſiſche Krankheit bekannt geworden. Gieſen.* 8.

Lettre ſur le ſecret de M. MESINER, où Reponſe, d'un Medicin à un autre qui avoit demandé des Eclairciſſements à ce ſujet, extrait de numeros 19 et 20. de la Gazette de Sante, année 1782. à Paris. 12.

Mediziniſche und Chirurgiſche Gymnaſtick. Leipzig. 8. (Auctor TISSOT.)

Magazin für die gerichtliche Arzneykunde und medic. Policey. 1ſter Band. Stendal. 8. (vid. c. n. Vol. XXVI. p. 420.)

Mediciniſche Anweiſung wegen der tollen Hundewuth, welcher eine Vorſchrift für die Dorfbarbierer und

das Herzogl. Würtemb. Generalreſcript die Policeyanſtalten betreffend beygefügt iſt, mit einer ausgemahlten Kupfert. Stuttgardt und Tübingen. 4.

The Phyſicians Vademecum: or a Conciſe Syſtem of the Practice of Phyſic. Extracted from the Writings of the moſt eminent Phyſicians in a Pocket Size. London. 12.

Inokulationskatechiſmus für das Landvolk. Zürich. 8.

Geſpräche über die Geſundheit der Jünglinge und Mädchen. 8. 2 *Bändchen.*

L'art de faire des garçons. à Montpeiller et à Paris. 12.

Detail de ce, qui ſ'eſt paſſé dans les expériences, faites par M. IANIN les 18 et 23. Mars, en préſence des Commiſſaires réunis de l'Academie Royale des ſciences et de la ſocieté royale de Médecine. Paris. 8.

A Guide to Health, beauty, Riches and Honour. London. 8. (Collectio eſt notatu digniſſimorum nuntiorum ab iatroaliptis cet. publici iuris redditorum.)

Bibliothek der alten Aerzte in Ueberſetzung und Auszügen von D. C. G. GRUNERN. 2*ter Theil. Leipzig.* 8.

G. G. AFTERDINGS *Anleit. f. d. Landvolk in Abſicht auf ſ. Geſundheit. 2te Edit. Zürich.* 8.

Anzeige der kräftigſten Heilmittel, durch welche ſchon viele Ertrunkene, Erdroſſelte, Erſtickte und Vergiftete am Leben erhalten. Prag. 8.

Auszüge aus den beſten franzöſiſchen periodiſchen, mediciniſchen, chirurgiſchen und pharmaceutiſchen Schriften. 4*ter Band. Leipzig.* 8.

Elements of the Theory and Practice of Phyſic and Surgery By IOHN AITKIN. (*vid. comm. noſtr. Vol. XXV. p.* 418.)

An-

Anmerkungen über verſchiedne wichtige Gegenſtände der Wundarzneykunſt praktiſch erläutert. Braunſchweig. 8.

Obſervations et recherches ſur l'uſage de l'aimant en médecine, ou mémoires ſur le magnétiſme médicinal par MM. ANDRY et THOURET: extrait des mémoires de la ſocieté royale de médecine, année 1779. à Paris. 4. a. f.

Obſervations on the Nature, Kinds, Cauſes, and Prevention of Inſanity, Lunacy, or Madneſs. By TH. ARNOLD. Vol. I. Leiceſter and London. 8.

Lettera ſopra i mali effetti dell' inoculazione. Da G. AZZOGUIDI. Venezia. 12.

Selecta doctorum opuſcula etc. edidit ERN. G. BALDINGER. (vid. c. n. Vol. XXVI. p. 532.)

EIUSD. ſylloge ſelectiorum opuſculorum argumenti medico-practici. Vol. VI. Gött. 8.

EIUSDEM *neues Magazin für Aerzte. 4ter Band.* (vid. c. n. Vol. XXV. p. 474.)

EIUSD. *Nachricht vom mediciniſchen Leſeinſtitut zu Göttingen, nebſt einem Vorberichte von Studiren. Götting.* 8.

Philoſophical Diſſertations. By IAMES BALFOUR. London. 8.

Proeve over de natuurlyke Geſchiedenis van Guiana. In vier Brieven van E. BANKROFT. Uit het Engelſch vertaald, en verrykt met de Aanmerkingen van den Hoogduitſchen, en eenige van den Nierduitſchen Overzetter. Te Utrecht. 8.

Storia del mare e confutazione della favola, dove ſcopronſi inſigni errori di varj ſcrittori e ſpecialmente del Signor DE BUFFON, trattato del Conte LUD. BARBIERI. Venezia. 8. (*Multa reprehendit, vix meliora docens.*)

BAUDELOQUE'S *Anleitung zur Entbindungskunſt. Aus dem Franz., mit vielen verbeſſerten Kupfern und mit Anmerkungen verſehen und herausgegeben von* PH. FR. MECKEL. *Iſter Band. Leipz.* 8.

Bibliotheca chemica adornata a I. W. BAUMER. Gieſſ. 8.

EIUSD. elementa chemiae theoretico practicae. ib. 8.

Reize naar Peru, van 1749 tot 1770. Door P. WOLFGANG BAYER. Te Amſterd. 8.

De l'influence des affections de l'Ame. dans les maladies nerveuſes des femmes, avec le traitement qui convient à ces maladies, par M. DE BEAUCHENE. à Paris. 8.

Thoughts on Hunting. A new Edition. By P. BECKFORD. London. 4.

DOM. BECK inſtitutiones phyſicae. II Partes. c. f. ed. 2da. Salisburg. 8.

BECKMANNS *Bibliothek.* (vid. ſupra p. 171.)

EIUSD. *Beiträge zur Oekonomie. 6ter Theil. Götting.* 8.

Principes de Philoſophie generale, de Phyſique, de Chymie, et de Geometrie tranſcendante par M. BEGUIN. T. 1. 2. 3. à Paris. 8.

A Syſtem of Surgery, by BENIAMIN BELL. Vol. I. London. 8.

T. BERGMAN Sciagraphia regni mineral. ſecundum principia proxima digeſti. Lipſ. et Deſſaviae. 8.

EIUSD. *kleine phyſiſche und chymiſche Werke; aus dem Lateiniſchen überſetzt, von* HEINRICH TABOR. *B.* I *und* II. *Frankf. a. M.* 8. (Peſſima et maxime falſa ſaepe verſio.)

EIUSD. Diſſertat. de analyſi lithomargae def. *Carol. Dieteric. Hierta* d. 15 Iunii. Vpſaliae. 4.

T. BERG-

T. BERGMAN diſſ. chemiae progreſſus, a Medio ſaec. VII. ad Medium Saec. XVII. def. *Petrus Afzelius Arvidſon* d. 2 Ian. Vpſaliae. 4.

EIUSD. Diſſertatio chemica de terra asbeſtina, def. *Carol. Guſt. Kobſahm.* die 10 Iulii. Vpſaliae. 4.

EIUSD. Obſeruationes chemicae de antimonialibus ſulphuratis. def. *Frid. Wilh. Mannercrantz.* 10 Iul. Vpſaliae. 4.

Sphingum Europaearum laruae, tabb. aen. XII. pictae auct. HENRICO GILIELMO BERGSTRAESSER. Hanou. 4.

IOH. BERNOULLI *Sammlung kurzer Reiſebeſchreibungen m. K. 2ten Iahrganges 1ſter 2ter 3ter Bd. Deſſau.* 8.

IOS. FRANZ VON BERRHAY *Naturgeſchichte von Holland. M. K. 1. 2ter Band. Leipz.* 8.

La Mecanique appliquée aux Arts, aux Manufactures, à l'Agriculture et à la Guerre. Par M. BERTHELOT. Tome premier. à Paris. 4. a. f.

Penſieri ſul Governo de Fiumi, del Conte C. BETTONI. Breſcia. 4.

IOH. ULRICH BILGUERS *Verſuche und Erfahrungen über die Faulfieber und Ruhren, dem häufigen Sterben bey den Armeen und in den Feldlazarethen künftighin Grenzen zu ſetzen. Berlin.* 8.

An hiſtorical Sketch of Medicine and Surgery from their Origin to the preſent time; and of the principal Authors, Diſcoveries, Improvements, Imperfections and Errors. By W. BLACK. London. 8.

Dr. MARKUS ELIESER BLOCH'S *Abhandlung von der Erzeugung der Eingeweidewürmer, und den Mitteln wider dieſelben. Eine von der Königl. Däniſchen Sozietät der W. zu Koppenhagen gekrönte Preisſchrift. Berlin.* 4.

EIUSD. *Naturgeſchichte der Fiſche Teutſchlands 2ter Theil. Berlin.* 4.

BLUMENBACHS *mediciniſche Bibliothek. Erſtes Stück. Götting.* 8.

EIUSD. *Handbuch der Naturgeſchichte. 2te verbeſſerte Auflage. Gött.* 8.

H. C. G. BODE diſſ. inaug. de ſanguinis detractionis recto vſu in morbis bilioſis. Göttingae. 4.

G. R. BÖHMER, de vario Coffeae potum parandi modo, reſp. *I. H. Mitzky.* Viteb. 4.

EIUSD. progr. continens inquiſitionem in eſſentiae coffeae in nouellis publicis nuper commendatae virtutem. Ibid. 4.

HERM. BOERHAVENS *Anfangsgründe der Chymie. 3 Theile, herausgegeben von* I. CHR. WIEGLEB. *M. K. Berlin.* 8.

EIUSD. *Lehrſäze des theoretiſchen Medicin mit Commentarien und Auszügen aus den bisherigen Vorleſungen über dieſe Lehrſätze. Mit Zuſätzen von D.* MÜMLER. *Helmſtädt.* 8.

IOH. FRIEDR. BÖTTCHERS *Abhandlungen von den Krankheiten der Knochen, Knorpel und Sehnen. 1ter 2ter Theil. Deſſau.* 8.

Florae Nannetenſis Prodromus, curante FRANC. BONAMY. à Nantes. 8.

A. BONN — Commentatio de humero luxato. Lugd. Bat. et Amſtel. 4. cum tabb. aen.

EIUSD. *über eine ſeltene und widernatürliche Beſchaffenheit der Haarnblaſe und Geburthstheile eines 12 Iährigen Knaben, überſezt v.* H. I. ARNTZ. *Straßburg.* 8.

I. B. BONNEFOY, diſſertation ſur l'application de l'électricité à l'art de guerir. à Paris. 8.

KARL BONNETS *Betrachtungen über die Natur. 1ſter Band. 4te Auflage. Leipzig.* 8.

Gemein-

Gemeinnützige Naturgeſchichte des Thierreichs, ausgefertigt von D. G. H. BOROWSKY. *3ter Band. Berlin und Stralſund.* 8. (cf. ſupra *Abbildungen*).

EIUSD. *Almanach für teutſche Landwirthe auf* 1782. *Frankf. a. d. Oder.* 8.

Deſcription de Alpes Pennines et Rhétiennes; par T. BOURRIT. à Genève. 8.

Beſchreibung der Penniniſchen und Rhätiſchen Alpen, von M. T. BOURRIT. *M. K. Zürich.* 8.

Obſervations on the Influenza, or Epidemic Catarrh; as it appeared at Briſtol and its environs, during the Months of May and Iune 1782. To which is added a Meteorological Iournal of the Weather. By A. BROUGHTON, M. D. London. 8.

Enchirid. botanicum; complectens characteres genericos et ſpecificos Plantarum per Inſulas Britannicas ſponte naſcentium ex Linneo aliisque deſumtos. Edidit ARTHURUS BROUGHTON. London. 8.

P. M. AUG. BROUSSONET Ichthyologia ſiſtens piſcium deſcriptiones et icones. Decas I. Londini. fol. (vid. c. n. Vol. XXV. p. 306.)

Dyrenes hiſtorie og Dyre Samlingen udi Univerſitetets Natur-Theater. Forſte Bind; forſte Hefte. Tilligemed En hiſtoriſk Indledning, afhandlende Natur-Videnſkabernes Fremgang under de Danſke Konger ſiden Univerſitetets Stiftelſe ved M. TH. BRÜNNICH. *Kiövenhaven. fol. m. K.*

EIUSD. hiſtoriſk Inledning. etc. ſeparatim prodiit. fol.

DANIEL BRYAN diſſ. inaug. de affectibus animi. Edinburg. 8.

An hiſtorical account of two ſpecies of Lycoperdon. by C. BRYANT. London. 8.

D. WILH. SEBAST. BUCHHOLTZ *Beiträge zur gerichtlichen Arzneygelahrheit und zur Medizinischen Polizei. Weimar* 8.

R. BUCHHAVE *Entdeckung eines Mittels, das nicht nur in kalten Fiebern ſondern auch in mehrern Krankheiten die Stelle der Chinarinde vertreten kann. Aus dem Lat. mit Zuſ. des Verf. und Anm. von D.* I. D. TODE. *M. K. Kopenh. u. Leipz.* 8.

Herbier ou collection de plantes, medicinales de la Chine, d'après un manuſcrit peint et unique, qui ſe trouve dans la Bibliotheque de l'Empereur de la Chine et de l'Europe, dirigé, par le ſoins DE MR. BUC'HOZ. à Paris. fol.

Manuel uſuel et économique des Plantes etc. etc. par le même. Ib. 8.

Tréſor des laboureurs dans les oiſeaux de baſſecour, par le même. nouv. edit. ibid. 12.

Les dons merveilleux, et diverſement colorie de la Nature dans le regne vegetal par le même. 14eme Cahier, à Paris. fol.

Volſtändige Anweiſung zum Zahnausziehen für angehende Wundärzte, von I. I. H. BÜCKING. *Wolfenbüttel. m. K.* 8.

Supplem. à l'Hiſtoire naturelle générale et particuliére par Mr. le C. DE BUFFON. Tom. VI. à Paris. 4

BÜFFONS *Naturgeſchichte der Vögel a. d. Fr. mit Anmerkungen und Zuſätzen.* VI *Theil. Leipzig.* 4. *mit* 13 *K.*

DESSELBEN *Naturgeſchichte der Vögel* 8*ter Band. mit Anmerkungen von* B. C. OTTO. *Berlin.* 8. *mit* 47 *K.*

P. H. BÜSCH *Verhaltungsregeln für Schwangere, Gebärende und Wöchnerinnen gegen Vorurtheile und Misbräuche. Hamburg.* 8.

Plantes vénéneuſes de la France, gravées en couleur; par BULLIARD, 180 — 220. Livraiſon. à Paris. fol.

Flora

Flora Pariſienſis etc. Par M. BULLIARD Tom. V. 1er cahier. à Paris. fol.

I. BAPT. BURSERII inſtitutionum medicinae practicae. Vol. I. de febribus. Mediolani. 4.

A Treatiſe on the infantile Remittent Fever. By WILLIAM BUTTER. Edinburgh. 8.

WILLH. BUTTERS *Abhandlung von dem Keichhuſten; nebſt einem Anhange vom Schierlinge und deſſen Zubereitungen. A. d. E. durch* I. C. F. SCHERF. *Stendal.* 8.

SAMUEL DE BUTTS diſſ. inaug. de aëris in corp. hum. effectibus. Edinburg. 8.

W. CADOGAN *über das Säugen und Verpflegen der Kinder nach der 8ten Londner Ausgabe a. d. Engl. Münſter.* 8.

Naturkundige Verhandelingen van P. CAMPER over den Orang-Outang en eenige andere Aapſoorten, over den Rhinoceros met den dubbelen Horen, en over het Rendier. Te Amſterdam. 4.

EIUSD. Mengelſtoffen over de Steengroejing en derzelver Heelwyze. te Amſterd. 8.

EIUSD. *kleinere Schriften 1ſter B. a. d. Holl. von* S. F. M. HERBELL. *Leipzig.* 8.

Nouveau récueil d'oſtéologie et de myologie deſſiné d'après nature par M. IACQUES GAMELIN DE CARCASSONNE pour l'utilite des ſciences et des arts, diviſé en deux parties. à Toulouſe, à Montpellier, et à Paris.

I. G. CARELSON diſſ. inaug. de ſymptomatologia et aetiologia febris lentae neruoſae. Götting. 4.

Expreſſion des nivellements, ou methode nouvelle, pour exprimer vigoureuſement les Cartes terreſtres et marines, les hauteurs et les configuration du terrein: accompagn. d'une Carte,

par DU CARLA; publiée par DUPAIN — TRIEL. à Paris.

Nouveaux principes de phyſique. Par M. CARRA. Tome 3. Paris. 8.

Verſuch über die Theorie und Anwendung der medicin. Electricität von TIB. CAVALLO, *aus dem Engl. überſ. nebſt* 1 *K. Leipz.* 8.

Mémoire ſur l'electricité medicale, et hiſtoire du traitement de vingt malades traités, et la plus part guéris par l'Electricité. Par M. MAZARE DE CAZELLES. à Paris. 8.

Second Mémoire ſur l'electricité medicale et hiſtoire du traitement de quarante deux malades, entiérement guéris, ou notablement ſoulagés par ce remède. Par le même. ib. 8.

Eſſai ſur l'Electricité naturelle et artificielle par M. le Comte DE LA CEPEDE. 2 Voll. Paris. 8.

Phyſique generale et particuliére par M. le C. DE LA CEPEDE, à Paris. 12.

GE. CHANDLERS *Abhandlungen über die Krankheiten des Auges etc. a. d. Engl. m.* 2 *K. Leipz.* 8.

HEINR. CHAVETS *Vorſchlag zur gänzlichen Ausrottung der veneriſchen Krankheiten. Düſſeldorf.* 8.

Eſſai analytique ſur les eaux minérales de Dinan etc. par M. CHIFOLIAU. St. Malo. 8.

Nouvelle méthode ſure, courte et facile pour le traitement des perſonnes attaquées de la rage. Par CLAUDE DU CHOISE. à Pondichery et Paris. 8.

Abrégé de l'hiſtoire des plantes uſuelles, etc. Par feu P. I. B. CHOMEL. — à Paris. 8.

THOM. CHRISTANS *Beitrag zur Geſchichte und Behandlung der natürlichen Pokken.* 2 *Theile. Wien.* 8.

An Inquiry into the Nature of the Venereal Poiſon and the Remedies made uſe of to prevent its effects: principally with reſpect to Lotions, Unguents, Pomades and Injections. Addreſſed particularly to young Men. By I. CLUBBE. London. 8.

Deliciae Cobreſianae vid. ſupra. p. 174.

G. B. COELS de variolis. Friburgi. 8.

Conſidérations ſur les Montagnes Volcaniques. par M. COLLINI. à Mannheim. 4.

Du lait conſidéré dans tout ſes rapports; par M. COLOMBIER. Part. I. à Paris. 8.

G. CORP diſſ. inaug. de phthiſi pulmonali. Edinburg. 8.

Extrait des Obſervations Météorologiques faites à Montmorency, par ordre du Roi, pendant le mois de Novbr. 1781. par le R. P. COTTE.

Die neueſten Entdeckungen in der Chemie geſammelt von D. LORENZ CRELL, *4ter und 5ter Theil. Leipzig.* 8.

Europens Producte, zum Gebrauch der neuen Producten-Karte von Europa. Von A. F. W. CROME. *Deſſau.* 8.

Phyſico chymie theorique en dialogue à laquelle on a joint une table des combinaiſons les plus connues en chymie avec les noms de leurs reſultate. Par M. L. I. DE LA CROIX. à Paris. 8.

Mémoire ſur la paſſage par le Nord, qui contient auſſi des reflexions ſur les Glaces. Par le Duc DE CROY. à Paris. 4.

A ſhort

A ſhort Hiſtory of the Brown Tail Moth, the Caterpillars of which are at preſent uncommonly numerous and deſtructive in the Vicinity of the Metropolis. Illuſtrated by a Copper-Plate, coulloured from Nature, repreſenting the Inſect in its various States. By W. CURTIS. London. 4.

CARL IOS. DAMILANO *Abhandlung über den Frieſel im Piemonteſiſchen. Göttingen.* 8. (vid. c. n. Vol. XXV. p. 696.)

G. DANIEL diſſ. inaug. de Cynanche Typho. Edinburg. 8.

CHR. FRID. DANIEL ſyſtematis aegritudinum etc. Pars II. (vid. comm. noſtr. Vol. XXIV. p. 704.)

Hiſtoire naturelle de la Provence, conténant ce qu'il y a des plus remarquable dans les regnes végétal, minéral, animal et la partie geoponique. Par M. DARLUC. Tom. I. à Avignon et à Paris. 8.

Inſtructions pour les bergers et pour les propriétaires de troupeaux par M. D'AUBENTON. à Paris. 8.

Obſervations ſur la necroſe par M. DAVID. (vid. comm. noſtr. Vol. XXV. p. 422.)

An account of a ſafe and an efficacious Medicine in ſore Eyes and Eye-lids. By TH. DAWSON. London. 8.

Des Herrn Baron KARL DEGEER *Abhandlungen zur Geſchichte der Inſekten aus dem Franz überſetzt und mit Anmerkungen herausgegeben von* IOH. AUG. EPHRAIM GÖZE. *Sechſter Band. Mit 30 Kupfertafeln. Nürnberg.* 4.

DELACROIX *Taſchenbuch für Naturliebhaber. St. Petersburg.* 8.

De cholelithis obſervationes, auctore HENR. FRIED. DELIO. (vid. comm. noſtr. Vol. XXVI. p. 429.)

DE

DE LÜC *Briefe über die Geſchichte der Erde und des Menſchen. A. d. Fr. 2ter Band. Leipz.* 8.

Carte phyſique de la France pour voir la diviſion naturelle de ce Royaume en pluſieurs baſſins formés par des chaînes de montagnes etc. par Mr. DENIS.

JOH. TALB. DILLON *Reiſe durch Spanien, aus dem Engl. überſ., und mit den übrigen Nachrichten des Hrn.* BOWLES *vermehrt. 2 Theile. Leipz.* 8.

THOM. DIMSDALES *Schriften über die Einpfropfung der Blattern. a. d. E. Leipz.* 8.

J. I. DIMMLER diſſ. difficultates in curatione morborum infantilium obuenientes ſuccincte exponens. Götting. 4.

MATTHAEUS DOBSON *Abhandlung über die mediciniſchen Kräfte der fixen Luft. A. d. E. Leipzig.* 8.

Memoirs of Agriculture and other Oeconomical Arts. By ROBERT DOSSIE. Vol. III. London. 8.

Rapport fait par ordre du Gouvernement, ſur un mémoire contenant la Methode employée par feu M. M. DOULCET, dans le traitement d'une maladie, qui attaque les femmes en couche et que l'on connoit ſous le nom *de Fievre Puerperale.* Lu dans la ſeance de la ſocieté Royale de Medecine; tenue au Louvre le 6 Septembre 1782. à Paris. 8.

Illuſtrations of natural Hiſtory. By D. DRURY. Vol. III. London. 4.

Traité general des pêches, et Hiſt. des poiſſons qu'elles fourniſſent. Par M. DU HAMEL. 3 Vol. à Paris. Fol.

EIUSD. *Abhandlung von den Obſtbäumen. 2ter Th. Nürnb.* 4.

A Letter to Dr. ROBERT IONES of Caermarthenſhire, in Anſwer to the Account which he has publiſhed of the Caſe of Mr. *Iohn Braham Iſaacſon*, and to the injurious Aſperſions which he has thrown out againſt the Phyſicians who attended Mr. *Iſaacſon*. By A. DUNCAN. Edinburgh and London. 8.

Obſervations ſur l'uſage des végétaux exotiques, et particulièrement du Guajac, de la Squine, de la Saſſeparille, et de la Lobelia ſyphillitica, dans les maladies veneriennes. Par I. DUPAU. à Paris et Toulouſe. 8.

Voyage du Comte DUPRAT dans l'Inde, écrit par lin-même. à Londres. 8.

Examen phyſico-chemicum acidularum Freudenthalenſium in Sileſia, quod pro doctoratus laurea diſquiſitioni ſubmittit SEB. DURER. Viennae. 8.

C. E. L. *Grafen* VON DYHRN *Anleitung zur Teichwirthſchaft m. K. Breslau. gr.* 8.

IOH. GOTT. VON ECKHART *Experimentalökonomie über das mineraliſche Reich: mit Anm. u. K. von* L. I. D. SUCKOW. *Leipz.* 8.

Elements of the Branches of Natural Philoſophy connected with Medicine. By I. ELLIOT, M. D. London. 8.

An authentic narrative of a Voyage performed by Capt. COOK and Capt. CLERKE in his majeſty's ſhips Reſolution and Diſcovery during the years 1776. 1777. 1778. 1779. and 1780. in ſearch of a Northweſt Paſſage etc. by W. ELLIS. 2 Voll. London. 8.

Reliqua proxime.

Contenta in hac parte.

I. Commentationes ſocietatis regiae ſcientiarum Göttingenſis Vol. II. 3
II. Fundamenta Chemiae a D. IOH. WILH. BAUMERO. 10
III. *Sammlung, phyſicaliſcher und chymiſcher Abhandlungen von* FRANZ CARL ACHARD. *Erſter Band.* 16
IV. Oſſervazioni circa il flogiſto di ANT. BUCCI. 43
V. Oſſervazioni del CO. LUIGI TORRI ſopra l'acqua bozzola. 44
VI. Eſſai ſur les eaux thermales de Balaruc. 46
VII. Mémoire ſur l'air inflammable (auctore MINKELERS.) 47
VIII. Dizionario di Chimica del Sign. MACQUER tradotto da GIOV. ANT. SCOPOLI. 50
IX. CONST. A SCHOENEBECK tentamen de calore animali. 54
X. Anatomicarum annotationum Liber IIdus, auctore ANTONIO SCARPA. ib.
XI. IO. IAC. HARTENKEIL tractatus de veſicae vrinariae calculo. 58
XII. IANI BLEULAND obſeruationes de ſana et morboſa oeſophagi ſtructura. 60
XIII. Diſſ. inaug. de muſculoſa vteri ſtructura, praeſide IUSTO CHRIST. LODER, defenſa a *Chr. Aug. Hauenſchild.* 62
XIV. IOH. GOTTFR. WEISSE diſſ. de ſtructura vteri non muſculoſa. 64
XV. Exercitationes phyſico-medicae de admiranda naturae ſimplicitate etc. Auctore LEON. LUD. FINKE. 65
XVI. Philoſophical Tranſactions for the Year 1781. 67
XVII. CAR. A LINNE' ſyſtema vegetabilium, editio XIV. curante IO. ANDR. MURRAY. 85
XVIII. IO. A. MURRAY opuſcula Vol. I. 89
XIX. ANDR. BONN tabulae oſſium morboſorum Faſc. I. II. 93
XX. ED. SANDIFORT deſcriptio oſſium hominis. 94
XXI. SAM. THOM. SÖMMERING diſſ. inaug. de lapillis vel prope vel intra glandulam pinealem ſitis. 95
XXII. CAROL. STRACK obſeruationes medicinales de febribus intermittentibus. 97

XXIII. WENC. TRNKA DE KRZOWITZ hiſtoria cardialgiae. 107
XXIV. *Der gemeinſchaftliche Kelch von Dr.* CHRIST. GOTTF. GRUNER. 110
XXV. *Die Eispflanze als ein ſpecifiſches Mittel empfolen von* IO. WILH. FR. LIEB. 113
XXVI. IO. HENR. MÜNCH diſſ. inaug. circa vſum belladonnae in melancholia, caet. 114
XXVII. AD. MURRAY diſſ. de cirſocele, reſp. *Gabr. Bonsdorf.* 116
XXVIII. EIUSD. diſſ. de ruptura cordis, reſp. *Petr. Guſt. Tengmalm.* 122
XXIX. EIUSD. diſſ. de tumoribus ſaliualibus, reſp. *Io. Guſt. Lodin.* 124
XXX. Nouveaux mémoires de l'academie de Dijon Second Semeſtre MDCCLXXXII. 127
XXXI. IO. HEDWIG theoria generationis et fructificationis plantarum cryptogamicarum LINN. 141
XXXII. Noua phyſico medica. 163
XXXIII. Index librorum phyſico-medicorum, qui anno MDCCLXXXII prodierunt. 171

COMMENTARII DE REBVS IN SCIENTIA NATVRALI ET MEDICINA GESTIS.



VOLVMINIS XXVIII. PARS II.

LIPSIAE, MDCCLXXXVI.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Londini apud Pr. Elmsly, Edinburgi apud Elph. Balfour, Lugd. Bat. ap. Fratres Luchtmann, Parisiis apud Barrois senior. Venetiis apud Io. Bapt Pasquali, Milano apud Ios. Galeazzi, Augustae Taurinor. apud Laurent. Giraud, Florentiae apud Ios. Molini, Holmiae apud M. Swederum.

Jos: Banks

I.

Nouveaux Mémoires de l'Academie Royale des ſciences et des belles lettres de Berlin. A. MDCCLXXXII. avec l'Hiſtoire de la meme année. à Berlin. Imprimé chez G. I. Decker, Imprimeur du roi. MDCCLXXXIV.

i. e.

Noua Acta Academiae regiae Berolinenſis. a. MDCCLXXXII. Hiſtorica pars pagg. 78. Acta ipſa 535 paginis comprehenduntur. Tab. aen. VII.

Quum Actorum horum volumina, quae poſt annum MDCCLXXV. ad hoc vſque Volumen apparuere, ab aliis, qui nunc indicandi ſunt, libris, annis paullo remotiora ſint, illorum contenta in ſupplementis proxime indicabimus, iam recentiorum epitomen enarraturi. Paucae autem ſunt in hiſtorica parte obſeruationes, quas hoc loco commemorare noſtri inſtituti ratione iubemur.

Cl. GERHARD bufonem viuum lapide conclu- p. 13.
ſum deſcripſit. Animal iſtud in cuniculo ſubterraneo 13 perticas profundo deprehendebatur, in ſchiſtoſo latens lapide, ex cuius cauo minima quaedam rimula ad ipſam montis ſuperficiem exporrigebatur. Facile intelligitur, cum aquis pluuiis bufonis ouulum per rimam iſtam ad ſpeluncam in lapide excauatam deueniſſe, Veroſimile autem erat, bufonem in lapide illo, diuturno tempore latuiſſe,

eum rima in eo loco, qui cauitati eſſet proximus, lapidoſa materie obſtructa eſſet.

p. 16. ROMÉ DE L'ISLE *Epiſtola dedicatoria ad Academiam Berolinenſem, editioni nouae Cryſtallographiae praefixa.* De opere iſto, alio loco ad lectores referemus.

p. 34. MOULINES *de nouo quodam electrometro.* Cyclometrum potius eſt, cuius ope numerari poſſunt rotae, qua mouetur machina electrica, circumuolutiones.

Accedamus nunc ad illam Actorum partem, quae Commentationes phyſicas medicasque comprehendit.

p. 4. ACHARD *Diſſertatio de calore, quo ebulliunt fluida varia, compreſſionis, quam ab aëre ambiente patiuntur, rationem ſequente.* Aquam non eodem ſemper caloris gradu feruere, ſiue in depreſſis, ſiue in elatis locis experimentum ceperis, poſt FAHRENHEITIUM multi obſeruarunt; cauſam vero huius rei nemo hactenus inueſtigauit. Quam definiturus Noſter, laboris exordium ab eo capiendum eſſe exiſtimauit, vt prius rationem, qua fiat omnis ebullitio, declararet. Haec autem eſt aquae in elaſticos vapores conuerſio, non illa vero, quam priores phyſici ſibi finxerunt, aëris elaſtici ex aquae interſtitiis expulſio. Aqua enim, aëre ſuo antliae pneumaticae ope orbata, tamen, ſi calorem admoueris, ebullire haud recuſat. Quae cum ita ſint, facile intelligitur, particularum aquae ſeceſſionem, eiusque in vapores mutationem non poſſe non impediri retardarique omni re, quae aquam comprimit mutuamque particularum copulam ſtrictiorem reddit. Quo validior autem iſta eſt compreſſio, eo difficilius eius vim vaporum generationi reſiſtentem

tem vinci, conſentaneum eſt. Igitur, quo maior eſt aëris aquam ambientis moles et grauitas, quo altius in barometro mercurius attollitur, eo violentiore igne opus eſt, quo fieri poſſit bullarum vaporumque ex aqua emerſio. Caeterum, quo accuratius definire poſſet caloris gradus varios, quibus aqua maiori minoriue aëris pondere preſſa, ad ebullitionem indiget, vſus eſt Noſter ſingulari inſtrumentorum apparatu, cuius delineationem etiam ſimulque experimentorum cum illo captorum tabulam ſynopticam diſſertationi ſuae addidit.

EIUSDEM *Examen chemicum pilorum animalium.* p. 10. Lana, capilli, variorumque animalium pili cum aqua in Papiniana olla excocti aliquam gelatinoſae partis iacturam patiebantur, ſimulque fragiliores, pondere et figura ſaluis, reddebantur. Combuſti paucos cineres relinquebant, ita tamen, vt horum pondus pro diuerſa pilorum natura varium eſſet. Pauciſſimos cineres capilli humani, plurimos pili canini exhibebant. Cineres pilorum, caprinis ſuillisque exceptis, nullum ſal continere, ſed ex ſola terra alcalina, oſſium terrae omnino ſimili, ferreisque particulis mixta, conſtare videbantur. Deſtillatione inſtituta, ſal volatilis alcalinus, tum purus, tum acido quodam ſingulari iunctus, oleumque empyreumaticum ex pilis prodibat. Liquores alcalini cauſtici, acidique concentrati pilos diſſoluunt, qui tamen a ſalibus alcalinis vulgaribus acidoque aëreo foetis parum, a vini ſpiritu, aethere, oleisque omnino non mutantur.

EIUSDEM *Experimenta chemica ad ſalis communis decompoſitionem ſpectantia.* p. 26. In Anglia officina eſt ſalis alcalini mineralis ex ſale communi, huius deſtructione, praeparandi. Artificium, quo ad hanc rem vtuntur, ſtudioſe celatur ab officinae poſſeſſoribus; fertur tamen, illos cum lithargyrio ſal

commune terere. Noſter autem, experimentis plurimis inſtitutis, lithargyrii exiguam, reliquarum vero plumbi calcium ipſiusque plumbi nullam in deſtruendo ſale communi potentiam eſſe ſibi perſuaſit. A calce viua calcareoque lapide ſal commune non deſtrui, neque etiam lithargyrii vim addita calce viua iuuari acuique poſſe obſeruauit. Videtur tamen lithargyrium trituratione cum ſale communi inſtituta albedinem contrahere et in ceruſſae ſpeciem mutari.

p. 42. EIUSDEM *Diſſertatio poſterior de ratione et modo, quo acidum ſalis et vitriolicum ab alcali minerali poſſit ſeiungi.* Angli lithargyrium cum ſale communi terere ſolent, non eo quidem conſilio, vt hoc deſtruant, ſed potius, vt ex illo ceruſſam citrinam parent. Noſter in hac diſſertatione multis experimentis oſtendit, ſal commune et mirabile Glauberi calcareae terrae argillaeque adminiculo deſtrui non poſſe, pulueresque ſalinos ex eiusmodi terris efflorescentes, non alcali minerale, quod Scheelius exiſtimauerat, ſed ſal commune vel Glauberianum eſſe, alcalini ſalis ſpeciem, ob admixtas terrae alcalinae particulas, mentiens.

p 54. EIUSDEM *Diſſertatio de mephitide Montgolferiana* (Gaz. de Montgolfier). *Adiecta eſt deſcriptio novae methodi, montium altitudines Thermometri praeſidio determinandi.* Oſtenditur mephitidem Montgolferianam non peculiarem ſuique generis aërem eſſe, ſed communem aërem calore rarefactum partibusque aquoſis et volatilibus materiae combuſtae refertum. — Aëre inflammabili vegetabilium animaliumque corporum combuſtione parato, globi aëroſtatici repleri poſſunt, dummodo, qui illi adhaeret, aërem fixum aquae calcis ope ſeparaueris. Semper tamen, purus licet, aëreque fixo priuatus, aëre inflammabili ex metallis acidorum ope educto pon-

ponderoſior eſt, ideoque globi aëroſtatici illo replendi, grandiores eſſe debent. — Noua methodus thermometro in definiendis montium altitudinibus vtendi, illa, quam ſupra commemorauimus, nititur obſeruatione, qua aquam in depreſſioribus locis maiori, in elatioribus vero minori caloris gradu ad ebullitionem indigere conſtitit.

GLEDITSCH *de characteribus phyſicis herbarum et ſuffruticum.* Herbae ſemper ex ſemine, ſingulisque germinibus naſcuntur, et vna cum radice, eo ipſo, quo natae ſunt, anno pereunt. Suffrutices autem caule quidem annuo, radicibus vero perennantibus, et per plures annos nouas gemmas alentibus, inſtructi ſunt. Perpetuum hoc eſt ſtabileque herbas inter et ſuffrutices diſcrimen, ita vt deleri quidem aliquando videatur, ſed nihilo minus tamen breui tempore iterum in planta ſic mutari viſa ſeſe manifeſtet. Diſſertatio iſta ex germanica lingua in gallicam eſt translata, a viro, vti nobis quidem videtur, Botanices non ſatis gnaro, cum, vt alia taceamus, vocabulum, *algae*, gallicis nominibus *joncs et roſeaux* reſpondere putauerit, quae tamen iuncos potius et arundines indicant. p. 63.

WALTER *de Apoplexia.* p. 76.

EIUSDEM *Diſſertatio de morbis peritonaei.* De hiſce diſſertationibus, quas etiam ſeparatim edidit Ill. Auctor, alio tempore ad lectores retulimus *). p. 102.

ACHARD *Examen chemicum aëris deflagratione pulueris pyrii producti.* Conſtat aër iſte acido aëreo et aëre nitroſo. Eadem eſt natura aëris, qui ſub deflagratione pulueris fulminantis producitur. Qui ſub detonatione ferri cum nitro euoluitur aër, vna conſtat aëris fixi parte, tribusque partibus alius cuiusdam aëris, qui neque nitroſus eſt, neque inflammabi- p. 125

*) Vid. comm. noſtr. Vol. XXVII. p. 625.

mabilis, et, licet ſubito ſuffocet animalia, nitroſo tamen aëre addito, magna voluminis ſui parte imminuitur. Hoc etiam argumento apparet, ſalubritatem aëris non tuto poſſe ſolius eudiometri auxilio aeſtimari. Aër ex combuſtis cum nitro carbonibus eductus, ſingula aëris fixi, tribusque aëris inflammabilis partibus componitur.

p. 137. EIUSDEM *Diſſertatio de aëre ſub detonatione nitri cum metallis variis nato.* Aër ex nitro et plumbo vel ſtanno productus, dephlogiſticato ſimillimus erat; ille vero, quem cuprum cum nitro combuſtum praebuerat, ad phlogiſtici aëris naturam accedebat. Cum bismutho et zinco detonans nitrum aërem phlogiſticum praebebat, cum regulo antimonii phlogiſticum, cum antimonio crudo aërem ex nitroſo, fixo et phlogiſtico mixtum, cum arſenico, fixum, aëre nitroſo mixtum.

p. 145. BEGUELIN *Obſeruationes meteorologicae a.* 1781. *Berolini inſtitutae.*

Mathematicarum diſſertationum titulos tantum indicamus:

p. 169. DE LA GRANGE *Theoria* variationum, quas ſecularis ſpatio planetarum elementa *experiuntur.* P. II.

p. 293. BERNOULLI *Examen Annotationum Coſtardi ad Ecli-*
p. 305. *pſes ab Arabe* Ibn Iounes *obſeruatas.* EIUSDEM *Diſſertatio de Lunae defectu, a.* 979. Cairi obſeruato.

p. 322. SCHULZE *Diſſertatio de Horologio, ſimplici penduli*
p. 329. *motu tempus medium ſiue uniforme et verum ſiue irre-*
p. 353. *gulare indicante.* EIUSDEM *Methodus orbitam Come-*
tae ſola approximatione determinandi. EIUSDEM *Obſeruationes aſtronomicae in ſpecula aſtronomica regia Berolini inſtitutae.*

Reliquas huius Voluminis paginas explent diſſertationes ad Philoſophiam theoreticam literasque elegantiores ſpectantes.

II.

II.

Flora Roſſica ſeu ſtirpium imperii Roſſici per Europam et Aſiam indigenarum deſcriptiones et icones. Iuſſu et auſpiciis CATHARINAE II. Auguſtae edidit P. S. PALLAS. Tomi I. Pars I. Petropoli. E typographia Imperiali I. I. Weitbrecht. 1784. Fol. max.

Indicauimus iam alio tempore *), iuſſu et impenſis CATHARINAE II. Auguſtae ſplendidum hoc opus editum iri. Iam apparuit prima pars, exſpectatione omni digniſſima, atque promiſſis ab illuſtri auctore factis omnino reſpondens. Atque certe imperialis eſt munificentiae in beneficium diſciplinae botanicae monumentum, quo non ſuis tantum ciuibus, ſed etiam exteris prodeſſe voluit clementiſſime ſumma Imperatrix. Huius ipſius munificentiae et nos participes fecit, liberaliſſime miſſo exemplari egregii huius operis, quo compotes facti ſumus de eiusdem contentis ad Lectores notatu digniſſima referre.

Recte Cl. Auctor, huic operi, ait, non aliud ſiue diuitiis florae, ſiue liberalitatis ſplendore, inter opera botanica par erit. Continet enim illud ſtirpes maioris partis borealis hemiſphaerii, Roſſiae Europaeae, Vralenſi iugo incluſae, Tatariae magnae et minoris; porro Caucaſi, vaſtiſſimae Siberiae, ſecundum magnum Aſiae iugum ad orientalem vſque oceanum extenſae, et inſularum quoque a peninſula Kamtſchatka excurrentium: terrarum itaque facile omnium ab arctico oceano vſque ad latitudines 50 vel 44 graduum per centum et octoginta

 longi-

*) V. comm. noſtr. Vol. XXV. p. 348.

longitudinis gradus patentium. Ex quo conſequitur, floram hanc futuram eſſe aemulam florae Lapponicae, Scandinauicae, Germanicae, Pannonicae, Pyrenaicae, et Byzantinae ſimul ſumtarum, quas ipſas antecedet rariſſimis et peculiaribus plantis in Sibiria, arenoſo tractu et deſerta ſalſugine ſqualida, natis. Habebit etiam Americanas et Aſiaticas plantas. Quamobrem vt ambitum huius florae vno intuitu cognoſcere poſſint lectores, in fine operis tabulas addere conſtituit Cl. auctor, quibus ſtationes et natalia ſtirpium ſpeciatim exponentur.

In ipſa autem hac flora pertractanda nulla ſyſtematis vllius habita ratione procedet ill. PALLAS, hac tamen norma, vt cuiusuis generis omnes ſpecies Roſſicas ſimul ſit expoſiturus, et ab initio quidem operis arbores atque frutices abſoluet. Enumerabit omnes, quotquot inquilinas agnoſcit plantas, vt flora imperii quantum poteſt completa prodeat. In textu tamen hoc latino omnia negliget, quae exteris botanicis ſatis cognita ſunt, atque earum modo ſtirpium plenas deſcriptiones dabit, quarum icones in ſexcentis operi deſtinatis tabulis proponentur, vel quarum diuerſa e climate vel ſtatione facies aliquam adumbrationem expoſcere videbitur: reliquarum tantum nomina, natalia et vſus indicabit, in fine operis ſyſtematicum indicem additurus. Numerus plantarum per Roſſiam, Tatariam et Siberiam vigentium duo millia ſuperat, quarum magnam tamen partem efficiunt ſtirpes Europae communes. His omnibus exponendis maximam ſane operam impendit Cel. Auctor, neque ſolum propria obſeruatione, ſed etiam botanicorum, qui ante eum et eodem cum eo tempore rem herbariam Roſſicam excoluerunt, ſcriptis vſus eſt, quorum nomina et ſcripta in praefatione laudat. Ex his nominare ſufficiat recentiſſimos, LUDOVI-

CUM

CUM PATRINIUM Lugdunenſem, qui Sibiriam adiit, et poſt exhauſtos Altaici iugi theſauros Dauuriae plantas obſeruat; BASILIUM ZUIEF, qui herbarium ad Boryſthenem et in Taurica Cherſoneſo lectum primus retulit; CAR. HABLITZL, regni Aſtrachani plantas ſuppeditantem, et nunc in Cherſoneſo Taurica naturam ſcrutantem; itemque PETR. SCHANGIN, qui ſemina et herbaria elegantiſſima plantarum Colybanenſis tractus et alpium Altaicarum diligenter miſit, nouasque quasdam ſpecies inuenit. His auxiliis et proprio fretus herbario ditiſſimo arduum opus, clementia Auguſtae annuentis ſuffultus, ſuſcepit, in quo perficiendo laudat opem ſibi a celeberrimis NIC. IOS. A IACQUIN et CHR. DAN. SCHREBERO oblatam, quorum alter Viennenſes, alter Norimbergenſes artifices ad hanc floram promouendam ſuſcitarunt, eorumque labores direxerunt, vt icones aeri inciderentur et viuis coloribus pingerentur. Icones plantarum ipſas G. FR. KNAPPE, Petropolitanus, pinxit ad exemplaria ſpontanea, quae ipſe auctor durante itinere collegit. Etenim plantae in hortis cultae, quemadmodum inter omnes conſtat, praeſertim Sibiricae, mirum in modum augentur, glabreſcunt et deformantur. Propter colores tamen viuarum, ſitum partium, ſtructuram floris, cetera, conſuluit etiam plantas hortenſes, in qua re laudat LEPECHINII, horto academico praefecti, et PROCOPII A DEMIDOF, botanophili illuſtriſſimi, amicam voluntatem. Fatetur tamen etiam auctor, multas reſtitiſſe ſpecies, quae, cum nunquam hortos ſint ingreſſae, neque extra alpinam ſtationem viuere poſſe videantur, e ſiccis ſpeciminibus depingendae erant. In his in auxilium vocauit lineamenta durante ipſo itinere comparata, in quibus tamen floris ſtructura

ſpe-

ſpecialior propter fallaciam partium deſiccatarum neglecta eſt.

Nunc ad ipſum opus accedimus. In ſingulae plantae hiſtoria enarranda, praemiſſo generico et ſpecifico nomine, quod poſterius vel ab HALLERO vel a LINNEO deſumſit, vel in nouis plantis nouum ſuppeditat, ſynonyma ſtirpium Germanis, Anglis, Roſſis, Polonis, Tataris, omnibusque aliis imperii Roſſici gentibus vſitata ſubiungit: tum ſtationes ſtirpis indicat, quas ſequitur deſcriptio in cognitis plantis breuior, habita varietatum ratione: denique vſus plantae eiusque partium adnectitur. Vt huius hiſtoriae igitur ſatis perfectam lectoribus reddamus ſciagraphiam, eas ſtirpes primum indicabimus, quas tabulis aeneis delineari fecit ill. Auctor, quibus poſtea ſubiungemus e communibus et cognitis plantis illas, quae vel vſu ſingulari, vel ſtructurae varietate ſint memorandae.

Siſtitur itaque.

Tabula I. *Pinus Laryx* LINN., cognita quidem ſtirps, ſed ab *Americana*, in eodem ſolo hortorum Imperialium Sareuillenſium creſcente, eſſentialibus notis differt, vt vix eiusdem ſpeciei varietates dixeris. Quam quidem etiam ob rem a noſtro depictae et vberius deſcriptae ſiſtuntur partes characteres differentiales offerentes. *Americanae* rami ſunt tenuiores, cortice magis luteſcente, cicatricibus exilioribus, confertioribus; folia anguſtiora, glauceſcentia, extimis breuioribus; coni triplo minores, obtuſi, ſquamis duodecim retuſo-emarginatis; ſeminum alis rectis, oblongis et anguſtis. *Europaeae* cortex griſeus, cineraſcens, folia latiora, laete viridia, ſubaequalia omnia; coni pollicares, ſquamis triginta

ginta rotundatis integris; ſeminum alis ſubtriangularibus inflexis.

Tab. II. *Pinus Cembra* LINN., cuius quidem prius nulla exſtabat icon ſatis perfecta. Depingitur ramus florens foliisque inſtructus, conus ſeminaque ſingula. Cortex trunci laeuior eſt, quam *pinus ſilueſtris*, magisque reſinoſus; rami ramulique trini vel quaterni verticillatim ſparſique prodeunt, epidermide griſeo-cineraſcente, ſulcata, veſtiti; cicatricibus foliiferis crebris circumcirca ſparſis; ſtrobilus femineus altero demum anno matureſcit; ſquamae eiusdem craſſae, apice ſubungulatae, durae, ſub quibus ſingulis nuces duae in cauis ſquamarum nidulantes, alis deſtitutae, ſubangulatae.

Tab. III. *Acer Tataricum* LINN. cuius ramus hermaphroditus florens et femineus ſeminibus onuſtus egregie depictus traditur; pedunculi ſunt thyrſiferi, floribus viginti vel triginta, quorum dimidia circiter pars maſculi, reliqui hermaphroditi; alae ſeminum ſunt ſanguineae, ſubparallelae, vel acuto angulo diuergentes.

Tab. IV. *Elaeagnus anguſtifolia* *) LINN. In hac corollae campanulatae, laciniae plerumque 4, interdum 5 animaduertuntur.

Tab. V. *Elaeagnus orientalis* LINN., a qua *Eleagnus ſpinoſa* non magis auctori differre videtur, quam arbor hortenſis a ſpontanea. Egregie depictae traduntur ſingulae floris et fructus partes; corolla ſeu calyx infundibuliformis, extus cana; laciniis quatuor, intus obſolete luteſcen-

*) Cl. Auctor *Elaeagrus* ſcribit, Dioſcoridem imitans, atque nomen a LINNEO receptum dicit eſſe vitioſum.

teſcentibus; antherae ſimplices incumbentes; germen oblongum, inferum; ſtilus filiformis, longitudine corollae; ſtigma capitatum; fructus drupa ouata, obſolete octangularis, tomentoſa; nux oblonga, ſulcata, nucleo cylindraceo.

Tab. VI. *Amygdalus nana* LINN. Ideo forte iterum depicta, quod a MILLERO data icon ipſi ſtirpi non omnino conueniat. Frequentiſſimus eſt frutex in campis elatis, apricis, auſtralioris Roſſiae, inde a 55 circiter gradu latitud., atque a Boryſthene et Hypani fluuiis vſque ad Vralenſe iugum extenditur, inde vero ſenſim rarior fit, boreales tractus derelinquit, vt ad Irtin vix quinquageſimum gradum attingat, atque varietas poſteriore in loco nata flores ſpecioſiores et drupas maiores praebet; ad Danain lecta folia ſaepe quinquepollicaria, obſoletius ſerrata monſtrat.

Tab. VII. *Amygdalus incana*, foliis lanceolatis, ſerratis, rugoſis, ſubſeſſilibus, ſubtus albo-tomentoſis. Hanc ſpeciem nouam cel. GÜLDENSTAEDT in campis apricis ad pedem promontoriorum Caucaſi in herboſis rupium fiſſuris obſeruauit, eamque pro varietate *amygdali nanae* habuit, differt tamen nimis, vt iure in ſpecierum numerum ingredi queat. Flores minores illis in *amygdalo nana*; calyx caducus, laciniis 5 ſubuilloſis minoribus; ſtamina circiter 12, quae in *nana* 20; germen globoſum; ſtilus villoſus. Tres ramulos icon exhibet, ramum vernalem florentem, deinde adultiorem foliis maioribus, et denique varietatem foliis ſubouatis obtuſiuſculis.

Tab. VIII. *Prunus Sibirica* LINN. Inermis, foliis ouato-cordatis, longe mucronatis; fructibus ex-

exſuccis. Nullibi haec arbor obſeruatur in imperio Roſſico, quam in Dauuria tranſalpina, occupans latera meridionalia praeruptiſſimorum montium, quos a boreali latere *Rhododendrum Dauuricum* exornat. Vterque frutex, monente auctore, ita frequens eſt, vt poſt medium Maii, quum ſimul floreſcant, latera montium ſeptentrionibus obuerſa e longinquo obducta purpureo colore appareant, meridionali vero lateri colorem ſubroſeum florum perſicorum aemulum *prunus Sibirica* conciliet. Folia poſt defloreſcentiam demum enaſcuntur, ſtipulas habent ſetaceas, ſerratopectinatas, ſerratura infima folii eſt vtrinque glanduloſa; ſed glandulae in petiolis nullae; drupae ſtilo marceſcente ſunt mucronatae, ſubuilloſae.

Tab. VIII. b. *Prunus fruticoſa* vmbellis ſeſſilibus, obouatis, glabris, ſerratis, ſerraturis infimis glanduloſis: GMELIN flora Sibirica III. p. 171. Germanis *Steinkirſche* dicitur. Non dubium videtur auctori, hanc ſpeciem a *Pruno ceraſo* communi ſpecie differre: vtcunque enim culta nunquam arboreſcit et folia valde differunt, etiam duriuſcula ſubſtantia. Datur in campis Iſedenſibus duplex prunus fruticoſa, quarum altera drupas profert paulo maiores, dulciores, oblongas, ſubdidymas, nucem oblongo-acutam, pruniformem, ſed exiguam, continentes, quam tamen in fructu tantum vidit Cl. Auctor, ipſum fruticem examinare et cum vulgari ſpecie comparare nondum potuit.

Tab. IX. *Pirus ſalicifolia* foliis lanceolatis, integris; floribus ſubſolitariis, ſeſſilibus: LINN. ſuppl. Plant. p. 255. Hybrida videtur ex elaeagno

et

et piraſtro progenies. Arbor dumoſa, facie mali praecocis, ramoſiſſima. Rami extremi rigidi, ſubſpinoſi; flores non vidit Cl. Auctor. Sub finem Aprilis floret et fructum iam Iunio perficit.

Tab. X. *Pirus baccata* foliis ſerratis, vmbellis pedunculatis, calycibus deciduis: LINN. ſyſt. plant. II. p. 502. num. 4. Cl. Auctor oſtendit, fructum verum eſſe pomum; itaque miratur, LINNEUM dubitaſſe, vtrum pomum ſit, an bacca.

Tab. XI. *Crataegus ſanguinea*, ſpinoſa, foliis ſeptangulis, ſerratis, baſi productis, petiolis ſubmarginatis. Noua eſt ſpecies, *crataego oxyacanthae* IACQUINI, *Flor. Auſtr.* Tab. 292. Fig. 2., et *crataego coccineae* LINN. affinis, ab vtraque tamen differt diſtinctiſſima et propria Sibiriae ſpecies. Spinas habet patentiſſimas, teſtaceo-rubeſcentes. Fructu *crataego oxyacanthae* admodum ſimilis. Differt ab *oxyacantha* foliis latioribus, forma diuerſis, ſtipulis lanceolatis, et quod omnibus partibus fructificationis maior ſit: a *coccinea* diſtinguitur foliis pubeſcentibus, baſi productis, breuius petiolatis, neque vllis glandulis notatis, floribusque minoribus. Tabula ramum floridum et fructibus onuſtum exhibet.

Tab. XII. *Crataegus monogyna* nigra, ſpinoſa, foliis quinquefidis, inciſis, cuneiformibus, ſtipulis lanceolatis. Nouam hanc ſpeciem in auſtralibus Roſſiae regionibus et circa Caucaſi promontoria inuenit. Socia eſt *crataego monogynae rubrae* a IACQUINO in *fl. Auſtr. tab.* 292. fig. 1. depictae, conſtantibus differentiis diſtincta, licet perquam affinis: Arbuſcula minor; folia cum petiolis pubeſcentia; corymbi piloſi,

pilòsi, adſperſi bracteolis linearibus, ſub floreſcentiam deciduis; baccae minores, primum fuluae, dein rubrae, denique nigrae. Icon ramum floridum et fructibus onuſtum exhibet.

Tab. XIII. *Meſpilus Germanica*; delineata hic eſt figura prima varietas *Perſica* foliis anguſtioribus ſerrulatis ſaepe ad baſin vſque differens. *Caucaſica* folia habet maiora, quandoque integerrima.

Tab. XIII. fig. 2. *Meſpilus Piracantha*: quum icon bona nulla huius ſtirpis exſtet, e ſpeciminibus Caucaſicis delineandum curauit ramum floridum fructusque ferentem. Solo numero feminearum partium a *Crataegi* differt, cui habitu ſimillima.

Tab. XIV. *Meſpilus Cotoneaſter* LINN. Ex eadem forte cauſa ramus florens ramulique fructibus maturis et immaturis onuſti hic exhibentur; variat ceterum haec arbor admodum pro ſtatione, ſtatura et foliis, in humidiore ſolo maiuſculis, ouatis, in ſicciore, rupeſtri vero, orbiculatis, vngue haud maioribus. Habitu et forma floris ad meſpilum magis accedit, quam piracantha, licet ſtilorum numero, qui 2, 3 vel 4 ſunt, differre videatur.

Tab. XV. *Spirea chamaedryfolia* LINN. Sibiriae maxime indigena planta magis, quam reliquae omnes, variat foliis maioribus vel minoribus, magis minusue inciſis, vel inciſo-ſerratis, ſaepius integerrimis ouato-acutis: in rupeſtribus *Dauuriae* creſcenti folia ſunt minuſcula, valde pubeſcentia, ſubtus fere tomentoſa: frutex Carneolicus, quem JACQUIN in horto Vindob. tab. 140. delineauit, non quidem ſpecie differt, at facie alienus eſt, praeſertim

ſertim ramis magis argute angulatis, foliis maioribus, glabrioribus, ſerratis, vix inciſis, et floribus multo maioribus. In tabula indicata varietates maxime notatu dignas Cl. Auctor delineari fecit.

Tab. XVI. *Spirea betulifolia* foliis lato-ouatis, ſerratis, corymbis terminalibus compoſitis, faſtigiatis. Haec ſpecies auctori imperfecte tantum cognita eſt e ſurculis inter plantas Stellerianas inuentis. Surculus corymbo capſulas gerente depictus eſt; flores non vidit Ill. Auctor.

Tab. XVII. *Spirea trilobata* LINN. Elegantiſſimum et Sibiriae peculiarem fruticem hanc nominat, variat foliis obtuſe lobatis, et foliis crebrius et acutius ſerratis, et foliis maximis inſigniter lobatis et inciſis.

Tab. XVIII. *Spirea thalictroides* foliis oblongis, lobatis, vmbellis ſimplicibus ſeſſilibus. Novam hanc plantam in rupeſtribus, apricis Dauuriae Tranſalpinae inuenit. Delineatus eſt ramuſculus florens et fructiger.

Tab. XIX. *Spireae crenatae* LINN. ramulum florentem foliis oblonguſculis, anguſtioribus, tum etiam ramos luxuriantes foliis ouato-acutis, latiuſculis, ab apice vltra medium ſerrulatis repraeſentat.

Tab. XX. *Spirea alpina* foliis lanceolatis, ſeſſilibus, ſerrulatis, glabris; corymbis terminalibus. Hanc GEORGI in itineris deſcriptione *Spireae crenatae* varietatem dixit, ſed differre eam demonſtrat Ill. Auctor ſtatione, florendi tempore, foliis non trineruiis, glaberrimis, teneris, baſin verſus attenuatis, non petiolatis, epidermide ſurculorum ſecedente, pedunculis florum tenuioribus, longioribus, capſulis deni-

denique maioribus, erectis. A *Spirea hypericifolia Americana* differt etiam foliis acutis enerviis, et corymbis multifloris. Singulares videntur in hac ſtirpe fiſſurae epidermidis ad longitudinem, quae radices imitantur.

Subiungit, *ſpireae* exempla ſe legiſſe in glareoſis montanis ad *Achalgory* et paſſim in alpeſtribus mediis, quae inter ſpiream alpinam, chamaedryfoliam, et hypericifoliam media ſit, et quam ideo tab. 26. fig. 2. delineatam tradit, pro ſpecie tamen aſſumere non audet. Folia ei ſunt pubeſcentia, glauca, trineruia, ſubſerrata, faſciculata; racemi in ramis terminales, floribus in alternas vmbellas ſeſſiles bracteolis ſubinuolucratas collectis; flores albi, magnitudine fere *Spireae hypericifoliae*.

Tab. XXI et XXII. *Spirea ſalicifolia* LINN. Duas varietates depictas tradit, in priore tab. maiorem, foliis acutiſſimis, profunde et argute ſerratis, ſerraturis duplicatis, in altera minorem foliis obtuſioribus, ſimpliciter et obiter ſerratis, incanisque inſtructam. Haec in alpeſtribus et ſaxoſis locis, illa ad ripas fluuiorum naſcitur.

Tab. XXIII. *Spirea altaica*, foliis oblongis, integerrimis, ſeſſilibus; racemis terminalibus, compoſitis. Deſcripſit iam in itinere ſuo hanc plantam. Eſtque eadem cum *Spirea laeuigata* LINN., et *Spirea altaienſi* LAXMANNI *). In tabula ramulus floridus aliusque capſulis maturis inſtructus exprimitur.

Tab. XXIV. et XXV. *Spirea ſorbifolia* LINN. Late expanſa ſtirps, ſocia *Spireae ſalicifoliae*: in irriguis plerumque humana altitudine creſcit,

*) In nou. comment. Petropol. Vol. XV. p. 555. Tab. 29. fig. 2.

facie, quam tab. XXIV. exhibet. At in altissimis montibus circa Baicalem lacum sensim magnitudine imminuitur, quae in summis vix spithama altior, subherbacea fit, sic vt etiam inflorescentiae ratio immutetur. Hanc pusillam varietatem tab. XXV. delineatam tradit, estque eidem panicula florum terminalis simplex, quae illi est composita: flores huic multo maiores, staminibus breuioribus.

Tab. XXVI. *Spirea aruncus* LINN., quam ideo, quod nulla eius bona icon exstet, eademque vna in genere Spirearum dioica et methodi sexualis legibus opposita sit, delineandam curauit. Offert tabula plantam masculam florentem, paniculam femineam, florem masculum et femineum auctum et capsulas maturas.

Tab. XXVII. *Spirea palmata*, herbacea, foliis pinnatis, impari palmato multifido, floribus cymosis, de qua etiam in itinere parte 3. tab. 9. fig. 1. iconem dedit Cl. Auctor; varietatem IACQUIN in *horto Vindob.* tab. 88. depinxit.

Tab. XXVIII. *Spirea kamtschatica*, herbacea, foliis simpliciter palmatis, petiolis appendiculatis, caule hirsuto, floribus cymosis. Verosimillime haec planta ex America est transfuga, in pratis vdis crescens; Kamtschatalis esculenta est.

Tab. XXIX. *Rhododendrum Ponticum* LINN. Georgiae inquilina est planta, egregia foliorum florumque structura insignis. Differt a Rhododendro maximo foliis minoribus, floribus fuluis, laciniis corollae punctatis, obtusis, quum Pontico sit flos purpureus laciniis ouatis, acutis.

Tab. XXX. *Rhododendrum chrysanthum*, foliis ouatis, scabris, margine reflexis, subtus glabris, vmbellis

lis terminalibus, corollis flauis, irregularibus; LINNEI ſupplem. plant. pag. 237. Eſt haec medica ſua virtute nunc celebris et officinalis facta ſpecies, de qua retulit ſigillatim Cl. KÖLPIN *).

Tab. XXXI. *Rhododendrum Caucaſicum*, foliis ouatis, ſcabris, margine inflexis, ſubtus tomentoſo-pallidis, vmbellis terminalibus, albifloris, bracteis elongatis. Similis praecedenti ſpeciei, vt forte varietas eiusdem a meridionali climate producta. In icone flores carneo colore diſtincti ſunt.

Tab. XXXII. *Rhododendrum Dauuricum*, foliis glabris, punctatis, nudis, corollis rotatis, LINN., floribus purpureis, ſolitariis, laciniis rotundatis diſtinguitur. Iuxta deſcriptionem ſtigma didymum eſſe debet, at in icone triſidum vbique depingitur.

Tab. XXXIII. *Rhododendrum Kamtſchaticum*, foliis ciliatis, neruoſis, (quae tamen icon venoſa repraeſentat), corollis rotatis, calycibus foliaceis, corolla purpurea, laciniis lanceolatis, ſtaminibus 10, ſuperioribus breuioribus, inferioribus duplo longioribus, pedunculis biflo-ris vel ſolitariis, quibus ſignis differt a *Rhododendro chamaecliſo* LINN.

Tab. XXXIV. *Cornus alba* LINN., bene depictus et in noſtris terris ſatis cognitus frutex.

Tab. XXXV. *Daphne altaica*, floribus faſciculatis, terminalibus, ſeſſilibus, foliis oblongo-ouatis, glabris; in alpibus Altaicis detexit elegantiſſimum hunc fruticem Cl. PATRIN; viribus videtur congeneribus ſimilis, flores plerumque quini, albi, limbo quadrifido.

*) V. comm. noſtr. Vol. XXIII. p. 658.

Aliam ſubiungit, cuius tamen icon etiamnum deeſt, Daphnen Caucaſicam, vmbellis terminalibus multifloris, foliis oblongo-lanceolatis, mucronatis, a Cl. GÜLDENSTEDT in dumetis circa *Achalgori* lecta.

Tab. XXXVI. *Lonicera tatarica* LINN., floribus ante floreſcentiam ſaturate roſeis, florentibus incarnatis, baccis coccineo-ruberrimis, ſuccolentis diſtincta.

Tab. XXXVII. *Lonicera coerulea*, pedunculis biflo-ris, bacca ſimplici ouata. Iconem e varietate altaica delineari curauit, quam primo diſtinctam ſpeciem habuit, et in itinerario vol. 2. p. 568. *Loniceram pirenaicam* nominauit.

Tab. XXXVIII. *Lonicera mongolica*, foliis ouatis, ſerratis, pubeſcentibus, pedunculis multifloris, baccis ſimplicibus. Iconi ſubſcriptum eſt nomen *Lonicerae dauuricae*, quum et Dauuriam inhabitet. Flores albi, campanulati, terminales.

Recenſetur etiam *Lonicera caucaſica*, pedunculis bifloris, baccis coadunato-didymis, foliis ouato-lanceolatis, integerrimis, quam ideo depingere noluit, quum ſiccam plantam tantum viderit, quae praeter fructificationis partes admodum ſimilis eſt *Loniceae nigrae*.

Tab. XXXIX. *Betula Dauurica*, foliis ouatis, acuminatis, ſerratis, neruo-piloſis. In Dauuria promiſcue cum *betula alba* creſcit, creſcendi modo, ligno, cortice, foliis et amentis ſemper ab eadem diuerſa. Tortuoſa ſaepiſſime increſcit, cortice griſeo, longitudinaliter fiſſo, amentis maſculis binis vel ternis, maioribus, quam in betula alba, femineis ex iisdem ramulis craſſioribus, ſquamis maioribus, magis rotun-

rotundatis; a betula nigra differt ſtipulis minoribus, foliisque ſimpliciter ſerratis.

Tab. XL. *Betula fruticoſa*, foliis rhomboideo-ouatis, aequaliter ſerratis, glabris. Figura A virgam betulae vernalem cum amentis maſculis et femineis minutis, figura B virgam aeſtiuam adultis foliis et amentis femineis inſtructam, figura C ſegmentum trunci craſſioris cum cortice repraeſentat. Figurae D, E, F, G, varietates *betulae nanae* ſiſtunt.

Tab. XLI. ramum *populi balſamiferae* femineum arboris Dauuricae toroſioris exprimit, adiectis iconibus foliorum latitudine et longitudine variantium.

Tab. XLII. *Robinia Caragana* LINN., quam Cl. Auctor *Robiniam altaganam* nominat. Plures eiusdem dantur varietates, quoad magnitudinem foliorum, quarum nonnullas tabula indicata ſiſtit.

Tab. XLIII. *Robinia fruteſcens*, etiam huius duplex datur varietas, pygmaea et procerior frutex, vtraque hic delineata.

Tab. XLIV. *Robinia ferox* LINN., ſpinae eiusdem quaquauerſum angulo fere recto patentes, ipſae ſunt ſerratae vel ſpinoſae.

Tab. XLV. *Robinia pygmaea* LINN., altaica planta vix ſpithamalis, in hortenſi folia inſigniora; vtriusque icon egregia traditur.

Tab. XLVI. *Robinia halodendron*, foliis biiugis, incanis, petiolis trifloris ſpineſcentibus; in campis aridis, ſalſugine ſqualentibus, ad Irtin, vsque ad promontoria iugi altaici naſcitur, inſectis, praeſertim meloidibus, acceptum praebet refugium. Nonniſi in loco natali floret; legumina eiusdem ſunt inflato-ventricoſa, dura, in alterum annum perſiſtentia.

Tab. XLVII. *Citiſus pinnatus*, foliis impari-pinnatis, foliolis ſuborbiculatis, floribus racemoſis. Legumina cylindrica, pilis glanduliferis hirſuta.

Tab. XLVIII. *Vlmus pumila* LINN. Arbor Sibirica, a Roſſica pluribus differt. Roſſica enim ſtatura ſaepe cum quercu certat, neque igitur pumila dicenda. *Sibirica transbaicalenſis*, praeſertim in montoſis locis, ramis tenuibus, virgatis, foliis, floribusque minoribus, his obſcure purpureis, ſeſſilibus, antheris magnis didymis, diffiert.

Tab. XLIX. *Lycium Tataricum*, ſpinoſum, foliis linearibus, faſciculatis, ramis ſupinis. Frutex et in noſtris iam cultus hortis, hic elegánter depictus eſt.

Tab. L. *Nitraria Schoberi*, a multis iam deſcripta, ſed nondum bene depicta, haec planta elegantiſſima icone in vltima huius primae partis tabula delineata traditur. Variat 1) in deſerto Caſpio ſurculis vlnaribus ſuberectis, apice et ramis ſpineſcentibus, dichotomis, apice floriferis, foliis faſciculatim ſeſſilibus, quaternis, quinisque, carnoſis, oblongis: 2) Sibirica ſurculis proſtratis, cubitos viginti et vltra longa, ramis pinnatis, ramulis ſecundis, itidem dichotomis, floribusque reliquisque omnibus partibus minoribus. Vtraque varietas eiusque omnes partes delineatae elegantiſſime ſunt.

Etſi plurimarum plantarum vſus vel oeconomicus vel medicus a perill. Auctore earundem deſcriptioni botanicae eſt ſubiectus: nos tamen vſum oeconomicum praetereuntes de medico potiora exem-
p. 2. pla tantum commemoremus. *Pinus larix* optimam

nam terebinthinam ſuppeditat. Si combuſta fuerit arbor, lignumque ad medullam vſque igne exeſum fuerit, interius lignum copioſe exſtillat gummi ſicceſcens, ſubrufum, paullo minus arabico glutinoſum, guſtu ſubreſinoſum, ſed totum in aqua ſolubile, quod nuper, Cl. RINDERO ſuadente, in officinas Roſſicas ſub improprio nomine *gummi Orenburgenſis* ſuſceptum eſt; aptius enim *gummi Vralenſe* vel *gummi Laricis* appellaretur. Hoc gummi a *Wogulis* aliisque monticolis comeditur pro cupediis, dentes firmat et antiſcorbutica nutritoriaque virtute prodeſt. E vernis foliorum faſciculis mannam *Gallis* celebratam colligere ſuſcepit RINDERUS, ſuccus tamen raro denſatur. *Boleto laricino* pro emetico in febribus intermittentibus et ad reuellendum in fluore albo feminarum *Roſſi* vtuntur. A *Baſchkiris* et Sibiriae incolis inſpergitur puluis vulneribus foedis equorum et boum, tanquam detergens et antiuerminoſum. Nuces *Pini cembrae* per omnem Roſſiam, imo ad exteros, pro cupediis mittuntur, nec medico vſu carent *). E ſtrobylis immaturis admodum reſinoſis oleum fragrantiſſimum ſub titulo balſamici celebratum paratur. Incolae Sibiriae tenellas *Pini ſilueſtris* iunioris ſummitates et librum e ſummis ramis vere deraſum tanquam antiſcorbuticum remedium in frequenti habent vſu. *Amygdali nanae* nuclei cum ſpiritu vini infuſi ſaporem optimum communicant, expreſſi dant oleum copioſum amaricans, quod tamen cum ſpiritu vini ad ſolem digeſtum menſtruo adfuſo amarorem communicat, euaditque dulciſſimum. *Pruni ſibiricae* comeſti fructus et nuclei cephalaeam diuturnam excitant: nuclei ſpiritui vini infuſione optimum ſaporem conciliant. *Piri baccatae* fructus ſucco aci-

p. 3.

p. 4.

p. 6.

p. 13.

p. 15.

p. 23.

*) V. HALLERI ſtirpes Helueticas, pag. 15.

dulo ſcatet, quem pro parando potu ſubacido aquoſo (*Quas*) et item ſpirituoſo (*Punſch*) adhibere
p. 32. ſolent incolae Sibiriae et Dauuriae. Folia *Spiraeae chamaedryfoliae* inſtar theae coqui ſolent, cui ad-
p. 37. ſtrictoria virtute ſimilia ſunt, licet inſipida. *Spiraeae altaicae* folia leniter et cum grato ſapore adſtringunt, ideoque etiam pro ſuccedaneo theae inſeruire poſ-
p. 62. ſunt. E *Betulae albae* cortice albo vel a viua arbore deglupto vel in ſiluis a putridis arboribus collecto oleum paratur, cui celebrata coria Roſſica fragrantiam debent, quod etiam medico vſu inſtructum eſt, et a plebe non raro interne et externe adhibetur, praeſertim notum eſt interno vſu ad gonorrhoeas, externe cum ceruſſa ad vlcera venerea. Conciſae virgae et gemmae betulinae cum ſpiritu infuſae eundem balſamica virtute imbuunt, a reſinoſis particulis deriuanda.

Praeterire cogimur omnia, quibus certitudo plantarum deſcriptarum adumbrationibus egregiis Cl. auctoris magis confirmata eſt, atque continuationem operis ſplendidiſſimi auide exſpectamus, auctori celeberrimo fauſtiſſima quaeque apprecantes, vt hoc opus arduum, in botanices emolumentum ſuſceptum, feliciter perficere poſſit.

III.

Des caractères extérieurs des minéraux etc. avec un apperçu des différens ſyſtêmes lithologiques, qui ont paru depuis BROMEL jusqu'à préſent. Suivi de deux tableaux ſynoptiques de Subſtances pierreuſes et métalliques, pour ſervir de ſuite à la Criſtallographie. Par M. DE ROMÉ DE L'ISLE. A Paris 1784. 8. pagg. 82.

i. e.

i. e.

De notis fossilium externis etc. etc. Auctore DE ROMÉ DE L'ISLE.

Ex quo, studiis hominum ad naturae contemplationem, nostro potissimum seculo, conversis, historia rerum naturalium studiosissime coli summorumque virorum opera ad altum perfectionis gradum euehi coepta fuit: regnum minerale semper habuisse videtur, quod ceteris duobus naturae regnis inuideret. Cum enim historia naturalis nostro aeuo longe plura, quam omnibus seculis elapsis, propterea debeat, quod nunc demum exorti sunt, qui certis rerum naturalium notis systemata superstruerent, eorumque ope tenebras, quibus historia naturalis per plures annorum centurias sepulta latuerat, paucis admodum annis discuterent: quae emolumenta in regna animale et vegetabile ex systematibus conditis redundarunt, eorum in societatem minus licuit regno minerali venire. Huius autem rei causa nemo dubitat quin in eo posita sit, quod certi fossilium characteres, quorum ignorantia omne studium systematis mineralogici condendi irritum reddit, a mineralogis vel negligerentur vel quaesiti non reperirentur. Hinc diu multumque mineralogi disceptarunt, quales characteres certi atque *specifici* essent habendi. In duas autem potissimum partes viri docti discesserunt, cum hi notas per analysin fossilium chemicam patefactas, illi characteres a facie fossilium externa oblatos, probarent. Quae res quantum detrimenti disciplinae mineralogicae attulerit, dici vix potest, cum in quouis propemodum nouo libro mineralogico nouum systema proponeretur. Sed bonum factum, quod tandem reperti sunt, qui illi malo

malo mederentur. Inconſtantiae autem illius tollendae gloriam ceſſiſſe laetamur Germano, WERNERO noſtro, cuius praeſtantiſſimus libellus exſtat de characteribus foſſilium externis conſcriptus atque *Lipſiae* 1774 editus *). Hoc in libello praeſtantiam atque certitudinem characterum externorum, a multis etiam ſummis viris vel negatam vel in dubium vocatam, demonſtrauit; eorum vſum in foſſilibus deſcribendis docuit, ita vt ab iis abſtineri vellet in ſyſtemate foſſilium condendo; eos denique in ordinem ſyſtematicum coëgit. Cuius praeclarae operae vſum minus late patuiſſe, et ſciunt, et dolent rerum mineralogicarum ſtudioſi: neque profecto huius rei cauſae abſconditae latent, quas adeo hic detegere et ſuperuacaneum et vero etiam inuidioſum fuerit. Sed quod mineralogorum ſtudium minus in ſe conuertere potuit noſtratis liber, id ROMEI opera, inprimis nonnemini Gallorum, characterum externorum vtilitatem perneganti, confutando impenſa, forſitan excitabit. Ex eius libello notatu digniora iam excerpemus.

p. 3. Cum principia multorum foſſilium conſtituentia aliis principiis diuerſi generis vniantur, videtur eſſe magna in regno minerali confuſio, vt non poſſint reperiri characteres, quibus foſſilia dignoſcantur, praeter eos, quorum copiam chemica analyſis facit. Sed non omnia foſſilia multis ex principiis mixta ſunt, reperiuntur adeo pura, quae nil peregrini in ſe habent, quod ipſorum naturam mutet. Iam ab huiusmodi foſſilibus characteres ſpecifici repetendi ſunt. Hos qui anquirit, ei non reſpiciendum eſt ad proprietates, quibus corpora in vniuerſum inſtructa ſunt, cuiusmodi eſt expanſio, ad motum procliuitas etc., ſed ad eas, quae cer-

*) Vid. comm. noſtr. Vol. XXV. p. 556.

certae miſtioni competunt, qualis eſt forma, pondus ſpecificum etc. Enimuero hae proprietates non ſimiliter inhaerent omnibus mineralibus, cum verbi cauſa ſapor proprius ſit ſalium, odor bituminum, color metallorum, perluciditas ſalium purorumque lapidum, opacitas metallorum. Nihilominus qui hos characteres ſpecificos habeat, et fallat, et fallatur: nam lapides exſtant opaci et colorati, ſales non ſolubiles ideoque inſipidi, (at quis hos ſales dixerit?) metalla perlucida ac colore deſtituta. Specifici autem ſunt *forma*, h. e. ſecundum noſtrum *cryſtalliſatio*, *gravitas ſpecifica*, atque *durities:* etenim naſcuntur ex attractione elementorum, atque omnibus in foſſilibus reperiuntur. Indiuidua igitur eiusdem ſpeciei habent eandem formam, grauitatem ſpecificam, duritiem: nam conſtant iisdem principiis, eademque horum principiorum quantitate. Sed vt cognoſcatur foſſilium natura, reſpiciendum eſt non ad vnum aut duo illorum characterum, ſed ad omnes tres ſimul, cum certum ſit, non inueniri in rerum natura duo mineralia, diuerſis principiis conſtantia, quorum ſit eadem forma, eadem grauitas ſpecifica, eadem durities.

Iam occurrit Noſter iis, quae ipſius ſententiam labefactare poſſe videantur. Ac primum quidem multi iique ſummi viri negant, omnia eiusdem ſpeciei indiuidua eadem cryſtalliſatione inſignita eſſe. At vero quaeuis ſpecies ſuam habet certam cryſtalliſationem, a qua ſi indiuidua ipſius recedere videntur, eosdem tamen ſeruant angulos, vt illorum indiuiduorum formae non dicendae ſint diuerſae cryſtalliſationes, ſed primitiuae cryſtalliſationis varietates. Id verum eſſe, patet cuilibet, qui goniometrum a ROMEO inuentum ad metiendos cryſtallorum angulos vſurpat. Particularum adeo peregrinarum admiſtio hanc angulorum conſtantiam p. 25.

non

non peruertit. Contrarium accidit duritiei grauitatique ſpecificae: vtramque immutat particularum heterogenearum adiunctio; vt vel hinc pateat, characteribus illis ſpecificis tuto fidi poſſe: licet non neget Cl. ROME, duritiem in lapidibus peregrinas particulas continentibus melius negligi, cum e contrario eadem haec durities ſit certus ac ſpecificus lapidum purorum character.

p. 31. Sequuntur nonnulla de ceteris characteribus, quos, vt iam monuimus, ſpecificos eſſe noſter negat. Primum de *colore*: in lapidibus ſemper pendet a particulis peregrinis iisque metallicis, poteſtque adeo in eadem lapidum ſpecie varius eſſe. Itaque qui hac in foſſilium claſſe ad colorem tanquam ad characterem ſpecificum reſpiciunt, facile in eum errorem delabuntur, vt eas dicant ſpecies diuerſas, quae ſint vnius eiusdemque ſpeciei varietates; quod inprimis accidit in ordine gemmarum conſtituendo. Sed in regulis metallorum ſalibusque mediis metallicis color longe aliter habet: ſuus cuique regulo color, ſuus cuique ſali medio metallico. Solum ferrum phlogiſto orbatum acidisque nuptum ab hac conſtantia recedit, cum alii acido iunctum alium colorem eumque conſtantem induat: ipſos adeo diuerſos multarum gemmarum, quarum compagem intrat, colores gignit.

p. 35. Iam de *textura* (*tiſſu*, *Gewebe*, *Bruch*,) et *fragmentis* (*caſſure*, *Bruchſtücke*,): harum alia in aliis foſſilibus obuia indoles non tam exiſtit ex varia elementorum forma, quam ex aggregatione horum elementorum celeriore aut tardiore, quietiore aut inquietiore. Etenim textura et fractura non raro diuerſae ſunt in eiusdem ſpeciei indiuiduis; e contrario eaedem in diuerſis ſpeciebus adeoque generibus: vt nec hi characteres munere ſpecificorum fungi queant, ſed tantummodo ad varietates vnius ſpeciei

ſpeciei conſtituendas aliquid conferant. (Videtur hic non ſatis diſtinxiſſe texturam (*den Bruch*) a fragmentis (*den Bruchſtücken.*)

Neque magis *perluciditas* atque *opacitas* pro p. 38.
characteribus ſpecificis habenda ſunt. Hoc tenendum eſt in primis ei, qui lapidum ſaliumque ordinem condit. Cum enim ſaepiſſime vnius eiusdemque ſpeciei indiuidua alia, vtpote puriſſima, perluceant, alia vel nimis cito in cryſtallos coalita, vel ſorte fortuna a particulis peregrinis inquinata, vel iterum diſſolui coepta, opaca reperiantur; imo cum non raro vna eiusdem indiuidui pars lucem transmittat, altera non transmittat: patet, vinculum, quo natura eiusmodi foſſilia copulauit, diſcindi ab eo, qui illos characteres ſpecificos eſſe ſibi perſuaſerit.

Cum autem characteres illi ſpecifici pendeant a p. 39.
forma atque attractione elementorum: niſi haec attractio conſtans eſt certisque legibus adſtricta, nullus eſt illorum characterum vſus. Has leges cum negauerit b. BERGMAN, nemo miretur, virum ſummum in ROMEI reprehenſionem incurriſſe. Vt autem noſter eius opinionem refutet, maxime vtitur argumento ex angulorum cryſtallis propriorum conſtantia repetito, quae nullo modo ſorti, ſed naturae legibus, debeatur: nec minus reſpicere nos iubet ad aliam alius foſſilis grauitatem ſpecificam, duritiem, etc., ſiquidem non raro fit, vt variae cauſae atque aliae alio tempore locoque cryſtalliſationem impediant ac confuſam aut indeterminatam reddant.

Neque ſatis eſt noſtro, confutaſſe hunc BERG- p. 44.
MANI errorem: alium etiam, qui ipſi videtur, chemici ſummi errorem refellendum eſſe putat. Cum enim vir praeſtantiſſimus cenſuiſſet, foſſilia, ratione non characterum externorum, ſed miſtionis, habita,

bita, in classes, genera atque formas cogenda esse: noster id fieri posse negat, cum analysis chemica nondum detexerit elementa plurimorum fossilium, vtpote quorum synthesis nunquam successerit. Itaque in systemate condendo characteres specificos consuli iubet. Cuius opinionis argumentum sane speciosissimum paullo inferius, de nuperrimo systematis mineralogici editore, Cl. KIRWAN, verba faciens, proponit. Qui cum in *steatitis* centenario repererit 80 partes terrae siliceae, et in *tripela* 90, in *petrosilice* autem tantummodo 72, atque in iaspide 75: noster inde patere arbitratur, quam manca sit analysis chemica, quandoquidem durities iaspidis et petrosilicis longe superat duritiem steatitis et tripelae. (Hic veremur, ne iniustus videatur ROME in analyseos chemicae praestantiam. Etsi enim verissimum est, ignota latere plurimorum, imo omnium corporum elementa: tamen analysis chemica cognitionem principiorum proximorum nobis tradit. At hoc sufficit ad systema fossilium condendum, quod certis obseruationibus atque experimentis superstructum sit.) Certiora ab analysi chemica nos sperare iubet Cl. Auctor, si noua et fortiora menstrua reperire chemicis contingat.

p. 57. Finita hac disputatione, cum nulla fossilium classis maiores et frequentiores mutationes in libris mineralogicis experta fuerit, quam quae terras comprehendit, recenset noster systemata lithologica, quae inde a BROMELII tempore ad nostram vsque aetatem comparuerunt.

Denique additae sunt tabulae similes illis *Peithnerianis* atque *Hillianis*, de quibus WERNER in libri supra laudati pagg. 65. sqq. retulit.

IV.

Förſök till Iärnets Hiſtoria, med Tillämpning för Slögder och Handtwerk, författedt af SWEN RINMAN.

i. e.

Tentamen hiſtoriae ferri cum applicatione ad fabricas atque opificia. Holm. apud Heſſelberg. Vol. I. II. gr. 4. 1782. vltra 6 alphabeta complectens*).

Quicunque inſignia Ill. Auctoris in chemicam metallorum hiſtoriam, artificum vſui appropriatam, merita nouit, et longam eius per quadraginta annos continuatam in ferro tractando experientiam perpendit, praeclara ſibi de hoc opere pollicebitur, et noſtrae de eius aduentu gratulabitur ſcientiae, neque ſane, noſtro quidem iudicio, habebit, quod fauentem eam opinionem euertat. Sollicite enim et ex ſua et ex aliorum multiuaria experientia congeſſit, quaecunque ad illuſtrandum ſuum argumentum atque amplificandum nobiliſſimi metalli vſum facere poterant. In digerendo ſuo argumento Cl. LEWIS ſecutus in decem diſpeſcit hoc opus ſectiones.

Prima ſectio de ferri colore agit, quem clarè cinereum ſuo metallo tribuit Ill. Auctor, eo obſcuriorem,

*) Nunc etiam germano ſermone prodiit, inſcriptum *Herrn* SWEN RINMAN *Verſuch einer Geſchichte des Eiſens mit Anwendung für Gewerbe und Handwerker, aus dem ſchwediſchen überſezt von* I. G. GEORGI. Berolini apud Haude et Spener. 1785. 8. Vol. I. paulo minus ſeſquialphabeto complectens, II. vix priore minus.

riorem, quo mollius eſt; chalybis laeuigati colorem in flauum, ferri in caeruleſcentem vergere; ferri frigide fragilis ſuperficiem politam optimi ferri faciem prae ſe ferre, ſed, quum lima raditur, ſcobem ſubtilem et mitem praebere, quum ferrum tenax acutam atque aſperam largiatur. Notae bonitatis ferri ex compage interna deſumtae; granula rudia polyedra caeruleſcentia ſpecularibus ſuperficiebus conſpicua, et per gradus coagmentata ferri frigide fragilis eſſe indicium, granula minus anguloſa, magis ſquamoſa cum caeruleſcente aut obſcuro colore micantia ferri debilis, granula argentea quaſi dentata neque polyedra neque ſquamoſa ferri egregii, granula ſubtilia et cinerea chalybis, quo ſubtiliora, et quo magis in flaueſcentem colorem vergentia, eo durioris, fila breuia nigreſcentia, mollis quidem et ductilis, ſed debilis ferri, fila longiora ferri quidem calide parumper fragilis, cetera autem tenaciſſimi, fila in lamellas compacta ferri adhuc melioris. Ex colore ferri crudi non ſatis tuto ad indolem ferri ex eo cuſi concludi, quippe qui a multis conditionibus pendeat: genuinum ferri colorem lima demum cognoſci; cotis ope per aquam motae melius laeuigari. Modus a ſordibus depurandi ſuperficiem, et multiplex, eam poliendi; quo durius ferrum, eo ſplendidius poliri poſſe; hinc chalybem Anglorum fuſione paratum ex eo iam capite omnibus aliis ferri generibus praeſtare; non inueniri in Suecia ſmiridem, cui eam tribuat patriam BAUMERUS. Materiae, quae poliendo ferro inſeruiant, et praeparandi eas ratio; inter quas, iudice Ill. Auctore, palmam tenet chalybs, vt appellant, ſulphuratus; nullam tamen eius inuenimus factam mentionem, qua Anglos ad maximum ſuo ferro aut chalybi conciliandum ſplendorem vti retulit nuperius Ill. CRELL. De ſpeculis chalybeis, quorum

rum mixtionem rariſſime ingrediatur ferrum, quod ſi recipiatur, ferrum crudum praecellere cuſo, et metallum praebere, quod aut nimis difficulter fundatur, aut non ſatis denſum ſit; De modis et materiis variis ſuperficiei ferri adrodendae (*beizen*) idoneis, ex quibus praecipue commendat ſalem armoniacum Ill. Auctor. Candefactione etiam in variis corporibus igne liquefactis depurari ſuperficiem ferri poſſe; ſuperficiei induratione diu a rubigine praemuniri poſſe; aliae atque aliae vernices, quae eam arcent; inunctione butyri antimonii fuſca quaſi pellicula (*braun beizen*) obduci. De cauſſis variis, colorem ferri immutantibus.

Secunda ſectio de grauitate ferri agit, pro alia atque alia ferri indole, puritate ac calore alia atque alia; plurimo ferro ponderoſior eſt chalybs, ferro crudo bono ferrum crudum fragile, et intus album. De denſitate et elatere ferri, qui tranſitu in chalybem perquam augetur: De praeparatione elaterum chalybeorum, horologiis adaptandorum. De confectione gladiorum, qui, teſte Ill. Auctore, Solingae optimi parantur.

Tertia ſectio magnetis in ferrum vim diſcutit; zincum purum a magnete non trahi (id quod nos quoque obſeruauimus); quae ferri genera validius attrahantur; quibus modis magnetica vis in ferro excitetur et dematur, de magnetis vi in ferrum aliis metallis temperatum; quam neque arſenici, neque antimonii regulo deleri experimenta Ill. Auctoris teſtantur; de eius vi in mineras ferri; ad pondus metalli, mineris ferri inhaerentis, detegendum, adhiberi magnetem non poſſe; de modo, quo ex chalybe confici magnes et acus magneticae poſſunt.

Quarta ſectio mutationes enarrat, quas ferrum a calore et igne patitur; primo de extenſione in aliis atque aliis ferri generibus, aliis atque aliis ca-

loris gradibus alia atque alia; chalybem aliis ferrigeneribus facilius fundi, vtrum a phlogisti maiore copia, an a principio oxygenio, quod hausit, disputent inter se Ill. Auctor et Ill. LAVOISIER. De contractione ferri, dum iterum consolidescit, et incommodis, quae exinde emanant; ferrum calide fragile, dum ex fluido in solidum statum redit, potius turgescit; ferrum igitur indole sua ad hoc accedens ad conficiendos globos sclopetarios eligendum. De coloribus, quibus ferri, sicuti aliorum metallorum, superficies igne, non tamen candens, imbuitur, alio ordine ferrum crudum, alio cusum, alio chalybs; nasci ex iactura phlogisti, ex superficie euadentis, hinc citius, quam ignis vi, instillatis acidis; temperari cum ea coloris mutatione in superficie chalybis duritiem; caeruleum colorem, instrumentis, quibus magno elatere opus est, optime quadrantem, optime inuri chalybem oleis inungendo, et vsque dum fumare oleum, et nigrescere superficies incipit, igni lento exponendo; colorum in ferro et ferri mineris haud infrequentem lusum continuae eique reciprocae caloris ac phlogisti actioni deberi; omnes istos colores, ferrum a rubigine et madoris efficacia munientes, acidis cito deleri; Chalybi, cui sua manere debet intemerata durities, nullum inurendum esse aut caeruleum aut alium colorem; caeruleum tutissime inuri, si ferrum plumbo liquefacto, intermedia bractea ferrea, imponatur. Ferrum aliis metallis lentius et excandescit et refrigeratur; lentius omnia excandescere, et frigefieri, quo difficilius fundantur (wismuthum tamen maiore paulo eget aestu, vt liquefiat, quam quidem stannum). Dum candet ferrum, primo scoriarum quasi pellicula obducitur; certo eoque lento candore chalybem ferrumque crudum, modo a carbonibus aut flamma non contingantur, in molle

et

et ductile abire ferrum: Nimio igne in ſcorias abire ferrum: Experimenta cum aliis atque aliis ferri generibus capta, quae probant, omnia igne candente agitata pondere quidem abſoluto creſcere, ſpecifico autem minui, alia magis, alia minus, alia citius, alia lentius in aliis mediis citius, et magis, quam in aliis; ferrum tenax melius inde redire, ferrum frigide fragile autem nequaquam: Quaecunque aërem a ſuperficie ferri candentis arcent, mutationes illas praevertunt; hinc vitrum cryſtallinum in puluerem contuſum iis praeſertim commendat Ill. Auctor, qui ferri aut chalybis fruſta ignis et mallei ope compingere tentant; argillas autem, quae in igne nigreſcunt et ſulphur olent, ſerio diſſuadet; alia corpora, quibuscum Ill. Auctor experimenta cepit, ferrum igne toſtum a corruptione munientia; ad fundendum in catillo ferrum crudum ſuadet vitrum ex 4 partibus lapidis calcarii puri, 2 partibus fluoris mineralis et 2 partibus ſilicis in pollen comminuti cum portiuncula magneſiae nigrae liquatum; ſalem etiam communem eo ſcopo adhiberi vtiliter poſſe. Iudicium de materiis, quae ad praecauendam ferri igni expoſiti combuſtionem vulgo ferro illinuntur; in igne candente commendat calcem viuam cum albumine ouorum ſubactam, in igne violentiore miſtionem ex parte 1 argillae apyrae crudae, p. 2 argillae eiusdem vſtae, et p. 1 arenae vſtae cum ſanguine bovillo ſubactam. De corticibus vitreis, quibus ferrum contra iniurias ignis atque aëris defendi poteſt; eligi debent vitra, quae leniori igne fluunt, quam quo ferri ſuperficies in ſcorias abit et turget; nonnulla, quae tentauit, et partim optato cum euentu tentauit, recenſet Ill. Auctor. De materiis, quae combuſtionem ferri iuuant; eum in cenſum veniunt, teſte Ill. Auctoris experientia, gypſum crudum, lapis calcarius crudus, et ſalia plurima. Ferrum

rum crudum lente et valide candens et ita inclu-ſum, vt phlogiſto nimis oneratum ſit, in plumba-ginis ſpeciem abire, quemadmodum in furnis, in quibus ferri minerae cum nimia carbonum copia funduntur ſimilis (obſeruante inter noſtrates etiam Gener DE UNGER) generetur. De indole recremen-torum illorum ferri (*Hammerſchlag*) experimentis tentata, quae, niſi diu, per 4 horas, violento igne vrgeantur, a magnete adhuc trahuntur et modo ab Auctore alias iam commendato in ductile ferrum re-ſtitui poſſunt. Ferrum ductile, igne in croçum ferri conuerſum pondere ita creſcere, vt 100 librae eius 125 exhibeant, ferrum crudum ita, vt eius 100 librae 127 croci largiantur; ſeries experimen-torum, quibus Ill. Auctor aliarum atque aliarum ferri calcium, additis aliis atque aliis materiis, re-ductionem tentauit. De ſolubilitate calcium ferri. De vi frigoris in mutando ferro ductili, et ſequelis ex ea in tractatione ferri deducendis. Experimenta, quae mutationes chalybi et ferro frigide fragili igni expoſitis obtingentes oſtendunt; prior emol-litur, chalybis igitur durities igne candente immi-nui poteſt. Quo minor ferro inhaereat phlogiſti copia, eo mollius eſſe: molle etiam ferrum, dum ferri calcibus cinctum igni candenti exponitur, mol-lius reddi; idem effecerunt oſſa calcinata, calx vi-va et argilla fiſtularia loco calcis ferri adhibita; longe tamen alius fuit euentus plurimorum horum experimentorum, igne aut inaequali, aut violen-tiore ſubſtrato. Alia ferri genera ignis vi vix vllam tenacitatis ſuae iacturam faciunt, alia, quo diutius eam experiuntur, eo fiunt fragiliora, alia, quem-admodum chalybs eique quam proxima ferri ge-nera, et tenacitate et mollitie creſcunt. De mu-tationibus, quas is ignis gradus, quo liquatur, ferro inducit: Tentamina cum ferri variis generibus, vt

lique-

ſiquetur cum vel ſine additamentis, inſtituta. De fuſione triturae et fruſtulorum ferri tum in catillis, tum igne aperto ſuſcipienda: de indole ſcintillarum in ferro ignis vi emollito conſpicuarum, indolem ferri ipſius ſequente, in ferro bonae frugis candidae apparent.

Sectio quinta ductilitatem ferri tractat, quae in ferri fruſtis paulo maioribus rariſſime aequalis eſt. Gradus huius ductilitatis varii. Ferrum molliſſimum ac tenaciſſimum praecellere reliquis; his virtutibus coniunctis Suecicum ſuperare omne aliud ferrum; puriſſimum et denſiſſimum aliis etiam pondere ſpecifico antecellere. Notae boni ferri: fibras, quae in diffracto ferro comparent, denotare quidem bonum ferrum, ſed a mallei potius oriri ictibus, quam a natiua ferri compage; abſentiam huius notae in optimis etiam ferri generibus obuenire; Metalla, quae alia atque alia proportione cum ferro colliquata ductilitatem eius immutant; argentum viuum, perinde ac zincum, nullo alio intercedente metallo confundi cum ferro non poſſe; ſtibium, arſenicum et wismuthum non absque iactura omnis ductilitatis: Additamentis ineptis ex mineris optimae notae peſſimum non raro eliquari ferrum; calcem in hoc labore adiectam omni carere debere acido ſulphureo; inepta etiam minerarum aut ferri crudi miſcela deterius prodire ferrum, quam debebat. Modus ferrum ductile excoquendi: Varii modi, ferro crudo ductilitatem impertiendi: Dari vtique ferri mineras, ex quibus primo iam labore maiore cum fructu obtineri ferrum ductile aut chalybs poſſit; multas, quae, ſi primum ferrum crudum, tum cuſum ex eis paratur, ferrum frigide fragile, priore autem modo tenax exhibeant: Defectum ductilitatis in ferro crudo occurrentem a phlogiſti abundantia proficiſci; acidum terras peregrinas, metalla aliena non

ſem-

ſemper, et, ſi adſunt, parciſſima copia inhaerere; vt igitur ferrum crudum ductile fiat, non opus eſſe, niſi imminuta phlogiſti copia. Iudicium de variis ferrum crudum emendandi modis. Notae ferri duri et mollis: Comparatio tenacitatis ferri Suecici et Iſerlohenſis et chalybei Anglici in filis vario caloris gradui expoſitis. Notae ferri calide fragilis, quod tamen, niſi nimium ſit id vitium, in chalybem ſatis bonum conuerti poteſt, durum et robuſtum; cauſſa huius vitii aliquando in cupro admiſto latet, ſed rarius, eo quod ferri minerae raro cupri feraces ſunt; frequentiſſima cauſſa huius vitii eſt vitrioli acidum, quod argumentis eximiis euincit Ill. Auctor; fluoris etiam acido, et ipſius ligni idem fieri poſſe; modi huic vitio medendi, inter quos miſcelam cum ferro frigide fragili peſſimum vocat expertus Auctor. Notae ferri frigide fragilis, quod omnibus aliis ferri generibus facilius liquatur, et lentiſſime rubiginem contrahit; vitii huius cauſſam neque in arſenico, neque in antimonio, neque in zinco, neque in terra aliena, neque in phlogiſti aut abundantia, aut defectu, neque in mechanica partium integrantium coalitione, deliteſcere ſolidis argumentis oſtendit Auctor et cum b. BERGMANO in ſidero ſuſpicatur, quod ex phoſphori acido et ferro conflatum eſſe ignorare videtur; vel potius in defectu acidi ferro ingeniti et proprii; modi, quibus iſtud etiam vitii ſanari poteſt et conſilia; magno tamen cum fructu conuerti vnquam in tenax ferrum poſſe, multum dubitat Auctor.

Sexta ſectio de ferri cum aliis metallis combinatione agit. Cum auro facillime, aequabiliter et quauis proportione coit. Multa eiusmodi experimenta, et examen metalli ex iſto connubio prodeuntis, quod euidentiſſime monſtrat, platinam nequaquam eſſe miſtum ex vtroque metallum; ſi

iſti

iſti miſturae accedat adhuc cuprum, aurum ab hoc violentius tractum ſecedit a ferro; de actione ferri ſoluti in aurum ſolutum: De modis ferrum ab auro iterum ſeparandi: De modis ferrum auro obducendi. Mixtio ferri cum platina, propriis quoque experimentis ſtabilita, quibus etiam ſeparationem alterius metalli ab altero tentauit Auctor; ferro puram praecipitari ex ſua ſolutione non poſſe platinam: Antimonio et plumbo depurari platinam non poſſe, eo quod obrigeſcat, antequam omne aut antimonium aut plumbum iterum diſſipatum ſit: Metum, ne ab arſenico ductilitatis iacturam faciat platina, Cel. ACHARDI experimenta excutiunt: Clar. HIELM, quemadmodum nuper Cel. LAVOISIER, igne aëris dephlogiſticati ope excitato, platinam liquauit. Tentamina argentum aut ſolum aut vna cum aliis metallis ferro vniendi, aut hoc illo obducendi: Argentum, ductilitate intemerata, eo additamento, ſi quidem infra dimidiam totius partem efficiat, colore, elatere, duritie creſcit: Modi ferrum ab argento ſeparandi, atque argento obducendi; Tentamina cuprum fuſionis ope ferro vniendi; Cupri in ferruminando et obducendo ferro vſus; Cupri a ferro ſeparatio. Similia experimenta vnionem et ſeparationem ferri cum et a ſtanno ac plumbo ſpectantia; poſterius exigua tantummodo copia ferrum ſubit. Hiſce experimentis primo operis volumini finem impoſuit Clar. germanicae verſionis Editor.

Alterum volumen cum iis periculis initium facit, quae vnionem ferri cum corporibus vulgo ſemimetalla dictis, argento viuo, magneſia nigra, niccolo, cobalto, arſenico, antimonio, wismutho, et zinco, et iis, quae nuperius huic corporum claſſi adſcripta ſunt, hydroſidero, molybdaena, et

lapide ponderoſo, eiusque ab illis ſeceſſum ſpectant. Cupri ſoluti ope ita cum argento viuo coniungi poteſt ferrum, vt poſt annum ſegregari deſtillatione, aut praecipitari cupri iniecti ope ſplendore metallico indutum poſſit: Magneſia magnetis in ferrum efficaciam ſupprimi, et ferrum in chalybem conuerti. Cuprum a magneſia nigra ferrifera dealbari. Niccoli regulus cum aequali chalybis copia liquatus regulum exhibuit tenacem et malleo obtemperantem, et aliis etiam accedentibus metallis facile ferrum ſubiit: De modo niccolum a ferro liberandi, qui perfectus non detur. De ratione cobalti ad ferrum; parua copia ferro additum ferri ductilitatem non deſtruere; via ſicca a ferro depurari non poſſe. De arſenici cum ferro connubio; illud ab hoc penitus diuelli non poſſe, niſi hoc penitus deſtruatur. Ferrum cum antimonio eiusque regulo, ac wismutho vel ſolo, vel aliis adhuc accedentibus metallis liquatum, iterumque ſeparatum; wiſmuthi corticem ferro amalgamatis ope ſuperinductum laxiſſime tantummodo adhaerere. Zincum ferro vniri non poſſe expertus teſtatur Auctor; in nullo ex numeroſis ſuis experimentis zinci certa veſtigia in ferro detexit, quod cum eo aut calcibus eius igne agitauerat: De molybdaenae metallo cum ferro combinato; Magneſiam nigram affinitate, qua ferro iungitur, antecellere omnia alia metalla, zincum argentum viuum: Zincum cum plumbo fuſione facillime coniunxit Auctor. Gravitas ſpecifica plurimarum mixtionum metallicarum, quas Auctor ipſe parauit.

Septima ſectio colores ferri perluſtrat: Nullam dari coloris varietatem, quin ex ferro parari poſſit; ſcorias fornacum, in quibus ferrum excoquitur, malae notae eſſe indicium: Primo lapides et minerae, quae nigredinem ſuam ferro debeant, inter quae tamen magne-

magneſiam nigram et molybdaenam referre nos equidem dubitaremus: Pigmenta nigra ex ferro parata; aethiops martialis; modi varii, quibus impetrari ſimilis materia poteſt; cum ſaccharo et aqua glutine grauida ſubactum atramenti Sinenſis vicem ſuſtinere poſſe; cum reſina et pauca cera miſtum calamos ſcriptorios exhibere: De nigredine, quam hepar ſulphuris, et bilis ferri ſolutionibus conciliant; de nigredine, quam ferrum vitris impertitur; ferruginem vſtam optime huc quadrare; cruſtis vitreis, quibus vaſa terrea obducuntur, aut pigmentis, quibus pinguntur, ferrum ſolum, perinde ac magneſiam nigram ſolam, ſi nigredo plena requiratur, non ſufficere, ſed addendam eſſe cobalti calcem: Vaſa terrea nigra optime ex argilla fiſtularia cruda cum aequali parte croci ferrei parari. De nigredine, quam ferrum in laboribus tinctoriis largitur: de atramento ſcriptorio. De arte, lanam, ſericum, linum, goſſypium, pileos, lignum, corium, oſſa et cornua nigro inficiendi colore. De rubedine ferri, cui aliae atque aliae terrae, minerae et lapides ſuum debeant ruborem: De pigmentis rubris ex ferro conficiundis, quae ſola ignis vi ex ferro puro mere rubra produci non poſſunt; facilius vſtione ferruginis aut ochrae, pulcherrime violenta vſtione calcis ex ferri in aqua forti ſolutione per cineres clauellatos praecipitatae; multa experimenta ad parandas pigmenti illius rubri varietates inſtituta; quomodo vitra atque amanſa iſta ferri rubedine imbuenda ſint; plumbea hic omnino vitanda, aſt nitro et borace opus eſt; optime inſeruire calcem per ſalem armoniacum fixum ex vitriolo ferri praecipitatam et vſtam, aut ex ſolutione colcotharis in aqua regis per alcali minerale praecipitatam atque vſtam, aut ſcobem ferream per ſaturatam ſalis ammoniaci ſolutionem

in

in rubiginem conuerſam et vſtam; calcem ex ferro frigide fragili obtentam melius, quam ex quocunque alio ferro acquiſitam. De ferri colore flauo, cuius ortum in vitrioli acido praeſertim quaerit Auctor. Omnes ochras ex argilla conſtare, cui ferri calx immiſta ſit; notae bonitatis; optimam obtineri, ſi ſolutioni ferri in aqua regis decem partibus aquae temperatae tantum aluminis immergatur, quantum in ea ſolui poteſt, et tum ferrum, tum aluminis terra lixiuio ex ſoda hiſpanica parato praecipitetur; amanſis non conducere pigmentum flauum ex ferro paratum: Caeruleum colorem, quem ferro ad certum gradum calcinato in vitro produxiſſe ſibi perſuaſerat HENCKELIUS, a micula cupri immiſta proueniſſe, ſua ipſius experientia teſte, ſuſpicatur Auctor; ſe vel arſenici ope ferro nunquam potuiſſe caeruleum vitris imprimere colorem: Ad caeruleum multarum ferri ſcoriarum colorem facere etiam magneſiam nigram, quae ſui indicia manifeſta praebeat: (exhibet tamen aqua regis, pulveri earum per aliquod temporis ſpatium ſuperinfuſa, cum lixiuio ſanguinis commiſta ſedimentum caeruleum): Turcoſae colorem a cupro proficiſci (dubitare tamen ſinunt argumenta multa, praeter alios a Gener. de BEROLDINGEN collecta, quae ferreae vtplurimum eſſe originis aperte loquuntur). Chryſopraſus vtique duritie ſuperat fluorem mineralem, et a matrice ſmaragdi (*Smaragdmutter*) differt; cupri ineſſe particulas Celeb. ACHARDI ſcrutinium teſtatur. Experimenta, quibus viridis ex ferro color acquiritur, optime, ſi caeruleum Berolinenſe inſtillato aceto cum ochra fulua in lapide teratur; alia, quibus eodem colore ferri ope vitra imbuuntur. Color ferri albus; (nulla hic fit mentio putatitii illius zeolithi albi, vulcaniis lapidibus haud raro

raro innidulantis, quem ferri mineram esse, ex suis experimentis concludit Ill. GERHARDUS).

Sectio octaua ferri solutionem spectat: Primo de ferrugine, ex cuius indole acidum ferro proprium coniicit Auctor. De coalitione ferri in rubiginem abeuntis: Aquam etiam coctione aëre fixo orbatam, ipsam calcis aquam cum limatura ferri aëris inflammabilis pauxillum exhibere, posteriorem etiam manifesta ferri soluti indicia: Etiam ex aqua aëre fixo saturata ferri soluti partem per lixivium sanguinis colore caeruleo deturbari; etiam dum in eiusmodi aqua soluitur ferrum, aëris inflammabilis pauxillum prodire: Solutiones aliorum atque aliorum ferri generum in vitrioli acido, et praecipitatio per alia atque alia alcalia perpetrata: Corrosio superficiei ferri per acidum vitrioli: Experimenta, quibus Auctor aut potius Clar. HIELM copiam aëris inflammabilis, ex aliis atque aliis ferri generibus obtinendi examinat. Numerosa experimenta ferri ex acido vitriolico praecipitationem per salia acida et media, nec non per alia metalla peragendam spectantia. Methodum a b. BERGMANO ad examinandas ferri mineras via humida commendatam maiorem ferri copiam sistere, quam quidem coctione in fornacibus vel curiosissima instituta, elici possit. Solutio ferri in nitri acido, quod in ferrum inflammabili suo principio spoliatum non agat: Aestus, quem aliae atque aliae ferri species, dum nitri acidum subibant, excitarunt; de copia acidi ad solvenda varia ferri genera, necessaria. De eiusdem acidi ad corrodendum vario modo ferrum vsu; de ferro per alia atque alia corpora ex eo praecipitato. De ferri solutione per salis communis acidum et aquam regis, eadem experimentorum varietate. De ferri in acidis fluoris mineralis atque arsenici, nec non tartari, sacchari et aceti, citri, lignorum, phosphori,

phori, boracis, acetoſellae, molybdaenae, et ſpumae lupi ſolutione ac praecipitatione: De ferri in ſalibus lixiuis ſolutione: De ferri ad ſpiritum vini ratione. Ferrum cum ſulphure, cum nitro et cum ſale communi examinatum. De mutationibus, quas ſalis communis in aqua ſolutio ſaepius inſtillata ſcobi ferreae induxit; denique ferri cum ſale armoniaco fixo examen.

Nona ſectio de chalybe agit: Notae eius in genere, tum chalybis boni; de eius cum ferro crudo communibus dotibus, et, quod parandi praeſertim modum, ac materiam, ex qua paratur, ſpectat, variis ſpeciebus: Numeroſa ab Auctore inſtituta experimenta, ferrum crudum in chalybem commutandi: Chalybi ex ferro crudo parato minus eſſe robur, quam chalybi ex ferro cuſo parato; in ferri crudi tranſitu in chalybem minorem perire phlogiſti, quod continet, copiam, quam dum ferrum malleabile ex eo paratur; calorem ſolum ferro in chalybem convertendo imparem eſſe. Lignorum carbones in puluerem comminutos ferro ductili in chalybem commutando optime inſeruire; niſi caementis, quae eum in finem adhibentur, phlogiſton inſit, nullum oriri chalybem, absque iactura aut ponderis aut bonitatis: Nimio carbonum puluere ferri in chalybem tranſitum differri: Chalybi maiorem ineſſe plumbaginis copiam, quam aliis ferri generibus, ex multis eius dotibus colligit Auctor. Praecepta in induratione chalybis obſeruanda; experimenta Auctoris ad indurandum chalybem in diuerſis caloris gradibus capta: De induranda atque in chalybem conuertenda ferri ſuperficie; experimenta cum variis materiis eo ſcopo inſtituta, ex quibus patet, alcalia fixa omnibus aliis ſalibus praeſtare.

Decima denique et vltima ſectio ferri crudi indolem, a reliquis ferri ſpeciebus diſcrimen, atque huius

huius diſcriminis cauſſas tum propriis, tum b. BERGMANI experimentis illuſtrat et exponit. Ferrum crudum non eſſe niſi ferrum fragile, neque alia aut terrena aut metallica ſibi immiſta continere. Variae ferri crudi ſpecies, quorum diſcrimen tum diuerſitate minerarum, ex quibus excoquitur, tum diuerſo excoquendi modo, calore, carbonum copia addita, et indole, fornacum ſtructura nititur; varius variarum harum ferri ſpecierum vſus. Mineras ferri, quo maiore calore egeant, vt a magnete attrahi valeant, eo difficilius liquari. Ad fundendas ferri mineras quartzoſas difficile liquandas fluorem mineralem commendat Auctor. Indoles ferri crudi menſtruis explorata. Plumbaginem toties in ferri fornacibus conſpicuum non eſſe, niſi ferrum decompoſitum, pluribus ſat euidentibus argumentis euincere conatur Auctor.

V.

Chemiſch-phiſikaliſche und practiſche Regeln vom Fruchtbrandeweinbrennen, nebſt einer neu erfundenen Kunſt Honigbrandewein mit Vortheil zu brennen, und zwar aus dem abgängigen ſogenannten Wachswaſſer, ſammt einem Anhang von der beſten Weiſe Zwetſchenbrandewein, Kirſchengeiſt und Vogelkirſchenbrandewein zu brennen von I. L. CHRIST. *mit* 1 *K. Frankfurt am Mayn bei Herrmann.* 1785. 174 *Seit.* 8.

i. e.

Praecepta chemico-phyſica et practica ad parandum ex frumento ſpiritum ardentem cum arte recentius detecta, cum fructu ex melle, ſcilicet ex aqua, vt appellant, cerae, arden-

ardentem eiusmodi ſpiritum parandi, vna cum appendice de optimo modo conficiendi ex prunis, ceraſis et ſorbis ſpiritus ardentis, Auctore I. L. CHRIST.

Egregius libellus, et ſi pauca capita exceperis, ea praeſertim, in quibus Auctor de efficacia ſpiritus ardentis in corpus humanum diſſerit, tum ob facilem ſermonem, tum ob multiplicem Auctoris experientiam, tum ob felicem (plerumque certe) principiorum chemicorum adplicationem iis non ſatis commendandus, qui nominato in negotio prudenter, et cum maximo, qui hauriri vnquam poteſt, fructu incumbere volunt: Pruna etiam ſylueſtria (addi his poſſent berberidis baccae), tubera ſolani, radices dauci carotae, ipſa malorum et pyrorum putamina, ſemina fagopyri, et panici miliacei (ex quibus duobus poſterioribus obtentus durabilis tamen non ſit), alia atque alia frumenti genera egregium exhibere frumenti ſpiritum, triticum, inprimis aeſtiuum, aliis frumenti ſpeciebus tertia parte maiorem copiam; praeferri tamen, quod copioſius colatur, minore veneat pretio, et quod a ſpiritu remanet, ſaginando pecori inſeruire queat, ſecale, quo magis farinaceum et ponderoſum ſit ſecale, eo melius adhiberi, praeferendum eſſe illud, quod macrum, in ſolo arenoſo et anno ſicco natum ſit, illi, quod pingue, in ſolo argilloſo et tempore pluuio natum ſit; hoc ſecale, vt eo certius et facilius ab aqua penetretur atque in ſuas partes reſoluatur, cum ſua gluma melius mola manu agitata et absque aqua, quam in molendina, non ſaccis intrupendum, quo ſcilicet fit, vt nimis exaeſtuet, et praepropere fermentatione nimia ſpiritus pars euolet, ſed tenuibus ſtratis in ſolo aëri ſartis opportuno expan-

den-

dendum ſaepiusque vertendum eſſe; huic ſecali comminuto ſexta pars hordei aut alius frumenti in polentam conuerſi permiſcetur.

Vt polenta illa paretur, frumentum in cupa obturamento ſtramineo circumuincto inſtructa aqua primum frigida pollicem circiter ſupra illud eminente, et ne foetor naſcatur, ſingulis 24 horis renouata, maceratur, donec grana adeo emollita ſint, vt ſupra vnguem flecti poſſint, quod quidem calida tempeſtate binis, alias tribus diebus euenit; emollita ſic grana in cellis ſiccis in aceruos 10-12 pollicum altitudine, hieme tamen altiores, quam quidem aeſtate aequalis ſuperficiei accumulantur, et ſi germinare incipiant, tum vt aequabiliter germinent, tum vt ne nimis exaeſtuent, ſaepius vertuntur. Vt primum grana 2 — 3 germina protruderunt, et radices latitudinem aliquot culmorum adeptae ſunt, vt vlterior germinatio ſupprimatur, grana tenuiter expanduntur, et ſiue furni calore, ſiue, quod noſtro etiam Auctori potius videtur, ad aërem exſiccantur: Secale igitur polentae miſtum in cupis nec nimium altis, nec nimium anguſtis, ſed paulo humilioribus atque amplioribus eius capacitatis, vt, quantum quidem binis vicibus ad deſtillandum aheno ingeri poteſt, pollicis circiter ſpatio vacuo continere poſſint, intus atque extus mundiſſimis, ſingulis ſex menſibus variatis, vt acor tanto certius praecaueatur, ſulphuris fumo perfuſis, ſi quae in angulis haereant ſordes, aqua feruida elutis, fricando quoque depuratis atque exſiccatis, ligno vel lapidibus aliquot pollices altis innitentibus, et operculo arcte occludente inſtructis, primo aqua frigida aut tepida (hieme quidem paulo calidiore) maceratur, et vt pultis ſpiſſioris formam nanciſcatur, cum ea ligni aut manuum ope agitatur; ſi omnes grumuli quaſi diffluxerint, omnia

grana aqua aequabiliter et ſatis perfuſa ſint, poſtquam per horae quadrantem operculo contecta ſtetit mixtura, ſenſim ſic reſerata frumenti compage aqua feruida affunditur, et donec pultis aequabilis eiusque quidem tenuioris et fere lactis ſpeciem acquiſiuerit, manibus ſolerter agitatur; vt calor bulliens tanto certius maneat, ignis vaſi iſti ſubſtruendus, et vltima etiam, quae affundi debet, aquae menſura, feruida infundenda eſt, et ſi fieri poteſt, per canales opertos deriuanda; quod ſi fiat, liquor dimidia circiter vere vel autumno integra, hieme duplici elapſa hora, ſapore dulci et colore fuſco, ſi vero aqua iuſto frigidior affuſa fuerit, pallidus et glutinoſus eſt, et materia ſi poſtea aheno, vt deſtilletur, committatur, nimis facile empyreuma contrahit: Quodſi ergo miſtura illa bene contecta per dimidiam, vel hieme per binas horas ſtetit, vas aperitur, ſingulis horae quadrantibus valide agitatur, et ſi elapſis binis vel tribus horis paulisper refrigerit, aqua frigida eo vſque diluitur, vt lactis nuperrime emulcti calore, thermometri etiam ope facile definiendo, gaudeat, et denuo diligenter agitatur, ſi ad eum ipſi calorem impertiendum iuſto maiore aquae copia, quam quae aheno ad deſtillandum accommodato comprehendi poſſet, opus foret, per dimidiam adhuc horam agitatur, vsque dum iuſti tenoris ſit; ſin vero aheni pars materia immiſſa adhuc vacua ſit, aqua calida infuſa replenda eſt; nunc fex et quidem ſuperior, cuius ſi frumenti 100 librae acceptae fuerint, 3 — 6 libris opus eſt, continua ſub agitatione, quae ſpumam excitet, immiſcenda eſt; quo facto omnia in fermentationem prona ſunt, quae quidem optime ſuccedit, ſi aër externus conſueto conclauium calefactorum calore gaudeat, vt igitur proficuum valde ſit, quando ignis, quo deſtillatio fit, vas illud materiam fermen-

mentantem continens ſimul paulisper calefacere poteſt, ſi aëris externi nimis liber acceſſus operculo ſtramineo adaptato arceatur, et ſi omnia tunc quiete perſiſtant, vt fermentatio lente procedat, et 48 circiter horarum ſpatio finita ſit; finitam autem eſſe, ex eo patet, quod nullae amplius exſurgant bullae, nullus animaduertatur internus motus, nullus audiatur amplius ſuſurrus vel ſibilus, ſed quieta omnia ſint, flores in altum emergere deſinant et potius fundum petant, vel ſi adhuc emergant, facile tamen remoueri poſſint, et liquor iis nunc remotis patens clarus et quietus ſit, et vini odorem ſpiret; vt primum igitur haec ſigna coniuncta adſunt, maſſa omnis continue agitata in ahenum ingeritur, in quo deſtillatio peragitur; fini autem tanto magis reſpondet ahenum, quo amplius et minus profundum, vel quo magis diameter tranſuerſa diametro longitudinali aequalis eſt; inprimis cauendum eſt, ne fundus aheni in acumen deſinat; mirifice autem prodeſt, ad id, quod a deſtillatione ſupereſt, emittendum, epiſtomium in inferiori aheni parte adaptatum.

Egregia eſt furni, ſiue finem praefixum, ſiue fomitis, quo ad accendendum in eo ignem opus eſt, parcam copiam, ſiue immunitatem ab incendii periculo conſideres, ſtructura, quam Cl. Auctor deſcriptione atque icone illuſtrat: Sufficit ſic vnus idemque ignis tum deſtillando primo, tum depurando per alteram deſtillationem ſpiritui ardenti, imo, ſi velis, excalefaciendis tribus ahenis, quorum bina ad alterum latus conſtituta primae, tertium minus alteri ſpiritus deſtillationi impenduntur: Dolium refrigeratorium circulis ferreis cinctum quo amplius eſt, eo melius inſeruit; vt aqua, quam continet, perpetim frigida ſit, ingenioſam valde commendat machinam, icone pariter illuſtratam; tubos refrigeratorios rectos, et quidem ſatis amplos,

illis praefert, qui ſerpentinis ductibus voluantur, poſt ſingulos autem labores diligentiſiſſime mundari iubet; ex tubo hoc vitreo ſpiritus per cylindrum vitream, in qua eius indoles facili opera perſpici poteſt, in infundibulum, quod cono ex charta griſea confecto et fruſto panis nigri munitur, et ex hoc in dolium deriuatur, ex ligno querno confectum, et eius praeciſe magnitudinis, vt deſtillantem ſpiritum capiat: Immittitur igitur maſſa fermentans prius adhuc ſemel valide agitata aheno ita, vt pars aheni vnciam lata vacua adhuc ſit, ſubſternitur ignis, ita vt quam citiſſime bulliat; agitatur adhuc vehementer, et tum demum, quum bullire, elevari, vapores eructare incipit, alembicus imponitur, et reliqua ad deſtillationem peragendam adaptantur, et is calor aequabiliter continuandus, quo bullire pergit: Cauſae empyreumatis et remedia, quorum plurima iam ex procedendi modo fluunt: ſi pars tubi refrigeratorii roſtro alembici proxima incaleſcere incipit, furnus, vnico foramine excepto, quod tum demum, quando ſpiritus culmi circiter craſſitie et absque vapore prodit, non tamen penitus, obſeratur, omnis occluditur: Prodiens ſic primo labore ſpiritus altero adhuc abore, aut in eodem, aut in proprio aheno depuratur, quod maxima cum cura antea mundandum, et ſpiritu illo crudiore aliquamdiu iam ſed ſollicite aſſeruato ita replendum eſt, vt vncia circiter altitudinis vacua maneat; modulus cineribus ligni fagini repletus aheno immerſus depurationem iſtam maximopere iuuat (noſtro quidem iudicio magis, quam reliqua adminicula ab Auctore commendata); additur etiam, ſi horum aromatum ſapore imbuere volueris, meliſſae, calami aromatici, aniſi, carui aliquid; melius tamen granis ſecalinis, dum macerantur v. g. modio (*Malter*) dimidio ad libras quin-

que

que et ſub hac deſtillatione adhuc librae duae cum dimidia.

In altera hac deſtillatione primo prodeunt aliquot cochlearia ſpiritus quam maxime volatilis, caeruleſcentis et vtplurimum turbidi, qui ſeparari debet, ignis ceterum eadem ratione adminiſtrandus, candelae flamma ſollicite amouenda, et labor tam diu continuandus, donec liquor transſtillans nullum amplius aut odore aut ſapore ſpiritum referat: Spiritus ardens ſi turbidus ſit, maceratione ſalis communis, quorum octo librae menſuris eius viginti iniiciuntur, et elapſis aliquot diebus traiectione repetita per recens ſemper goſſypium et chartam griſeam claritati reſtitui, repetita ſuper calce viua aut aqua calcis abſtractione empyreuma deleri ſuadet: Quo tardius olea in ſpiritu ardente ſubſidant, eo deteriorem eſſe ſpiritum. Ex modio ſiue 200 libris ſecalis triginta ſpiritus ardentis menſuras, ſingulas $3\frac{1}{3}$ librae aequales obtineri poſſe, quum conſueto modo 20 vel 24 menſuras largiatur: Loco aquae ad maceranda grana et fermentationem excitandam adhiberi etiam magno cum fructu poſſe ſuccum betulae, aquam, cui per aliquot dies 8 — 14 — 21 immerſa fuerant reliqua ab expreſſo ſucco pira aut poma. Radice rubiae dolio iniecta optime rubro colore inſici ſpiritum, croco aut carthamo flauo tingi colore poſſe. In officinis, in quibus quotidie ex 100 libris deſtillatur ſpiritus, iis, quae a deſtillatione ſuperſunt, octo ſues ſaginari poſſe, boues etiam ſi aqua temperetur; neutris calide, aut nimia ſimul copia propinanda eſſe, vaccae lactanti nequaquam. Ex liquore, qui a prima et altera diſtillatione ſpiritus ſupereſt, parari cum fructu poſſe acetum, ſi dolio immiſſum aëri calido exponatur, et fermentum vna cum piſis toſtis, aut menſura aceti vini cum piſis cocta iniiciatur. Quae de

vſu ſpiritus vini proponit Auctor, aut ſatis iam trita ſunt, aut non accurate ſatis dicta, atque ex veris principiis deducta.

Altera commentatio verſatur circa ſpiritum ex aqua, qua feruida cera poſt expreſſum mel ſuperſtes eluitur, fermentatione et deſtillatione obtinendum, illis praeſertim regionibus commendandum conſilium, quibus curta frumenti et fructuum horaeorum ſupellex eſt, maiore vero cura et fructu apes aut coluntur, aut coli certe poſſent. Rorem melleum quem vocant, eundem eſſe vegetabilium ſuccum, ſacchari aemulum, ex quo apes mel parant, et iuſto maiore calore et tempeſtate humida condenſatum, per alienas vias excretum, et praeter naturam quaſi fermenteſcentem; eapropter tum plantam ipſam morboſam inde reddi, tum bouillum pecus eo vtens morbo affici *Lungenfäule* vernacula noſtra dicto: Pollen antherarum nequaquam eſſe materiem, ex qua apes ceram conficiant, ſed melli ipſi, aquae et humori alcalino (vndenam hic?) mixtum nutriendae progeniei inſeruire: Nullum dari vegetabile, quod melle maiorem ſpiritus inflammabilis copiam contineat; vt hic acquiratur, doliis penitus repletis et bene occluſis aqua illa calida adhuc aſſeruetur, et nullo addito fermento placide et tam lente fermentet in loco calido, vt quatuor demum vel quinque dierum ſpatio abſoluatur fermentatio; ſi nullus amplius animaduertatur motus, vinoſus autem percipiatur et odor et ſapor, liquor praeterea ſit clarus, et colore paulo obſcuriore, quam antea, eodem modo deſtillatur lento igne, et depuratur, quo frumenti materies; impetratur ſic ſpiritus egregius, ſapore ſuauis, ſpiritu frumenti fortior et minus ponderoſus, vinum, ex pomorum ſucco expreſſo paratum, egregie condiens, ſi

eius

eius pars vna partibus huius 80 adfundatur: Largitur ſic illa aqua, ad eluendam ceram adhibita, octauam ſui partem, vel eius menſurae ducentae viginti quinque ad triginta quinque partes ſpiritus, cuius menſuram, ſi pretium ſpectas, dimidio floreno aequalem aeſtimat Auctor. Reliquae appendices docent, quomodo ex prunis, praeſertim oblongis et damaſcenis, ex cerafis praeſertim ſyluaticis, ex ſorbis, ex ipſo lacte parari ſpiritus ardens, et quod ab iſta deſtillatione ſupereſt, alendis ſuibus, imo etiam bobus adhiberi poſſit; exhibent autem pruna et ceraſa circiter decimam ſui partem: Denique tradit Auctor modum, quo ex lacte parari acetum poſſit.

VI.

Catalogue raiſonné des ouvrages, qui ont été publiés ſur les eaux minerales en général et ſur celles de la France en particulier, avec une notice de toutes les eaux minerales de ce royaume, et un tableau des différens degrés de température de celles, qui ſont thermales publié d'après le voeu de la Societé Royale de Medecine par M. I. B. F. CARRERE. à Paris. Cailleau 1785. fol. pag. 584.

i. e.

Catalogus operum editorum de aquis mineralibus generatim, et de aquis Galliae ſpeciatim, cum recenſione omnium huius regni aquarum mineralium, et tabula diuerſorum caloris graduum, quo eae, quae calidae ſcaturiunt, pollent, editus auctoritate

et ex votis regiae Societatis Medicae a I. B. F. CARRERE.

Initium faciunt nomina eorum medicorum Gallorum, quibus Auctor cognitionem multarum patriae suae aquarum mineralium debet, ordine alphabetico digesta; sequitur prooemium, in quo, veram aquarum mineralium analysin primum susceptam fuisse ab immortali nostro HOFFMANNO gratus fatetur Auctor. Prima pars operis de aquis medicatis in genere agit, et prima eius sectio p. 7—35. cum appendice p. 36—41. libros 91 ordine chronologico dispositos enumerat, in quibus de aquis mineralibus omnis generis agitur, siue ex professo, siue in transitu, et breuis notio eorum, quae huc pertinentia continent, exhibetur; in quo tamen censu opus hispanicum CAP DE VILA teoremas y problemas para examinas i saber vsas, quales giere aguas minerales. Madrit. 1775. desideratur*), et in genere dolemus, non semper primas proprio Auctorum idiomate scriptas editiones indicatas fuisse.

Altera primae partis sectio p. 42. eos libros percurrit, qui generatim de thermis eorumque calore agunt, et a numero 92—114 pergit; desideratur hic G. B. METZGER thermarum anatome physicomedica. Tubing. 1685. 4.

Tertia sectio p. 49—52 no. 115—124, de aquis mineralibus frigidis agit. Quam Auctor sub no. 119. allegat tanquam anonymi dissertationem, eadem est, quae no. 152. cum CAMERARII nomine recurrit; alia autem ibidem hic neglecta anno 1770 4. prodiit Auctore FERD. CHPH. OETINGER dissertatio, praeiudicia circa acidularum vsum obuia impugnans, et alia iam 1663 G. BALTH. METZGERI de acidulis.

Quar-

*) Vid. comm. nostr. dec. III. Suppl. 3. p. 427.

Quarta ſectio p. 53 — 61. primo generaliter de balneis, tum ſpeciatim de calidis p. 62. 63. frigidis p. 63 — 68. ſimpliciter aquoſis p. 69 — 72. vaporoſis p. 72. 73. a no. 125 — 178. agit; nullam tamen hic mentionem iniectam mireris ſequentium ſcriptorum: HOTE de balneis infantum Tubing. 1758. 4. LUTHER de balneis veterum. Erford. 1772. KUEHN et MAYER, qua ſaluberrimus vſus aquae frigidae externe applicatae in ſiſtendis haemorrhagiis internis nouiſſimis obſeruationibus confirmatur. Francof. ad Viadr. 1783. DE MONETA *Abh., daß die Kälte und das kalte Waſſer in Katarrkrankheiten und Katarrhuſten wahre Hülfsmittel ſind. Warſchau.* 1776. HERTZII *Briefe an Aerzte.* Berol. 1777. LENTINI de balneis, in quibus ferrum granulatum eſt, apud BALDINGER *neues Magazin für Aerzte.* Vol. III. Faſc. 3. MARCARDI de balneis laconicis apud BALDINGER *Magazin für Aerzte.* Faſc. IV.

Quinta ſectio p. 73 — 82. no. 179 — 202. modum, quo gignuntur aquae iſtae, earumque analyſin ſpectat.

Sexta ſectio p. 82 — 90. no. 203 — 219. examen aquarum mineralium tractat; deficiunt hic IO. FRANC. STAEHELING methodus generalis explorandi aquas medicatas. Vindob. 1772. 8. I. M. OESTERREICHER analyſis aquarum Budenſium, praemiſſ. meth. Cl. PR. WINTERL. Budae. 1781. 8.

Septima ſectio p. 90 — 96. no. 220 — 237. comprehendit libros de parandis arte aquis mineralibus diſſerentes; octaua denique ſectio libros de aquis Gallicis generatim ſcriptos no. 238 — 242. continet; his accenſendam putamus Bibliothecam hydrographicam *oder Verzeichniß aller Geſundbrunnen, Sauer- und Wildbäder. Nürnb.* 1729. 4.

Secunda operis pars p. 98. de fontibus Galliae medicatis ſpeciatim, et primo quidem p. 99 — 111. no. 1 — 41. de alſaticis, p. 112. 113. no. 42 — 44. de andegauicis, p. 114 — 116. no. 45 — 50 de arteſiacis, p. 117 — 138. no. 51 — 103. de aruernis; p. 139 — 145. no. 104 — 121. de bearniis; p. 146 — 151. no. 122 — 133. de aquis bellicadrenſibus; p. 151 — 154. no. 134 — 140. de biturícenſibus; p. 155 — 170. no. 142 — 180. de borbonicis; p. 170 — 181. no. 181 — 208. de burgundicis; p. 182. 183. no. 209. 210 de breſſianis; p. 183 — 192. no. 209 — 230. de britannicis; p. 193 — 201. no. 231 — 247. de brienſibus; p. 202 — 224. no. 248 — 313. de campanicis; p. 225 — 236. no. 314 — 341. de aquis Delphinatus. p. 237 — 243. no. 342 — 358. de aquis Flandriae; p. 244. 245. no. 359. 360. de aquis Fuxenſibus; p. 246 — 252. no. 361 — 379. de aquis Seguſianis; p. 253 — 259. no. 380 — 399. de aquis Burgundiae ſuperioris; p. 260 — 293. no. 400 — 474. de aquis Vaſconiae; p. 294 — 298. no. 475 — 483. de aquis Gabaliorum; p. 299. 300. no. 484 — 489. de aquis Aquitaniae; p. 301. no. 490 — 492. de aquis Hannoniae; p. 301 — 321. no. 493 — 544. de aquis inſulae Franciae; p. 322 — 341. no. 545 — 595. de aquis Occitaniae; p. 341 — 371. no. 596 — 675. de aquis Lotharingiae; p. 372. no. 676. 679. de aquis praefecturae Lugdunenſis; p. 373 — 379. no. 680 — 695. de aquis agri Niuernenſis; p 379 — 411. no. 696 — 780. de aquis Normanniae. p. 411. 412. no. 781. 782. de aquis praefecturae Aurelianenſis. p. 413. no. 783. de aquis Patrocoriorum; p. 414 — 417. no. 784 — 791. de aquis Picardiae; p. 418 — 425. no. 792 — 808. de aquis Pictauienſibus; p. 425 — 436. no. 809 — 838. de aquis Prouinciae; p. 437. 438. n. 839.

n. 839 — 842. de aquis agri Cadurcenſis; p. 439 — 442. no. 843 — 852. de aquis agri Ruteni; p. 443 — 453. no. 853 — 874. de aquis Ruſcinonenſibus; p. 454. 455. no. 875. 876. de aquis agri Santonenſis; p. 456. 457. no. 877 — 881. de aquis agri Turonenſis; p. 457 — 464. no. 882 — 898. de aquis Viuariae ſcriptores enumerat.

Tertia pars p. 464 — 524. enarrat eodem ordine, ſcilicet alphabetico prouinciarum, aquas minerales Galliae hactenus non deſcriptas.

Quarta p. 525 — 539 ſiſtit tabulam thermarum Galliae, adſcriptis nominibus fontium, et eorum, qui eos obſeruarunt, et praeſertim calore, quo et aqua, et aër circumambiens gaudet. Accedunt p. 540 — 552. aliqua ad partem primam et ſecundam additamenta; tabula materiarum contentarum, eo ordine, quo ſe inuicem in libro ipſo ſequuntur, diſpoſita; index alphabeticus nominum eorum locorum, quae aquis mineralibus gaudent, et fontium ipſorum, denique Auctorum, qui de iis egerunt.

VII.

Obſervations and experiments for inveſtigating the chymical hiſtory of the tepid ſprings of Baxton, together with an account of ſome newly diſcovered or little known properties of ſubſtances relating to ſeveral branches of chymiſtry and animal and vegetable life, to which are prefixed a chronological relation of the uſe of Buxtonwater from the earlieſt records to the preſent time, ſketch-

ſketches of a hiſtory of the atmoſphere of the Peak, and of the external form and internal ſtructure of the mountainous regions of Derbyſhire, intended for the improvement of natural ſcience and the art of phyſic. By G. PEARSON. London. 1784. 8. Vol. I. p. 327. Vol. II. p. 227.

i. e.

Obſeruationes atque experimenta ad indagandam chemicam hiſtoriam tepidorum fontium Baxtonienſium inſtituta, vna cum recenſione aliquarum recens detectarum aut parum cognitarum proprietatum corporum, ad varios chemiae et animalis ac vegetabilis vitae ramos ſpectantium, praefixis chronologica enarratione vſus earum aquarum a primis inde exordiis ad hoc vſque tempus, ſciagraphia hiſtoriae atmoſphaericae montium Peak, et tum formae externae, tum ſtructurae internae regionis montoſae comitatus Derbyenſis, naturalis ſcientiae et medicinae emendandae ergo exhibita, Auctore G. PEARSON.

Multus eſt Auctor in nominis, quo inſignitur oppidum, cui vicinae ſunt illae ſcaturigines, etymologia eruenda, multus in enarrandis iis, quae in iſta etiam regione a Romanorum inde temporibus reliqua ſunt, multus in commemorandis iſtorum fontium fatis, multus etiam in definiendis cauſſis, quae homines ad vſum eius aquae compulerunt. Vt virtus iſtius aquae cognoſcatur, primo opus eſſe, vt attributa atmoſphaerae in vniuerſa illa regio-

regione Peak vulgo dicta cognoſcatur, tum chemica aquae hiſtoria, et hiſtoria effectuum, quos tum in vegetabilia, tum in animalia, tam ſana, quam aegrota, edit. Lapidem amygdalinum, in comitatu Derbienſi valde frequentem, *Fondſtone* vulgo dictum, cum laua comparat Auctor; aërem inflammabilem appellat oleum metallorum, vti quidem ſibi perſuadet, praeeunte Stahlio: Nondum examinatum eſſe fluorem mineralem violaceum; plumbi mineras praeter ſulphur et argentum arſenici etiam et antimonii continere regulum (optandum ſane foret, Auctorem fortiores exhibuiſſe rationes, quum alii ſcriptores, in hoc argumento verſati, plane tum de arſenico, tum de antimonio ſileant): Hic etiam aliquando ignem ſubterraneum fuiſſe graſſatum. Preſſio atmoſphaerae in montoſa hac Angliae regione minor eſt, quam in vlla alia; calor etiam per omnem annum minor, ita vt veris vix habeatur vmbra; multum ad id facere, quo ea regio longius a mari diſtet: Conſectaria, quae Medicus, vſum iſtius aquae ad fontem ipſum ſuadens, inde deducere debet: Quodſi omnis aër nobis circumfuſus, ex ſententia nonnullorum, non foret, niſi aqua in ſtatum elaſticum reducta, ne omnis quidem ſufficeret diluuio telluris noſtrae; eam enim non obtegeret, niſi altitudine 35 pedum. Phlogiſton aëri immixtum in ſummis quoque inueniri montium cacuminibus, ab vrbium nidore quam remotiſſimis: Non niſi in vicinia vrbium inſignium animalium reſpiratione atque inflammatione notabiliter alterari aut phlogiſto onerari aërem; nihil igitur puritati aëris obſtare ad fontes Baxtonienſes; ex furnis enim, in quibus minerae eius regionis funduntur, pauxillum modo emanare eius phlogiſti: Non ideo ex viridibus plantae partibus exire aërem purum, quod organa plantae aërem phlogiſto oneratum in ſua prin-

principia diuellant, ſed creare quaſi, ſiue hauſerit impurum aërem, ſiue non, iſtum aërem purum, in multis plantis in propriis receptaculis aſſeruatum. Magna aquae (vtique non motae) volumina adeo non emendare aërem, vt potius corrumpant; aquam in experimentis iſtis adhibitam nihil agere, niſi quod aërem in ſe ſuſceptum extra vas, quo antea continebatur, trahat et puriorem aërem externum in eius locum ſubſtituat: Maiora tantum aëris diſcrimina per aërem nitroſum definiri poſſe, qualia vix vnquam exſiſtant ab extraneis corporibus inter alium aliorum locorum aërem; miaſmata morbifica in aëre natantia per aërem nitroſum neutiquam indicari; medicos igitur in vſus adhiberi iſtud ſcrutinium per aërem nitroſum inſtituendum non poſſe; aëris maſſas indole ſua perquam inaequales in iſto examine, cuius ſpecimina a ſe ipſo inſtituta affert Auctor, vix notabile monſtrare diſcrimen: Aëris fixi qualitates noſtris temporibus non magis notas eſſe, quam temporibus Plinii (quanta in noſtram aetatem iniuria! vtique enim noxius ille cryptarum ſubterranearum aër comparatus fuit cum aëre fixo, quem calcareae terrae exhibent, et frequenter ſumma inuenta eſt, etiam quoad reliquas eius dotes praeter vim flammam et animalium vitam exſtinguendi, ſimilitudo aliquando etiam cum aëre inflammabili, quem oleum metallorum appellare geſtit Auctor): Aërem etiam ab aëre fixo depurari per plantas vegetantes, SENEBIERI pericula probabile reddunt. Prope officinas metallicas Derbyenſes tantopere ſaepe vitiari calce plumbi in altum acta aërem, vt ipſa vegetabilia aut emoriantur, aut miſere reptent.

Geologia ſoli, ex quo ſcaturiunt illi fontes; regio parum amoena; deſcriptio balneorum; de gradu caloris, quo iſtae tum tepidae tum frigidae aquae

Buxtonienſes gaudent. Dotes reliquae earum aquarum: agitatae multas elidunt bullas, gelu coëunt quidem, ſed regelaſcentes praeter alias dotes etiam vim aquam calcis turbandi conſeruarunt; nullo ſapore linguam feriunt; quas elidunt aëris bullas, non eſſe aërem fixum, quae minoribus, paene opacis et griſeis compareant bullis, ſed aërem phlogiſticatum, ſiue, ſi cum Auctore loqui malis, mixtum ex aëre et phlogiſto. Scrutinium aquae per reagentia; ferrum aqua ſola ſolui poſſe, eo quod aquae Baxtonienſes, omni acido, ipſo aëre fixo orbae, a gallis immiſtis colorem *aliquando* nanciſcantur. Neque ſquamas ferri, neque flores zinci in metallum reduci poſſe (omnino reducuntur illae, et reduci etiam poſſunt hi): Plumbum ex ſaccharo ſaturni, dum hoc in aqua ſoluitur, non per aërem fixum huius aquae deturbari, ſed ob dilutionem: Praeter calcariam terram alius terrae veſtigia in hac aqua non inuenit Auctor. Serum ſanguinis putridum, mucus animalis, ſiue recens, ſiue putridus, vitrioli acido ſolutus, nullam a gallis patiebantur mutationem; alcali phlogiſticatum fallacem eſſe ferri indicem. Phlogiſti veſtigium nullum in aquis Baxtonienſibus, nullum acidi, neque alcali, ſed terrae calcareae tum nudae, tum ſalis et vitrioli acido nuptae, et aëris, cuiusnam neſcit Auctor. Quatuor aëris fixi menſuris opus eſſe ad ſaturandas nouem aquae calcis menſuras; octo aquae Baxtonienſis tepidae menſuris vnum contineri aëris fixi; huius interuentu nihil ſolui in aqua, nihil adeo ſuſpendi poſſe; terram calcaream non conflari ex calce et aëre fixo, ſed potius ex aëre fixo et mixtione calcis cum aëre fixo: Ineſſe aquae illi acidum vitriolicum, ſalinum et aëreum tum alcali minerali, tum calci nuptum; aërem, qui bullarum ſpecie ex aqua adſcendit, non eſſe fixum, ſed phlogiſticatum, qui tamen

tamen atmoſphaeram balneorum tam parum immutat, vt aër nitroſus vix vllum diſcrimen manifeſtet, quamuis, ſi ſolus inſpiretur, quemadmodum Auctor ſuis etiam in experimentis vidit, animalia breui necet, negatiua potius, vt Auctori videtur, quam poſitiua qualitate; phoſphorus huic aëri incluſus perinde lucet, quam in communi; aëri phlogiſticato, aut inflammabili expoſita ſemina 5 ſeptimanarum ſpatio non progerminarunt; laete autem, quum terra iis foeta aëri atmoſphaerico exponeretur; a plantis ipſis, quae per aliquod temporis ſpatium luci opportunae in illo aëre vegetabant, hic non melior euaſit; putredini non obſtat ille aër. Pus non naſci ſola partium volatilium exhalatione; ipſas partes animales mortuas cauitati viuae immiſſas in pus abire: Vitriolorum decompoſitionem ab infuſa potius aqua pendere, quam ab aëre: Aër phlogiſticatus neque ab acidis, neque ab alcalibus, neque a ſalibus mediis, neque ab alcohole, neque ab oleis, neque a ſapone mutatur; eſſe effectum flammae, adhuc in viſceribus terrae aquis Baxtonienſibus vicinae graſſantis, quod in aquis frigidis non occurrat; in terrae enim incendiis magnam eiusmodi aëris copiam extricari; his autem per ſecula alendis parem pabuli copiam in terrae gremio latere. Methodus aquam Baxtonienſem arte imitandi. Multa ſibi ab vſu aëris phlogiſticati, ſiue, vt eius verbis vtamur *compound of air and phlogiſton*, pollicetur. Accedit narratio de fonte hepar ſulphuris olente prope Doncaſtriam detecto.

VIII.

Eſſai analytique ſur l'air pur et les differentes eſpeces d'air, par Mr. DE LA METHERIE. à Paris. 1785. 8. p. 474.

i. e.

i. e.

Examen analyticum aëris puri et variarum aëris ſpecierum, Auctore Doct. DE LA METHERI.

Pauciora quidem ſunt, quae Auctori propria aut in hoc libro primum propoſita dixeris experimenta; ſed quae recentiorum induſtria et ſagacitas in graui illa de aëre, igne, luce, calore etc. doctrina detexit, renouauit et ſtabiliuit, egregie congeſta, ordinatim digeſta, ſcrupuloſe trutinata, acute diiudicata, propriis hinc inde experimentis aucta, illuſtrata, refutata hoc in libro inuenias. Nitri acidum, phlogiſto ſuo orbatum, eoque artificio dealbatum, in vaſis *exactiſſime* repletis et clauſis lucis radiis expoſitum, colorem denuo induere, nos quidem valdopere dubitamus; neutiquam autem, ſi vel exiguum in vitro ſpatium vacuum ſuperſit, cuius tum aër acido incluſo ſuum ſuppeditare vtique poteſt phlogiſton. Calcem viuam adeo perfuſam eſſe caloris materia, vt leuiter humectata in obſcuro lucem per fiſſuras corruſcantem ſpectandam praebeat (conuenit haec animaduerſio cum WESTRUMBII noſtri obſeruatione, qui etiam, quod Auctorem latere adhuc videtur, magneſiam vſtam cum vitrioli oleo adfuſo in viuam flammam exardeſcentem vidit). Calorem non eſſe, niſi materiem ignis puram, quae e. g. in combuſtione aëri puro iuncta calorem (calor igitur eſt ignis aëri puro commiſtus, ergo non meracus ignis) generet; calorem illum, etſi non acidae indolis, eſſe tamen principium eius indolis, quam cauſticam appellamus; lumen motu ignis multifario, quemadmodum ſonum motu aëris naſci. Primam originem caloris in centro terrae haerentis, in calore elementis, ex quibus noſtra tellus conflata eſt, antequam inuicem miſcerentur, in-

dito latere. WILCKII experimenta, ad calorem abſolutum corporum determinandum inſtituta, eodem cum ſucceſſu repetiit Auctor. Acida, alcalia, olea, caloris liberi minori copia imbuta eſſe poſſe, quam quidem aquam; accumulatum in quibusdam corporibus caloris principium iis potiorem impertiri vim. Inuentum aëris puri, ſiue, vt alii appellant, dephlogiſticati, BAYENIO deberi (de quo, niſi certiora exhibeat Auctor argumenta, nos quidem adhuc dubitamus). Aërem calore ſuo ſpecifico inſtructum tanquam perpetua vaporum forma conſpicuum haberi deberi; illo imminuto hanc formam deponere, eaque forma corporum mixtionem ingredi, in eo tamen ſemper adhuc diuerſum, quod ſatis caloris illius retineat, vt maximo etiam regnante frigore illam formam recuperare queat. Aqua nunquam penitus exui poſſe aërem, et perpetim luci, igni, caloris principio iungi, quae eius indolem invertant: Aërem purum, ſupra aquam incluſum, ſemper alterari, tanto magis, quanto purior eſt aqua v. g. recens deſtillata. Salem cauſticum cum zinci ſcobe igni expoſitum aërem inflammabilem exhibuiſſe, ſale ipſo in efferueſcentem commutato: Aërem inflammabilem omnem, ad hygrometrum Ill. SAUSSURII examinatum, multa aqua onuſtum eſſe: Aërem, qui obtinetur, ferrum in vitrioli acido ſoluendo, minus inflammabilem eſſe illo, qui impetratur, experimento cum ſalis marini acido inſtituto; generatim nunquam eſſe purum, ſed particulis acidis, alcalicis, metallicis inquinatum: Recentem aërem inflammabilem reducendis calcibus metallicis ſemper parem eſſe; eo noſter etiam Auctor arſenici acidum in verum regulum reduxit, aëre plurimo abſorpto, et qui ſuperſtitit, phlogiſticato; aërem inflammabilem eſſe ſingularem aëris puri cum principio ignis, lucis, aut caloris libero con-

coniunctionem; hinc argentum ex nitri acido per alcali praecipitatum, quod calore agitatum aërem purum praebeat, hunc igitur indubitato contineat, ſolis radiis expoſitum, vt ergo ex luce et illo aëre puro naſci inflammabilis aër poſſit, in verum argentum (an vera ſit illa reductio, et non apparens, dubitamus) redire: Ferri calces omni carere inflammabili aëre (hoc certe nec de omnibus, neque de plurimis valet); electricam ſcintillam calcibus metallicis reducendis parem eſſe (non tamen reduxit in experimentis CADETI et BRISSONII). Pauxillum ſulphuris integri non raro ſuſpendi in volatili ſulphuris acido praeteruidit Auctor.

Plantas in vmbra educatas deſtillatione multo minorem aëris inflammabilis copiam largiri. Electrico igne in noſtro orbe multum aëris fixi produci. Aërem fixum videri ex aëre puro et principio caloris combinato conflari, et pro arbitrio in phlogiſticatum, et hunc in purum conuerti poſſe; aërem acidum nuncupari mauult (ſed acidus etiam eſt ſalinus, vitriolicus, ſpatoſus, qui, quamuis perinde ac aër fixus, ab aqua abſorbeantur, frigore tamen nec coëunt, neque elaterem ſuum exuunt, adeoque vaporis nomen certiſſime non merentur): Aër inflammabilis vt primum meracus cum puro miſcetur, hunc in phlogiſticatum, combuſtione autem in fixum commutari: Aërem inflammabilem, aëre nitroſo addito, non ardere cum flamma viridi, niſi poſterior cupri ope obtentus fuerit; aërem quoque nitroſum adeo ſcatere aqua, vt alcali vegetabile inde cito humeſcat; non eſſe partem acidi nitroſi (hactenus bene, ſed in eo certe iniuſtus eſt Auctor in Ill. LAVOISIER, quod omnem illum aërem nitroſum metallo, nihil acido tribuat; metallum tamen ſolum, vel quocunque alio acido irrigatum, nihil ſup-

peditat illius aëris): Metalla, dum ſe inuicem facie metallica ex acido nitri praecipitant, probare, nitroſum aërem aeque conducere ad reducenda metalla, quam inflammabilem (demonſtrandum prius erat, exſurgere hic aërem nitroſum): Nitroſum aërem conflari ex aëre inflammabili et acido nitri. Scintillam electricam veram eſſe flammam et laticem electricum ex igne et aëre conflatum. Aëris electricitatem ob radios ſolares interdiu maiorem eſſe, quam nocte. Quod aqua abſorbeatur, aërem hepaticum ab omni alio inflammabili diſcernit, componi ex acido ſulphuris volatili, multo aëre inflammabili, et pauciſſimo caloris principio.

Aërem ſpatoſum merito a reliquis diſtinguit Auctor; quod tamen eſſentialem putat eam notam, quum aquam contingit, cruſta lapidea illam obducendi, miramur, quum apud nos conſtet, hanc cruſtam non eſſe niſi terram ſiliceam, quam acidum calore exagitatum ſecum in altum abripuit ac ſolvit. Aërem acidum vegetabilem iure meritoque expungit; aërem fixum ex fermentante muſto exſurgentem multo aëre phlogiſticato oneratum eſſe vidit; fermentatione etiam, qua piſtores vtuntur, vtrumque exire; in vtraque igitur fermentatione aërem purum abſorberi, cuius pars iterum in aërem fixum et phlogiſticatum abeat; idem etiam obtingere in fermentatione acetoſa; facere aërem fixum praeſertim ad formanda acida atque olea, quae in fermentatione occurrunt; acetum maiorem aëris copiam largiri, quam quidem vinum. Putredine easdem aëris ſpecies ex vegetabilibus exire, quae deſtillatione prodeant, inflammabilem nempe, fixum ac phlogiſticatum; easdem etiam putredine extricari ex animalibus praeter alcalinum atque hepaticum. Aërem dephlogiſticatum arte obtentum ideo forſan vegetationi obeſſe, quod vix vnquam acidi ſit expers

pers; (montanum tamen aërem puriorem esse omni inferiore, neque SAUSSURII experimenta, neque minor aëris phlogisticati atque inflammabilis, frequentissimorum atmosphaerae inquinamentorum grauitas specifica, probabile reddunt): Multum eius aëris dephlogisticati, qui ex plantis exit, fabrica plantae ipsa elaborari. Terebinthinae oleum sola agitatione exhibere aërem inflammabilem, qui certe natiuus dici debeat. Sanguis e venis recens missus aëri puro expositus erubuit, aëre ipso partim absorpto, partim in fixum et phlogisticatum conuerso. Singulis horis 12000 pollices cubicos aëris pectus ingredi, quorum 360 absorbeantur: Cor ranarum adhuc madidum aëri fixo expositum primo quidem violenter mouebatur, breui tamen omnis motus cessauit; diutius continuauit motum in aëre phlogisticato atque inflammabili, diutius adhuc in atmosphaerico, et duplo diutius, quam quidem in hoc, in aëre puro.

Egregie Auctor MEYERI et BLACKII ad explicanda in calce obuia phaenomena combinandam esse doctrinam censet. Ea modo corpora, quae caloris principium fouent, aut aërem inflammabilem euoluunt, aërem purum absorbere; priorum igitur alterutrum calci et alcalibus causticis inhaerere, quod tunc cum aëre puro aërem fixum constituat. Ferro, quod vegetabilibus atque animalibus inhaereat, inesse quoque aurum (miramur, Auctorem hic SAGII experimentis inniti, quorum tamen euentum longe alium viderunt, qui ad examinanda illa ab Ill. Academia missi erant). Metalla in corporibus viuis iisdem viribus fieri, quibus salia et olea. Aërem inflammabilem solo igne ex ferro expulsum aquam calcis turbasse, et flamma consumtum aquam reliquisse; hanc igitur pariter inesse metallis; continere praeter haec duo aërem

fixum atque acidum, quod terram in ſe comprehendat; arſenici acidum aërem purum largiri. Calx ſtanni et plumbi, igne vſta, acido nitri inſtillato aërem fixum exhibuit, prior praeterea aërem nitroſum dephlogiſticatum, in quo candela viuide deflagrauit. Ex ſulphure cum plumbi etiam, wismuthi, zinci calce in aqua cocto acidum expulit aërem hepaticum: Antimonii et zinci calces aqua ſolui, quemadmodum calcem viuam: Plumbum et ſtannum violento igne tortum in aëre quoque fixo et phlogiſticato calcinari expertus eſt Auctor. Si calcinatio in retorta fiat, cuius roſtrum in calcis aqua immerſum ſit, hanc turbari, naſci igitur aërem fixum, hunc autem naſci non poſſe, niſi aër inflammabilis ex metallo egrediatur; violentiſſimo adhibito igne calcinationem clauſis etiam vaſis fieri poſſe. Aëre puro ad calcinationem non opus eſſe, niſi vt extricationem aëris inflammabilis iuuet, et cum eo caloris principium conſtituat, quod ſolum ſaepe, ſuum impertiendo aërem inflammabilem, metallo reducendo ſufficiat. Argenti, argenti viui, plumbi calces igne multum praebere aëris puri, parumper aëre fixo inquinati. Nonnullas perfectius vſtas metallorum, v. g. ſtanni, ferri, calces acidis non ſolui, forſan quoniam caloris principio nimis oneratae ſint, quemadmodum metalla nimis inflammabili inſtructa difficilius ſoluantur. Frequens nitrum natiuum in cretifodinis prope Roché Guyon: Acida conflari aëre puro, aëre inflammabili, principio caloris, aqua et forſan pauca terra, a calore ſuas habere vires. Aquam, quam Cl. LAVOISIER ex combuſto cum aëre puro aëre inflammabili generatam putat, nunquam aequare pondus aëris vtriusque, vix ſuperare dimidium eius ponderis; et proficiſci ab ea aqua, qua vterque aër abundet, et nunquam penitus liberari poſſit: Aërem purum tanquam

quam principium ſecundarium, tanquam partem caloris acida ingredi.

Experimenta, quae demonſtrant, mutationes a lucis radiis inductas non deberi aëri. Ignem igitur triplici forma in natura comparere, 1) tanquam fluidum, per omne ſpatium diffuſum, quod concuſſum lucem producat. 2) tanquam fluidum omnia corpora penetrans, eorumque poros opplens 3) tanquam principium corporum, ſiue ſit caloris materia libera vel combinata, ſiue aër inflammabilis; Omnes aëris ſpecies aquae valde affines eſſe, eaque orbari nunquam penitus poſſe; vapores veſiculis quaſi conflari, his crepantibus condenſari et in priſtinam reuerti formam: Aquam penitus in aërem conuerſam eſſe, nullum experimentum loqui. Aqua abſorptam omnem aëris ſpeciem indole ſua exui; omnes emendari, praeter aërem purum, qui deterior fiat; ex aqua tamen iterum expulſas, praeter poſtremum, ſibi iterum ſimiles eſſe: Ne ebullitione quidem omni aëre ſpoliari poſſe aquam; ferri calcinationem in aqua peractam non fieri, niſi ab aëre aquae innidulante; non fieri in aqua calcis, non in aqua deſtillata; aërem purum non agere in metalla, niſi aut ipſe ſolutus ſit aqua, aut haec calore. Combuſtionem et calcinationem fieri absque auxilio aëris puri poſſe. Aërem purum cum certa copia ignis aut lucis principium caloris, cum maiore eius copia aërem inflammabilem, cum aëre inflammabili aërem phlogiſticatum, cum caloris principio aërem fixum conſtituere; aërem nitroſum et hepaticum non eſſe niſi variationes aëris inflammabilis. Dari principium aëreum, aqueum, igneum, terreum, quae quamuis omnia certiſſime adhuc compoſita hactenus tamen nondum fuerint decompoſita.

IX.

Sulla formazione del Molibdeno lettera di GIUL. CANDIDA al Sign. VINC. PETAGNA. Napoli. 1785. 8. p. 61.

i. e.

De formatione molybdenae litterae a IUL. CANDIDA ad VINC. PETAGNA datae.

Deſcribit Auctor fodinas molybdenae, prope vrbem Squillace, in Calabria, eius materiae, vti quidem aſſeuerat, feraciſſima, iam dudum apertas, incolis Terra liga dictas; et naturae quidem in formanda hacce materia clandeſtinum opus reuelaſſe ſibi videtur; ſolum propinquum ſub humo conſtat aut argilla meraca, aut argilla ſabuloſa, aut marga frequenti micae permiſta, interſertis hinc inde collibus calcareis; quo propius fodinae ipſi accedas, eo frequentius reperias nunc granitae fragmenta, nunc graniten ipſum, aut intemeratum adhuc, aut fatiſcentem et dilapſum; in loco fodinae ipſo granites fatiſcens, coni ad inſtar multoties excauatus, et in his caueis hinc inde aqua ſtagnante nigreſcente, hepar ſulphuris olente atque acida refertus, quae, ſi molybdenam eruere conducat, in puteum propinquum deriuari poteſt, nunquam tamen omnis deriuatur, ita vt metallarii, qui menſe demum Aprili, et ſole iam illucente, opus ſuum peragunt, aquae immerſi et ſeminudi molybdenam humidam et modo magis modo minus quartzi, micae, talci, ferri, ſpati pyrimachi, granati et granitae fruſtis miſtam ex terrae gremio educant, eo vsque circum circa pergentes, dum molybdenae loco ſolum graniten offendant; aquae parte exhauſta et fundo fodinae repurgato nunc profundius effodiunt, eoque per-

pergunt, donec omni denique aqua abducta omnem fodinae ambitum ſua molybdena orbarunt. Dum in eo labore verſantur, non raro aëre venti ad inſtar extruſo et ſulphur olente percutiuntur, qui laeſas immediate partes, frigoris praeſertim ſenſu afficit, et ſitim excitat, adeo tamen, ſit fides apud Auctorem, non nocens, vt potius aqua propinqua, aëre iſto grauida, ſi bibitur, recentia aeque ac inueterata vulnera conſolidet, et mala venerea, ipſa chronica, ſanet. Granites hic obuius vtplurimum ferro abundat: Exempla plura granitae nunc magis nunc minus deſtructi, inter cuius partes ſpatum pyrimachum primum alienam induere formam nobis quidem videtur; facilius deſtrui graniten, ſi per aliquod temporis ſpatium aqua fuerit opertus; ſi vlterius pergat ea, vt vocant, decompoſitio, in molybdenam abire, quae ſaepius granatis, pertinacius illi deſtructioni reſiſtentibus referta adhuc ſit; in aliis etiam Calabriae montibus e granite conflatis, e. g. monte di S. Venere del Pizzo, eandem mutationem inuenit Auctor. Multa fruſta ſuperiori ſua parte graniten deſtructum, inferiori molybdenam referunt, ita vt ſucceſſiuum illius in hanc tranſitum oculis quaſi proſequi liceret; huic tamen nonnunquam interiacent micae cumuli, aut quartzi faſciae, aut minora fragmina; aquae propior molybdena reliqua erat perfectior, quo magis diſtabat, eo deterior; quae quartzo commiſta erat, ſubtilior, pinguior ea, quae graniten contingebat: Hodienum igitur adhuc a natura gigni molybdenam, eamque inprimis ex quarzi materie, quae acido ſui generis, et principio inflammabili iuncta eam conſtituat; facere etiam ad generandam molybdenam micas, quae aliquando naturae priſtinae adhuc tenaces molybdenam micae adeo aſſimilent, vt a multis inter micas relata ſit; opus etiam eſſe, vt acce-

dat ferro; ideo a multis ferri mineris adſcriptam fuiſſe. In valle S. Sirnii pariter, medios inter montes calcareos, ea tantum lapidum fragmenta ad molybdenam accedere, quae quarzo, mica, granite conſtent, nequaquam calcaria. Plumbaginem non eſſe niſi ſpeciem molybdenae; hanc etiam acido aëreo ſcatere. Aquam aëre foetam primum eſſe naturae in progignenda molybdena inſtrumentum; aëre refertam (ſed quali?) eſſe, quae in fodinis molybdenae Calabricis ſtagnet, frigus, ſaporem acidulum, odorem hepatis ſulphurei, colorem plumbeum, indolem medicamentoſam, alia loqui; quod non ſemper inuenerint acidum aëreum in molybdena chemici, inde prouenire, quod molybdenam immaturam examinauerint; aquam hanc aëream ferrum aggredi, et partem ſulphuris, cui nuptum erat, quam maxime volatilem ſibi iungere: Acidum phoſphori cum terra quarzi, micas, talcum, ipſum quarzum conſtituere. Molybdenae colorem a ferri cum phoſphori acido et phlogiſto connubio proficiſci. Poſſe igitur deriuando in foſſas montium a granite conflatorum aquam in omni Calabria molybdenam gigni.

X.

Chemiſche Annalen für die Freunde der Naturlehre, Arzneygelahrheit, Haushaltungskunſt und Manufacturen von LOR. CRELL. *Iahrgang* 1784. *Erſter Band.* 580 *Seitt. 2ter Band.* 553 *Seitt.* 1785. *1ſter Band.* 570 *Seitt. 2ter Band.* 545 *S. in* 8.

i. e.

Annales chemici, cultoribus phyſicae, medicinae, oeconomiae et officinarum rerum manufacta-

factarum dicati, Edente LAUR. CRELLIO. Helmſt. et Lipſ. 8. in bibliopolio I. G. Müllerіano. Ann. 1784. Vol. I. II. cum indice vtriusque voluminis. Ann. 1785. Vol. I et II. cum indice vtriusque voluminis.

Eſt hoc opus non niſi continuatio illius, quod ſub titulo: *Neueſte Entdeckungen in der Chemie* (Recentiſſima in chemia inuenta) innotuit *), ſimiliter ex propriis commentariis, compendiis ſcriptorum academicorum aliorumque eiusdem generis, recenſionibus librorum chemicorum, nouitatibus chemicis, partim ex literis amicorum excerptis et biographiis compoſitum, ſimiliter ad promouendum et amplificandum chemiae ſtudium factum; omnis diſcrepantia in eo poſita eſt, quod ſingulis menſibus faſciculus prodeat, ex memoratis mixtus, quorum ſex volumen efficiunt.

Primi voluminis anni 1784 faſciculus primus quinque continet commentarios.

I. ILL. ACHARDI de methodo facili, vaſa ex platina parandi; obſeruauerat ſcilicet, platinam aequali copiae arſenici et ſalis tartari miſtam, non liqueſcere tantum facillime, ſed expulſo iterum per violentiorem ignem arſenico priorem recuperare difficillime liqueſcendi virtutem, et adeo ductilem reddi, vt malleo tractari egregie poſſit; docet igitur, quomodo ex iſta platina catilli minuti fuſorii, multis laboribus chemicis eximie apti, fabrefieri poſſint. p. 3.

II. Cl. STORR de commutatione terrae vitreſcibilis, et dotibus ſingularibus terrae, quam Celeb. Auctori *Binderde* (terram vincientem) vocare placuit, p. 5.

*) Epitomen eiusdem dabimus in Supplementis.

cuit, quae in argilla cum terra aluminari combinata eſt. Tum fundendo cryſtallum montanam, tanquam terram vitreſcibilem puriſſimam, cum puriſſimo tartari ſale in catillo argenteo, ſoluendo id, quod in catillo ſupererat, aqua deſtillata, inſtillando vitrioli acido, terram, quae interueniente alcali in aquam tranſierat, praecipitando, vitrioli acidum deſtillatione ab hac praecipitata terra abſtrahendo, quod ſupererat, cum aqua coquendo, aquam per filtrum traiiciendo et exhalatione expellendo, tum candefactum in catillo argenteo cryſtallum aliquoties in aqua frigida (citius adhuc in vitrioli acido) exſtinguendo, tunc primo cum aceto, poſtea cum vitrioli acido, denique ratione iam memorata cum aqua deſtillata tractando, eosque labores ſaepius iterando, eo tandem peruenit Cel. Auctor, vt omnem illam terram vitreſcibilem in aluminarem conuerteret, ſibique tum his, tum aliis argumentis ductus perſuadet, omnem illam terram aluminarem, quae recentius ex lapidibus pretioſis aliisque lapidibus vitreſcibilibus extracta fuit a multis, non talem his inhaerere, ſed vt terram vitreſcibilem, quae ſub illo demum ſcrutinio acidum aëreum ſibi adſciſcens in terram aluminarem tranſeat: Terram, quae, terra aluminari per acida extracta, ab argilla pura remaneat, mollitie, ductilitate, aliis dotibus a vera vitreſcibili differre, a qua tamen oriri videatur; eam etiam lapidibus quibusdam, quos Cel. Auctor immaturos appellat, inhaerere.

§. 24. III. Ill. SCOPOLI multa ſpecimina profert mercurii ſublimati corroſiui albi a ſe examinati, ratione argenti viui, quod continebat, mire diſcrepantis, ex quibus concludit, proportionem ingredientium in eo ſale ſaepius diuerſam, adeoque etiam vim corroſiuam modo leniorem, modo violentiorem eſſe.

Clar.

Clar. CRELLIUS de ſplendore nigro, quem Angli mercibus ſuis ferreis et chalybeis poliendo conciliant. p. 29.

b. GALLISCH tentamen applicati ad tubum ferruminatorium aëris dephlogiſticati; machina, cuius etiam delineationem exhibet, ab Auctore eum in finem commendata, eſt ſpecies antliae, in qua embolus ope ponderis appenſi mouetur. p. 31.

Clar. WESTRUMB aliqua de ſapone ex maſtiche parando, et b. BERGMAN conſilia de indaganda ignis grauitate addit. p. 42. p. 93.

Ex caulibus zeae maidis ſaccharum cum fructu paratur. p. 96.

Faſciculus alter quinque pariter commentarios continet. I. Cl. SCHEELE de parte dulci et volatili oleorum expreſſorum et pinguedinum animalium; ſi lithargyrium in duabus partibus olei cuiusdam vnguinoſi vel pinguedinis bullientis ſoluatur, et modo conſueto emplaſtrum paretur, aqua, quae ab emplaſtro defunditur, dulce aliquid continet, et, ſi inſpiſſatur, et nitri acidum ſaepius ab eo abſtrahitur, verum ſacchari acidum exhibet. p. 99.

II. Cl. GMELIN experimentis et argumentis euincere tentat, nuperius ab Ill. THEDEN celebratam antimonii tincturam perparum certe continere antimonii, ſiue ſulphuris, ſiue magis adhuc reguli, et plurimam potius efficaciae ſuae partem debere arcano tartari; poſſe tamen facilius et ita parari, vt antimonii aliquid eam ingrediatur, modo, quem hic amplius exponit. p. 101.

III. Clar. SVCCOW apparatus quosdam deſcribit, ad inſtituenda cum variis aëris generibus experimenta perquam idoneos, et artificia tradit, quibus in vſu eorum, et in experimentis eiusmodi generatim opus eſt; menſuras illas minores, in vſu eudiometro- p. 135.

metrorum obuias ad determinatam aquae altitudinem accommodandas esse. Nouum eudiometri genus ab artifice Lutetiano *Fortin*, Auctore Illustriss. Comite de SICKINGEN, confectum; constat illud tubo vitreo quadrangulo diametri pollicis vnius, pedem longo, superius lamina vitrea occluso, cuius parietes tabulis aeneis inclusi sunt, quarum vna in pollices et lineas diuiditur; adiecta sunt alia ingeniosissime excogitata, quorum descriptio hic nimis longa foret.

p. 143. IV. Clar. WIEGLEB inquirit in saxi speciem, Germanis nostris *Gneiß* dictam; et inuenit quidem in vncia eius viginti grana vltra vnciam dimidiam arenae grossioris quarzosae spatho scintillanti permixtae, duodecim grana vltra drachmas duas terrae siliceae subtilioris, quatuor grana vltra drachmam terrae aluminis, viginti quatuor grana ferri, et tria grana terrae calcariae.

p. 149. V. Clar. CRELLIUS methodum ostendit flammae elegantem viridem aut caeruleum colorem conciliandi; illum quidem puluerem ex parte vna salis ammoniaci, partibus duabus viridis aeris et partibus duabus picis albae, hunc puluerem ex partibus duabus vitrioli caerulei ad albedinem calcinati, parte vna salis armoniaci, et partibus duabus picis albae conflatum flammae inspergendo.

p. 152. Ill. KIRWAN egregie de discrimine lucis,
p. 155. phlogisti, caloris differit. Clar. FERBER memorat, varia Finniae et Sibiriae marmora ad chalybem allisa scintillas exhibere (quod quidem partibus siliceis subtiliter insperſis deberi nobis videtur).

p. 188. Clar. CRELL chemicos ad examinandum illud fluidum, quod glyssus nitri vulgo audit, excitat.

p. 195. Fasciculus tertius quinque iterum comprehendit commentarios. I. Cl. MEYERI, quo demonstrat, hydrosiderum illud, quod primus nouum esse

eſſe metalli genus declarauerat, non eſſe, niſi corpus ex ferro et phoſphori acido conſtans, ex quibus quippe conflari iterum poteſt.

II. LUDOV. BRUGNATELLI examen chemicum alcali phlogiſticati; ſanguinem ſolum, et partes animales eo irrigatas, phlogiſticando alcali inſervire; ſuadet lixiuium illud potius acidum vitrioli inſtillando, tum terram calcariam, donec ſaturatum ſit, prius ingerendo depurare, quam aliis modis; experimenta cum eodem alcali et metallorum in acido nitri ſolutionibus inſtituta; quod de plumbo, ſtanno, ſtibio, arſenico, cupro praecipitauerat hoc alcali, alcali vegetabili bulliente iterum ſoluebatur; non item, quod de argento viuo, zinco et wismutho praecipitauerat; alcali phlogiſticatum, quamuis vim ſuam in metallorum ſolutiones non exuat, cum oliuarum oleo in ſaponem coit. p. 197.

III. Clar. WIEGLEB recentioribus experimentis ſuam de phlogiſto doctrinam ſuperſtruit, et ſuſpicatur, non eſſe, niſi ignis materiam ipſam, non terrae, quod quidem olim ipſi videbatur, ſed ſubtiliori corpori, forſan aëri, nuptum. p. 207.

IV. Clar. WESTRUMB in oliuarum oleo nouum ſal detexit, quod, quum duas eius vncias cum ſex libris acidi nitroſi tractaſſet, remanſit, et in cryſtallos abiit. p. 229.

V. 1**. tartarum emeticum ex vitro antimonii optime parari docet, et modum, quo confici debeat, fuſe, exponit. p. 230.

Ill. SCOPOLI acidum fluoris in retortis argenteis auro intus obductis parauit, et ne hilum quidem terrae ſiliceae ex eo acido cum aqua commiſto impetrauit, ex quinque micae ruthenicae libris, eodem modo, quo alias ex cornu cerui obtinetur, vnciam dimidiam acidi phoſphorei ſicci acquiſiuit. p. 236.

Cl.

p. 237. Cl. WESTRUMB aliqua de terrarum et metallorum in ſalis culinaris ſolutionibus ad parandam ſalis naphtham accommodandis refert.

p. 238. Cl. GOETTLING narrat, aëre inflammabili neque vitrioli acidum obfuſcari: neque nitri acidum vapores rutilos eructare, quod tamen a phlogiſto fiat.

p. 268. Clar. CRELL quaeſtionem proponit de nitri acido in vitrioli ex ſulphure acquiſito oleo latente;

p. 272. et Clar. AMORETTI egregie de machinis illis aëroſtaticis commentatur.

p. 287. Finem huic faſciculo imponit biographia beati GALLISCH, a CHR. FR. LUDWIGIO noſtro exarata.

p. 291. Quartus faſciculus quinque iterum habet commentarios.

I. Clariſſ. HAGEN, quo oſtendit, magneſiam quoque principium illud tingens ex ſanguine aliisque partibus animalibus abſorbere, et eius etiam ope lixiuium ſanguinis parari poſſe, multa commemorat experimenta, cum eo lixiuio inſtituta, quae ſimul docent, magneſiam ei principio minus affinem eſſe, quam calcem atque alcalia.

p. 304. II. Clar. BRUGNATELLI in alcali phlogiſticati examine pergit, eius effectum in folia deſcribit, et experimenta, quae cum alcali phlogiſticato ad Macqueri ductum depurato, in cryſtallos redacto, in carbonem conuerſo et aqua deſtillata ſoluto inſtituit, enarrat.

p. 310. III. Clar. HEYER experimenta refert, cum machinis aëroſtaticis Brunſuici inſtituta, et varia artificia, quibus in iis experimentis vſus eſt. Charta et ipſa membrana amnios multum eius aëris transmittunt; tela ſericea (*Atlas*) ſolutione gummi elaſtici in oleo terebinthinae rectificato aliquoties oblinita,

nita, et ne laminae huius vernicis ſibi inuicem adhaereſcerent, ſolutione etiam gummi laccae in ſpiritu vini, optime inſeruire globo eiusmodi deprehenſa eſt, quemadmodum ei replendo aër per vitrioli acidum ex ſcobe ferri obtentus conuenit.

IV. Ill. SCOPOLI copiam aëris inflammabilis ex nonnullis metallis acquiſiti determinat; ſunt autem illa metalla ferrum, quod cum alcali fixo vegetabili, ſalis communis acido, et aceto, vti quidem adpellant, radicali, et zincum, quod cum alcali volatili cauſtico et non cauſtico tractauit. p. 327.

V. Clar. CRELLIUS quaedam experimenta commemorat, quae cum platina in furno, in quo porcellana coquitur, cepit; erat autem platina laboribus Illuſtriſſ. Comit. de SICKINGEN, nunc magis, nunc minus depurata: Quo magis erat depurata, eo minus igne, vel violentiſſimo, vel multoties repetito, alterabatur. p. 328.

Eq. LANDRIANI refert, Neapoli vitrum ex lauis fundi: p. 334.

Ill. SCOPOLI, ſe ex lycoperdo bouiſta tantum alcali volatilis obtinuiſſe, quantum ex vlla vnquam materia animali. p. 335.

Addidit b. BERGMAN conſilia de indaganda minerarum cornearum naſcendi via, et Clar. Edit. vitam b. CHPH. TRAUG. DELII. p. 377. p. 379.

Quinti faſciculi prima commentatio Generoſiſſ. de TREBRA debetur, qui lithomargam, ex terra aluminari et ſilicea conflatam, ſed dum v. g. calamo in tenebris fricatur, lucem emittentem, a ſe ipſo in cuniculo Georgii profundo inuentam, deſcribit. p. 387.

II. Clar. KLAPROTH pariter, quemadmodum Clar. MEYER, demonſtrat, terram illam albam hydroſideri, quam in caeruleo quoque Berolinenſi na- p. 390.

tiuo ſatis copioſam reperit, ex ferro et phoſphori acido componi poſſe.

p. 399. III. Clar. ABICH augmentum ponderis, quod metalla, dum calcinantur, experiuntur, multis experimentis illuſtrat, et in hac quidem prima commentatione plumbum conſiderat: Minium diutius igne, et quidem violentiori, vſtum colorem ſuum primo in fuſcum, tum in flauum commutauit; augmentum ponderis, quod plumbo, dum in minium tranſit, contingit, quoad 4 partes aëri fixo, quoad vnam dephlogiſticato deberi, ex egregiis his experimentis eluceſcit.

p. 411. IV. Clar. BUCHHOLZ multa exempla colligit corporum, ſponte ſua in flammas exardeſcentium et pyrophororum, quorum nonnulla hic primo publici iuris fiunt.

p. 419. V. Cl. BECKER ſuis adſtruere nititur experimentis, ad parandum arſenicum rubrum praeter arſenicum album et ſulphur auripigmentum et antimonium accedere.

p. 424. Eq. LANDRIANI analyſes v. g. ſalium mediorum per vitrioli acidum multo velocius ſuccedere in ſpa-
p. 426. tio aëre vacuo. Generoſ. DE UNGER plumbaginem, in camino furnorum, in quibus ferri minerae funduntur, frequentem, non eſſe niſi ferrum deſtru-
p. 428. ctum ſibi perſuadet. Clar. HERMANN os tibiae violento igne facie ceterum non mutata, in maſſam duram porcellanae aemulam conuerſum eſſe refert.
p. 429. Clar. SUCCOW aethiopis mineralis natiui mentionem iniicit, hydrargyrum vero crepitans LINNEI
p. 430. in natura non exiſtere perſuaſus. Clar. ABICH prisma hexaëdrum ſteatitae Culmbacenſis deſcribit.
p. 476. Cl. CRELLIUS conſilia addit de liberando a ni-
p. 479. tri acido vitrioli oleo; eodem auctore narratur in inſula Naxo zincum natiuum fuiſſe repertum.

Sexto

Sexto faſciculo. I. Clar. BUCHHOLZ de corpo- p. 483.
ribus ſponte ſua inflammatis differere pergit.

II. Clar. ABICH ſua etiam experimenta, prior- p. 500.
faſciculo pariter abrupta, continuat, et cobaltum quidem igne aliis modis vexatum hic tranſit: Ferrum et magis etiam niccolum, ſi cobalto immiſta maneant, pigmento caeruleo ex eo parando maximopere nocere, et difficillime tamen, ſi vnquam, ſegregari poſſe; experimenta ſua inſtituit Cl. Auctor cum cobalto ſaxonico, bohemico, haſſiaco et norwegico; via humida tandem cobaltum ab omni peregrino metallo liberavit; centum pondo cobalti, dum in calcem conuertuntur, quinque pondo augentur, quod augmentum a ſolo aëre dephlogiſticato deducit Auctor.

III. Clar. SUCCOW deſcribit aquam Eppingen- p. 513.
ſem, quae perinde ac aqua illa Strausbergenſis, ab ACHARDO deſcripta, nonnunquam rubet.

IV. Clar. WIEGLEB asbeſtum coloris porracei p. 514.
Zoeblizenſem examinauit, et in eius vncia tres drachmas et quadraginta quatuor grana terrae ſiliceae, tres drachmas et quinquaginta tria grana magneſiae albae, et viginti tria grana ferri inuenit.

V. Clar. MEYER ex nonnullis experimentis p. 521
ſuſpicatur, phoſphori acidum in parte viridi reſinoſa foliorum deliteſcere.

Cl. KIRWAN petroſilicem quendam, a Com. DE p. 523.
LAURAGAIS ad parandam porcellanam adhibitum, $\frac{1}{10}$ wismuthi continere, memorat. Clar. HERMB- p. 528.
STAEDT et ſuccini et formicarum acidum ad regnum vegetabile pertinere ſibi perſuadet.

Coronidis loco addita eſt huic volumini vita p. 545.
SPIELMANNI, ab eius diſcipulo TH. L. WITTWERO concinnata.

Faſciculi ſeptimi ſiue primi Voluminis ſecundi p. 3.
initium facit Clar. SCHEELE, qui eodem artificio, quo tartari acidum, etiam nitri acidum ſuis vinculis liberare docet.

p. 5. II. Clar. BINDHEIM vernice, ex gummi copal, oleo terebinthinae et oleo lini parata, conſueto artificibus modo, obduci ſuadet intus vaſa cuprea et ferrea, vt a rubigine, et vi fluidorum in illis contentorum rodente ac ſoluente muniantur, et pericula adducit, quae egregium eſſe conſilium demonſtrant.

p. 9. III. Ill. DELIUS recenſet experimentum, cum puluere illo liquante in Ludouico aureo nouo (*Carolin*)
p. 12. captum.

IV. Clar. WIEGLEB longam experimentorum, alcohol vini ſaepiſſime cum acido nitri deſtillando inſtitutorum, ſeriem enarrat, ex qua coniicit, nitri acido debere ſuam originem ſacchari acidum, quod
p. 23. ea ratione impetratur.

V. Clar. HEYER ſuas pharmacopoeae Brunſuicenſi annotationes adſpergit, plurimas certe egregias; rhabarbarum in ducatu Brunſuicenſi feliciter cultum eiusdem eſſe efficaciae, quam quidem exoticum. Eximia ſunt, quae de aquis deſtillatis et extractis monet Auctor.

p. 44. Cl. HERMSTAEDT flammam memorat, quae naſcebatur, quum naphtham vitrioli, aliquoties iam ab alcali cauſtico abſtractam, tertia vice reſiduo ſali adfunderet.

p. 89. Cl. CRELLIUS excitat chemicos, vt ſimilitudinem acidorum vegetabilium, praeſertim acidi in muſto et ſaccharo latentis, curatius examinent.

p. 99. Octauo faſciculo. I. monſtrat Cl. HAGEN, eſſentiam ambrae potiorem parari cum naphtha vitrioli, quippe quae optimam eius partem ſoluat.

p. 100. II. Clar. WIEGLEB in ſuis experimentis, et argumentis, quibus primariam acidi ſaccharini indolem impugnat, pergit; obſtat tamen Clariſſ.

Viri

Viri ſententiae, acidum acetoſellae acido ſacchari ſimillimum, et ſine nitri acido parabile.

III. Cl. HEYER ſuas adnotationes in pharmacopoeam Brunſuicenſem continuat; commendamus praeſertim pharmacopoeis, quae Cl. Auctor de liquore cornu cerui ſuccinato, de magneſia alba, de mercurio dulci, de ouorum oleo, de oleis aethereis, de ſyrupo violarum (qui ſine ſtanneo vaſe egregie caeruleus parari poſſit), de tartaro emetico ac tartariſato monet; colorem caeruleum vitri, in quo aër dephlogiſticatus ex nitro expulſus fuit, a magneſia nigra vitro inhaerente nos quidem deduceremus; abſinthium ſcatere tartaro vitriolato; ſub titulo ſalis abſinthii interdum venire ſalem communem regeneratum. p. 107.

IV. J. L. PABST ſcintillas electricas vidit, quum tabulas ſuccoladae in modulo adhuc latentes in illa ſuperficie, quae cum modulo in contactu erat, tangeret. p. 119.

Vta. Commentatio memorat inflammationem cum magno crepitu factam, quum mixturae ex 12 libris alcoholis, 3 libris ſpiritus nitri et vna libra nitri depurati, per 12 dies quieſcenti, ignis ſuppoſitus eſſet, et plurima iam pars fluidi in vas excipiens tranſiiſſet. p. 122.

Cl. SCHEELE naphtham aceti ſine acido ſalis communis aut nitri nunquam naſci; nigredinem lapidis infernalis a cupri particulis immiſtis proficiſci aſſeuerat. p. 124. Cl. MEYER foetorem acidi marini a phlogiſto deriuat, et methodum tradit, ope cinerum clauellatorum alcali minerale ex ſale communi extrahendi. p. 126. Cl. STORR obſeruauit, ſulphur penitus liquatum electricam circum ſe habere atmoſphaeram; p. 127. B. du ROI de guttis febrifugis arcanis, quae non eſſe videntur, niſi arſenicum fixum, aqua ſolutum, et vegetabili quodam tinctum. p. 130. Cl. GLEN- p. 131.

DENBERG in oleo cinnamoni, cardamomi et maioranae concrementa ſalis aemula obſeruauit.

p. 185. Clar. CRELLIUS monita quaedam de commutatione aceti in tartari vel ſacchari acidum addit.

p. 195. Faſciculo nono Cl. CRELLIUS colligit, quae tum temporis de lapide ponderoſo nota erant, et primam inuenti Generoſiſſimi D'ELHUYAR mentionem iniicit.

p. 208. Clar. VOGLER de ceruſſa antimonii ex tribus nitri et vna reguli antimonii parte parata, quae vt praecipitaretur, inſtillato nitri acido opus erat.

p. 209. III. HERMBSTAEDT multis aliis modis impetrandi ex formicis acidi tentatis optime ſucceſſit ille, quum formicas ſiccas plerasque adhuc viuas prelo committeret, obtentumque ſic acidum diſtillatione depuraret.

p. 219. IV. Cl. CRELL tentamina naphtham nitri breuiſſima via obtinendi hactenus facta colligit.

p. 229. Cl. HAGEN refert, quum SCHOENWALDIUS tentaret, acidum ex oſſibus digerendo ea in vaſis clauſis cum alcali volatili, vaſa ſubito crepuiſſe, et ſemimortuum illum cecidiſſe; ſulphureum, quo interdum inquinatur, lapidis infernalis colorem ab
p. 230. argento viuo argento inhaerente proficiſci. Doctiſſ. DEHNE medicamentorum antimonialium praeparandorum recentius denuo commendatam rationem in THEOPHARSTI, ALEXANDRI SUCHTENII, Baſ.
p. 232. VALENTINI et BECCHERI ſcriptis legit. Cl. WESTRUMB ſub certis conditionibus a nitri quoque acido vitrum (an etiam perfectum?) ſolui refert.
p. 234. Cl. HERMSTAEDT expertus teſtatur, ſal culinare aut cineres clauellatos vegetabilibus duris, ex quibus oleum deſtillatione obtinere animus eſt, nocere.

Faſci-

Faſciculo decimo I. experimentis monſtrat p. 291.
Doctiſſ. VOGLERUS, arſenici, praeſertim alcali fixo
ſoluti, vſum in praeparandis potiſſimum ad tinctu-
ram linteo ac goſſypio, ſiue cum alumine, ſiue cum
ferri vitriolo miſceatur, egregium eſſe.

II. Cl. LOEWE in parando kermes minerali lixi- p. 293.
vium cauſticum aqua temperatum propria experien-
tia ductus commendat.

III. Clar. CRELLIUS pergit in recenſendis ten- p. 302.
taminibus, naphtham nitri breuiſſima via parandi.

IV. Cl. NAUWERK ſal in aedificio quodam mon- p. 313.
tano dilabente Hercyniae efflorescens, terreſtribus
particulis adhuc inquinatum, eſſe nitrum cubicum
ſuo in examine deprehendit.

V. HOFFMANN de ſale ſuccini adulterato loqui- p. 316.
tur, et quomodo mixtione ſal ſuccini, aeque effi-
cax, ac verum, parari poſſit, tradit.

VI. Dom. HUTH hygrometra harmonica valde p. 325.
ſenſibilia ad humiditatem, calore autem et frigore
non alteranda, ex cute tenui parat, et pretiis hic
definitis vendit.

Ill. WILKE ſila vitrea memorat, quae in vlti- p. 328.
mis incendiis Islandiae focus eructauit. Cl. CREL- p. 374.
LIUS chemicos excitat, vt in phaenomena illa in-
quirant, quae ſubitaneam ſpiritus nitri cum ſpiritu
vini commixtionem ſequuntur, et monumentum
immortalis BERGMANI addit.

Faſciculo vndecimo I. B. BERGMAN aliquas in p. 387.
ſeruit mineralogicas obſeruationes, v. g. de terra
ponderoſa aërata; de illa ſpecie ſpati ponderoſi
monticolis Freybergenſibus nomine *Stangenſpath*
nota, de lapide Altenbergenſi, minus apte *weiſſer*
Schörl dicto, quum centum eius partes 52 argillae
purae, 46 terrae ſiliceae, et 2 aquae contineant; de
alio Altenbergenſi lapide ad micas potius ſpectante,

cuius 100 partes 40 terrae siliceae, 5 magnesiae albae, 46 argillae purae et nouem magnesiae nigrae ferriferae continent; de tribus zeolithi exemplis Suecicis ad chalybem scintillantibus, quae plurimum terrae siliceae, praeterea argillam, terram calcariam, et pauxillum aquae continent; de terra Anglorum Loam, quae ex $\frac{87}{100}$ arenae puluereae, et $\frac{13}{100}$ argillae parumper ferriferae constet; de alia, Wad, quae praeter plurimam magnesiam nigram, $\frac{12}{100}$ terrae siliceae, et $\frac{6}{100}$ calcis plumbi, et terrae ponderosae contineat.

p. 401. II. Dexterrimus SCHOENWALD numerosas terras earumque inter se mixtiones igne examinauit, eum in finem, vt, quae optime vasis fictilibus *Steingut* nomine venientibus inseruiant, inueniat; ita v. g. terram figulinam albam cineribus solis, vel gypso adhuc addito mixtam, ea ratione, vt terra triplum vel duplum efficiat, egregiam inuenit; potest etiam loco cinerum lithargyrium vel vitrum album fumi; multum etiam ad bonam vasorum indolem fecit sal ammoniacum fixum, quo in aqua dissoluta humectabatur terra.

p. 421. III. Doctiss. TRAMPEL pluribus periculis ostendit, aërem inflammabilem, siue meracum, siue cum aqua permistum, quacunque via in canalem cibarium perueniat, neutiquam nocere.

p. 429. IV. Clar. WIEGLEB chemicam exhibet analysin steatitae Baruthini; in vncia eius terrae siliceae vnciam dimidiam et grana quadraginta, magnesiae albae drachmas tres et grana octo, et calcis ferreae grana duodecim deprehendit.

p. 432. V. Cl. WESTRUMB narrat, ab infuso vitrioli oleo nigro magnesiam albam vstam in viuam flammam exarsisse; ab infuso fumante nitri et salis communis spiritu valde excalescere.

Ill. DELIUS de petroleo Tegernſeeenſi quaedam refert. Cl. WESTRUMB pro tartaro emetico nitrum antimonii ex antimonio diaphoretico et ſulphure parare ſuadet: Huic faſciculo demum b. GAUBII vita adnexa eſt. p. 436. p. 446. p. 472.

Vltimus denique huius anni faſciculus. I. Ill. ACHARDI pericula continet, quibus indolem aëris, ex inflammato puluere pyrio, ex decrepitante pulvere fulminante, nitro cum carbonum puluere, et nitro cum ferri ſcobe permixto, eructati eruere tentauit; priorem et alterum ex partibus fere aequalibus aëris fixi, et aëris nitroſi impuri, tertium ex duabus partibus aëris inflammabilis, et vna parte aëris fixi, quartum demum ex tribus partibus aëris ad phlogiſticatum accedentis et una parte aëris fixi conſtare putat. p. 483.

II. Doctiſſ. VOGLERUS docet linteum et goſſypium coccionellae ope eleganter rubro colore inficere; imbuit primo telum aut filum per medium diem ſolutione ſtanni, tum vt animali magis naturae accedat, tenui glutinis animalis in aqua ſolutione, et nunc demum aqua puluere coccionellae tincta. p. 497.

III. Dom. C. G. FIEDLER naphtham aceti ex ſaccharo ſaturni, quam cum vitrioli oleo et vini ſpiritu miſcet, deſtillatione parari ſuadet. p. 502.

IV. Doctiſſ. AMBURGER terram foliatam tartari ita parari iubet, vt primo acetum vini vel pomaceum lixiuio alcalico ſaturet, ſal medium, ex inſpiſſato illo latice natum, combuſtione dealbet, quod ſupereſt, aqua deſtillata ſoluat, et quicquid ea vſtione de ſuo acido perdidit, acetum deſtillatum inſtillando reſtituat, et vt primum inſpiſſando hunc liquorem cuticula apparet, lenem modo ſuggeret ſub continua agitatione ignem. p. 504.

p. 509. V. Clariſſ. HERMBSTAEDT nouis experimentis adſtruit, terram acidam ſacchari lactis, vti SCHEELIUS, ſiue acidum lactis, vti BERGMANUS appellavit, non eſſe, niſi ſacchari acidum, calcariae terrae intime vnitum.

p. 519. Cl. de FLORENCOURT, in officinis Allamontii in Delphinatu multum argenti vna cum plumbi
p. 524. fumis in altum ſurgere narrat. Cl. KNORRE de cautelis in exploratione argenti per plumbum neceſſariis.

p. 551. Adiectum eſt huic faſciculo problema de optima ratione lanam perfectiſſime dealbandi, cui ſolvendo praemium quadraginta ſcutorum aureorum promiſſum eſt.

Transgredimur ad alterum horum annalium annum, ſcilicet 1785, cuius primus faſciculus ſequentes continet commentationes.

p. 3. I. Cl. GMELINI quaeſtiones aliquot de ſale, quod poſt expulſum aërem dephlogiſticatum de nitro remanet: Mirum illud ſal ſapore quidem et acrimonia alcali cauſticum refert, eructat tamen, aliquando demum poſtquam per aliquod tempus aëri expoſitum fuit, inſtillato vel debiliori alias acido, aërem nitroſum.

p. 19. II. Clar. SCHEELE acidum ſalis illius, quod iam b. MODEL in rhabarbari radice detexit, non eſſe vitrioli, verum ſacchari acidum.

p. 21. III. Clar. WIEGLEB eam Schoerli ſpeciem indagat, quae mineralogis *Strahlſchörl* audit; erat viridis ex monte *Krebsberg* prope *Ehrenfriedersdorf* ſito, et ex ſententia Auctoris ſteatitae potius accenſenda; inuenit in vncia eius terrae ſiliceae drachmas tres et grana viginti octo, magneſiae albae drachmam vnam et grana quadraginta ſex, et ferri drachmas duas cum granis quadraginta quinque.

IV. Clar.

IV. Clar. GEYER aëris dephlogiſticati efficaciam p. 29.
in fundendis lapidibus pretioſis aliisque tentauit; primo deſcribit vaſa et inſtrumenta, quibus vſus eſt in his experimentis, et quorum alia atque alia mira varietate explorauit; terrae lapidesque calcarii in carbone huic igni expoſiti non fundebantur; facile fluxit terra ponderoſa, in angulis etiam tenuibus terra aluminaris: ipſa cryſtallus montana (quod quidem LAVOISIERO efficere ſuis inſtrumentis non contigit) in extremis acuminibus fundi coepit; rubinus, et (contra experimenta LAVOISIERI) cum iactura omnis coloris ſapphirus fundebatur, difficilius vtroque topazius, facile iterum ſmaragdus, difficilius opalus; omnes argillae cum ſpuma liquabantur, ſteatites et ſerpentinus in vitrum lacteum opacum, mica et asbeſtus in pellucidum.

Cl. CRELLIUS de zeolithis recentius Andreas- p. 45.
bergae in Hercynia detectis loquitur; inſident cryſtallis calcariis.

Idem de origine aquae poſt combuſtionem aëris p. 47.
inflammabilis et dephlogiſticati apparentis, et de aliis affinibus diſſerit.

Ill. GERHARD cum MEIERO arborum aliasque p. 56.
in lapidibus obuias icones, experientia ſua teſte, a magneſio deducit; Reichenſteini in Sileſia ſteatiten forma tabulae hexaëdrae inuenit: Vitrum, vt putant natiuum, prope Francofortum repertum, verum eſſe chalcedonium; zeolithum et baſalten in eadem regione deprehenſum veram ferri mineram; argillas ex fatiſcentibus ſcoriis vulcaniis natas, facile liquari.

Cl. SCHEELE nonnulla contra GIRTANNERUM p. 59.
monet; parum alcali volatilis aliquam iam auri calci impertiri vim fulminantem poſſe. Cl. MEYER ali- p. 62.
qua contra STORRII ſententiam, et contra vſum catilli argentei mouet dubia.

Clar.

p. 68. Cl. WESTRUMB veram dari ſalis communis naphtham negat. Cl. HERMSTAEDT veſtigia ſalis terreſtris in multis extractis legit. Annexa eſt huic
p. 89. faſciculo vita b. KOESTLINI, a Clariſſ. STORRIO deſcripta.

p. 99. Secundi faſciculi initium facit Ill. SUCCOW, varias aëris ſpecies, aërem ex ſpiritu fecum vini emiſſum, aërem fixum eum etiam, qui ex muſto fermentante exit, eiusque lethalem effectum, aërem inflammabilem, phlogiſticatum, dephlogiſticatum, ex nitro extortum, eiusque per corpora putreſcentia mutationes, aërem nitroſum, eiusque efficaciam in arcenda fermentatione examinans.

p. 108. II. Doctiſſ. VOGLERUS lanam, linteum, ſericum et goſſypium, ſolutione aluminis cum gummi arabico (aut eius loco glutine, aut amylo), vel ſolutione ſtanni imbutum a decocto potentillae argenteae et reliquorum adſtringentium vegetabilium flauere, ſi loco ſolutionis ſtanni ſumatur ſolutio vitrioli cum gummi arabico nigreſcere obſeruauit.

p. 112. III. Cl. SCHEELE de vera indole ſalis acetoſellae agit; eſſe acidum ſacchari, alcali vegetabili non penitus ſaturatum, et ex vtroque regenerari poſſe.

p. 117. IV. Cl. HERMSTAEDT verum ſalem amarum, in cryſtallos abeuntem, facile ſolubilem deſcribit, quem ex cortice peruuiano obtinuit, ferri expertem, ex terra calcaria et acido quodam vegetabili conflatum; ſimilem ſalem in radice tritici repentis et hellebori nigri latere.

p. 119. V. B. TILLBEIN colorum ex fluidis variis inter ſe mixtus mutationes deſcribit.

p. 122. VI. Doctiſſ. AMBURGER ſe ex aceto per alcali vegetabile ſuperſaturato cryſtallos obtinuiſſe refert.

p. 131. VII. Ill. ACHARD numeroſiſſima recenſet experimenta, quae cepit, vt in mutationes terris et calcibus

cibus metallorum a fusione cum alcali vegetabili contingentes inquireret; miramur, terram fluoris mineralis, vti quidem appellat, terris adhuc accenseri.

Clar. FERBER de spatho scintillante elegantissime viridi sibirico; de smaragdo insigni, in deserto kirgisico effosso. Clar. SCHEELE contra Eq. LANDRIANI de reliquorum acidorum ex aëre fixo origine sententiam, et KIRWANI opinionem de compositione posterioris. Dexterr. KNORRII egregiae de mixto ex cupro et argento metallo obseruationes. p. 152. p. 153. p. 158.

Tertius fasciculus continet I. Cl. GMELINI tentamina, zincum cum ferro commiscendi; multiplicibus experimentis edoctus est auctor, non nisi exiguam portionem alterius metalli alterum reuera ingredi, neque multum emolumenti ab hac vnione spondet. p. 197.

II. Clar. SCHEELE recentiores exhibet de aëre atque igne, et aquae generatione obseruationes; aquam a combustione aëris inflammabilis cum dephlogisticato superstitem, posteriori iam inhaesisse, sibi persuadet; inesse etiam aëri vitriolico. p. 229.

III. Clar. KLAPROTH experimentis euincit, sal vrinae, vt nonnulli vocant, perlatum non esse, nisi phosphori acidum, praeponderante parumper alcali minerali saturatum. p. 238.

IV. Ill. LAXMANN de congelatione argenti viui, quae, ipso animaduertente, contingit, quando gradus frigoris in scala Delisliana 210° notatur. p. 244.

V. Clar. WIEGLEB eam schoerli nigri speciem, quae *Stangenschörl* audit, in suas partes diuisit, et inuenit, contineri eius vncia drachmas tres et scrupulum vnum terrae siliceae, drachmas tres et grana p. 246.

quin

quinque terrae aluminaris, et drachmam vnam cum viginti nouem granis ferri.

p. 253. Cl. REMLERUS experimentis atque argumentis contra GMELINUM, (qui tamen ipſe faſſus erat, perparum antimonii continere, et plurimam virtutis ſuae partem arcano tartari debere,) contendit, tincturam antimonii Ill. THEDENIO nuperius celebratam, vel curatiſſime paratam vere ſoluti ſulphuris antimonialis continere nihil.

p. 263. B. BRINCKMANN exemplum renaſcentium, vt
p. 265. putat, pyritarum, Cl. LAXMANN de monte grani-
p. 267. tico cum montibus Baikal cohaerente refert; Cl. BEYER, VOGELIUM iam Schoenhaidenſem ſteati-
p. 269. titae cryſtallos primum vidiſſe, Cl. HOEPFNER tur-
malinos a ſe in monte Heluetorum Gotthard in-
p. 270. ventos; Cl. GLENDENBERG, ricini oleum in lamai-
p. 273. ca ex ſeminibus excoqui. Cl. HERMBSTAEDT de acida calcis ſtanni indole perquam dubitat.

p. 291. Faſciculo quarto Cl. SCHEELE ſua de aëre et igne, atque aquae generatione meletemata continuat; metalla, dum ex calcibus reducuntur, nullam exhibere aquam, etſi calces metallicae eam contineant, quia aqua partem prodeuntis aëris fixi efficit: Phlogiſton acido nitri, dum nitrum in vaſis clauſis igne violentiſſimo candet, ex calore accedere, qui in ſuas partes diſcerpatur, quarum vna, phlogiſton acido nubat, altera, pars ſalina aquae acidi.

p. 299. Cl. WESTRUMB oſtendit, vtique coniungi poſſe, nullo alio corpore interueniente, arſenicum album cum ſulphure, et arſenicum rubrum Saxonicum praeter haec duo continere nihil.

p. 302. Cl. KELS ex oleo caryophyllorum, inſtillato nitri ſpiritu, cryſtallos aciculares obtinuit, quas ſacchari acidum eſſe ſuſpicatur.

Ill. ACHARD multiplici experimentorum varie- p. 304.
tate conditiones determinare tentat, ſub quibus aër producitur, quando aqua ſiue fluida, ſiue in vapores reſoluta, cum corporibus candentibus in contactum venit: Primo deſcribit inſtrumenta et cautelas, quibus vſus eſt, v. g. vt aquam coquendo aëre ſuo prius liberaret; arena, topazii Saxonici, catilli Almerodenſes, fruſta porcellanae candefacta atque in aqua exſtincta et paucum exhibuerunt aërem, et non inflammabilem; plus exhibuit ſal commune et tartari, ſed aërem atmoſphaericum; idem factum eſt, quum plumbum, ſtannum, antimonium, wismuthum candens in aqua exſtingueret; cuprum, eo modo tractatum, nunc phlogiſticatum, nunc inflammabilem, zincum et ferrum, et, ſi aqua ſale communi aut tartari impraegnata erat, etiam carbo inflammabilem exhibuit aërem; quum loco vaſorum metallicorum, quae LAVOISIER adhibet, terreis vteretur, nullum obtinuit ex aquae vaporibus aërem; magis credibile eſſe, vapores aquae arctiori cum igne connubio permanentem induere elaſticitatem, et aquam partem eſſe aëris dephlogiſticati.

V. Cl. CAVLNDISH experimenta cum aëre et p. 324.
prodeunte ex eo aëre capta; exſtant iam in ſcriptis ſocietatis Regiae Londinenſis.

VI. Cl. CRELLIUS modum exponit, mutatio- p. 346.
nes corporibus vi duplicis affinitatis accidentes breviſſima via deſignandi.

Faſciculo quinto Ill. ACHARD in ſuis priori p. 387.
faſciculo memoratis pergit; in retorta terrea, cui tubus cupreus poſtea candefactus agglutinatus erat, ex aqua depurata in vapores reſoluta non niſi aërem fixum, tubo argillaceo agglutinato, ex alcali volatili cauſtico nunc aërem phlogiſticatum, nunc inflammabi-

mabilem impurum, ex terebinthinae ſpiritu et olivarum oleo inflammabilem fixo inquinatum impetrauit.

p. 392. II. Cl. WIEGLEB ſpathum ſcintillans carneum prope Geyer inuentum examinauit, et praeter exiguam acidi ſpathoſi portionem in vncia eius quinque drachmas et ſeptem grana terrae ſiliceae, duas drachmas et grana triginta quatuor terrae aluminaris, et ſeptem grana ferri deprehendit.

p. 405. IV. Clar. KLAPROTH modum exponit, quo ſanguinis lixiuium delicatioribus ſcrutiniis aptum confici poſſit; ſaturat nempe lixiuium cauſticum ex ſale tartari paratum caeruleo Berolinenſi, per filtrum traiicit, et vitrioli acidum inſtillat, donec nihil amplius delabatur; nunc exhalatione cogit, et frigori quietique exponit; tabulas tetraedras flaueſcentes a cryſtallis tartari vitriolati et ochra delapſa ſeparat, ſiccat, et aliquoties adhuc in pauca aqua deſtillata ſoluit et depurat.

p. 408. IV. Dom. PRAETORIUS ſuis experimentis confirmat, quae Cl. WESTRUMB de arſenico rubro dixerat.

p. 418. V. Dom. HASSE ſpiritum nitri fumantem cum balſamo canadenſi, ſtyrace fluida, butyro cacao, oleo ex oliuis, ex baccis lauri, ex vitello ouorum, ex ſeminibus napi expreſſo, cum oleo Bergamotto, cum oleo depurato caieput, cum oleo ſeminum carui, florum chamomillae, cinnamomi, cochleariae, hyſſopi et baccarum iuniperi commiſcuit, et phaenomena effectusque in ea mixtione obſeruatos enarrat.

p. 428. VI. Clar. HERMBSTAEDT ſuccum ceraſorum acidorum examinauit, nitri acido potiſſimum vſus, et ex duabus eius libris quinque drachmas cryſtallorum acidi ſacchari puri, duas drachmas ſalis medii,

in

in quo acidum dominatur, et viginti grana ſelenitae obtinuit.

VII. Dom. DOLLFUS pluribus experimentis ductus ſibi perſuadet, fumans illud glaciale oleum non niſi ex eo vitrioli acido obtineri, quod ex vitriolo ipſo expellitur; oleum dephlogiſticatum deſtillatione cum carbonum puluere facta in fumans conuertere non potuit. p. 438.

VIII. Cl. WESTRUMB in carbone reſinoſo, a praeparatione liquoris anodyni mineralis reſiduo, vitrioli acidum, acidum vegetabile, ſal Glauberi, ſeleniten, terram calcariam, terram ſiliceam, ferrum, et ignoti quid, forſan acidum phoſphoricum, reperit. p. 446.

Ill. GERHARD putat, terram ſiliceam, argillaceam et calcariam, alteram in alteram, terram ponderoſam in ſiliceam et argillaceam tranſire; lapidem elaſticum quoad maximam partem conſtare terra ſilicea, ſed continere etiam $\frac{1}{100}$ ferri, et $\frac{16}{100}$ terrae acidis ſolubilis, et pertinaciſſime igni reſiſtere. p. 446. Cl. BRÜCKMANN cum Doctiſſ. SCHNECKERO obſeruat, alias etiam lithomargas Saxonicas ſimilia cum illa Hercynica exhibere phaenomena. p. 449. Cl. HOEPFNER analyſin lapidis ollaris exhibet, in cuius vncia tres drachmae et quatuor grana terrae ſiliceae, tres drachmae et quinque grana magneſiae albae, vna drachma et quindecim grana ferri, triginta duo grana terrae aluminaris, duo grana terrae calcariae, et duo grana acidi ſpathoſi deprehenſa ſint. p. 450. Cl. SCHEELE aërem fixum, quem calces metallicae abſque additamento deſtillatae praebeant, ex atmoſphaera abſorptum eſſe, perhibet. p. 456.

Faſciculus ſextus I. Cl. GMELINI experimenta de acidi nitroſi in tingendo ſerico vſu memorat. Quamuis aliorum atque aliorum, ipſiusque alumi- p. 483.

aris terrae in acido nitri ſolutio colorem flauum ſerico impertiatur, ſolam tamen aquam fortem id perinde praeſtare, et ab eius acrimonia nihil metuendum eſſe, modo circumſpecte ſuſcipiatur labor, argumentis et experimentis monſtrat Auctor. Eundem effectum, quem in ſericum exſerit nitri acidum, edit quoque in lanam et pilos albos, nequaquam tamen in linteum et goſſypium.

p. 522. II. Ill. ACHARD ſua priori iam faſciculo dicta experimenta continuat; quibus vitrioli, ſalis communis, aceti, et formicarum acidum, nec non aërem vulgarem, ſimili modo examinat.

p. 529. III. Clar. WIEGLEB aliam adhuc ſpathi ſcintillantis analyſin proponit, ex qua patet, praeter fluoris acidum vnciam eius quinque drachmas et grana tredecim terrae ſiliceae, duas drachmas et grana triginta ſex terrae aluminaris et octo grana ferri continere.

p. 533. IV. Cl. HASSE ſua cum ſpiritu nitri fumante tentamina continuat; commiſcuit cum meliſſae, menthae criſpae, menthae piperitae, origani cretici, ſabinae, ſaluiae, ſerpylli, terebinthinae, tanaceti et thymi oleis.

p. 538. V. Clar. WESTRUMB ex experimentis, quae lectoribus noſtris iam ex eius opuſculis minoribus innotuerunt *), colligit, vini ſpiritum ex tartari acido, aqua et principio inflammabili conſtare, et acida vegetabilia omnia non eſſe, niſi acetum per principium inflammabile aliter atque aliter alteratum.

p. 545. Eq. LANDRIANI vini ſpiritum, dum eius vapores per tubum candentem propelluntur, in aërem inflammabilem, aërem fixum, et fuliginis ſpeciem
p. 546. abire vidit. Celeb. RASPE bina illa mineralia, quae nuper

*) Vid. comm. noſtr. Vol. XXVII. p. 487 ſq.

nuper in Cornubia nomine Lodeſtone et Goſſan inſignita detecta ſunt, non eſſe niſi ſpeciem lapidis ponderoſi aſſeuerat. De nouo pigmento viridi et caeruleo, quod Clar. ABICH offert, Brunſuicenſe ſuperante. p. 569.

Septimus faſciculus, ſiue primus voluminis ſecundi, anni 1785.

I. Exhibet numeroſiſſima ACHARDI experimenta, mutationes, quas metallicae calces a fuſione cum alcali vegetabili patiuntur, exponentia; ferri, cupri, ſtanni, plumbi calx in his paginis deſcribuntur; cupri calx poſt fuſionem cum alcali lotione ope aquae facta ſeparata nullum amplius acidis virorem conciliauit. p. 3.

II. Doct. VOGLERUS experimentis monſtrat, maiore copia, et perfectius, et pro vſu tinctorio egregie ſolui ſtannum in aqua forti, quam quidem in quacunque aqua regis, et cautelas aliquas, in ea ſolutione obſeruandas, ſubminiſtrat. p. 13.

III. Partitio ſaxorum ſiue petrarum in cryſtallinas, quo graniten et gneuſſum, et varias vtriusque ſpecies refert; in amorphas, quo porphyrius et ophites ſpectant; et conglutinatas, his annumerat breccias et lapides arenarios. p. 22.

IV. Cl. ILSEMANM ex cobalti terrei in aceto deſtillato et communi ſale ſolutione atramentum ſympatheticum caeruleum parare docet. p. 25.

V. Domin. LIPHARDT ex ſale communi quomodo per cineres clauellatos alcali minerale extrahi optime queat, deſcribit. p. 27.

VI. Dom. GL--G coctione ſe nihil olei, ſed emulſionem potius, ex ricini ſemine impetraſſe refert; expreſſione autem ex duabus libris et tredecim vnciis ſeminum cortice ſuo denudatorum ſex vncias vltra libram olei. p. 30.

p. 34. VII. Dom. OSTERROHT ſyrupum violarum coloris ſui tenacem parare docet, in quo labore munditiem praeſertim commendat.

p. 38. VIII. Dom. PITISCUS miſcendo flores ſulphuris cum magneſia alba, nitro, et ſale febrifugo Syluii expertus eſt, acidum liberum in iis contineri.

p. 39. IX. Dom. H. ad parandum liquorem cornu cerui ſuccinatum liquorem omnem in deſtillatione ſuccini in vas excipiens propulſum, cum aqua deſtillata quaſſatum et digeſtum, ab oleo liberatum, et ſale, eodem labore extorto, impraegnatum depurato cornu cerui ſpiritu ſaturari et per chartam aqua humectatam
p. 41. traiici ſuadet. Generoſ. de TREBRA de ſilice et quarzo, et intexto ſpatho calcareo cum acidis effer-
p. 42. veſcente. Dom. VOGEL, de colore indico, cuius dimidiam libram ex centum libris foliorum iſatidis
p. 46. recentium extraxit. Neque Clar. ROESLERO contigit, verum metallum ex lapide ponderoſo eli-
p. 47. quare. Clar. KLAPROTH hydroſiderum etiam obtinuit, ferrum in naphtha vitrioli ſoluendo; quod, poſtquam alumen omne extractum eſt, Freyenwaldae effunditur, multum continet egregii ſalis Glauberi.

p. 99. Faſciculo octauo I. Ill. ACHARD ſua continuat experimenta, et wismuthi, antimonii, zinci calces eodem modo examinat.

p. 107. II. Clariſſ. WERNER de caemento; LORIOTI caementum ſuis quoque premi incommodis; vulgo in eo peccari, quod nimium aquae addatur, et ſuperficies nimis cito exſiccetur, et muros noſtros firmitatem vetuſtorum acquiſituros, ſi calx perfectius vratur, cum aquae ſufficienti copia exſtinguatur, cum tribus arenae ſiccae partibus, nulla addita

aqua

aqua, ſubigatur, et muri ipſi intra aſſeres exſtruantur.

III. Cl. HERMBSTAEDT ex acidi ceraſorum ſcrutinio indolem et originem ſpiritus ardentis explicare tentat; videtur ipſi ſpiritus ex particulis ſucci fermentantis alias ſub fermentatione inter ſe vniones ineuntibus proficiſci; non adeſſe igitur, qualis poſt fermentationem apparet, ante fermentationem. p. 115.

IV. Doct. VOGLERUS nouis confirmat experimentis, meracum nitri acidum recens, aut in vaſis bene obturatis aſſeruatum, optimum eſſe ſtanni menſtruum, neque addendum eſſe, ſi quidem aqua regis deſideretur, tantum acidi ſalini, quantum quidem vulgo praeſcribitur. p. 123.

V. Clar. ILSEMANN, cobalti etiam calcem, ex aqua forti per cineres clauellatos praecipitatam, et aceto deſtillato ſolutam, ſale culinari addito atramentum ſympatheticum caeruleum exhibere. p. 130.

VI. Dom. LIPHARDT primo monſtrat, quomodo vaſa ex vitro viridi parata in porcellanam *Reaumurianam* conuerti poſſint, ſed egregium etiam eorum in laboribus chemicis vſum exemplis oſtendit. p. 132.

Generoſiſſ. de TREBRA lapidis arenarii ſolitarii Thuringenſis elaſtici mentionem facit: Spatum calcareum roſeum nuper Andreasbergae repertum ſuum magneſiae nigrae debere tinctum. Clariſſ. ROESLER non ex arſenico et ferro, ſed ex cobalto, Smölnicii effoſſo, Glocknizii in Auſtria parari ſmaltam, nitrum Equitis de SABINOW ipſi non videri ex ſale culinari natum. p. 139. p. 140.

Faſciculo nono I. Cl. GMELIN de mediis diſſerit, quibus copia ferri in aquis mineralibus haerentis exacte definiatur; lixiuium ſanguinis, quocunque modo paratum et depuratum, infidum eſſe putat; p. 195.

putat; neque acetum, a b. BERGMANO ad liberandum a terris ſimplicibus in ſicco aquarum reſiduo haerentibus ferrum ſufficere; ſemper enim, quamquam bene vſtum ſit illud reſiduum, aliquid etiam ferri ſoluere; alcali autem volatili cauſtico, quo ferrum quidem, non autem magneſia alba et terra calcarea ex acidis deiiciantur, poſtquam acido vitrioli caute in aquam mineralem inſtillato, omnis aër fixus, quo hactenus ſoluta erant, expulſus eſt, ferrum ex aqua praecipitari ſuadet.

p. 217. II. Clariſſ. KLAPROTH terram ponderoſam aëratam in Anglia effoſſam examinauit; vncia eius granum terrae aluminaris ferruginoſae continuit.

p. 220. III. Clariſſ. SCHEELE varia contra WEBERI dubia, ipſius theoriae de calce viua oppoſita monet, BLACKIO ceterum nunc adſtipulans; calce viua omnia alcalia fixa penitus cauſtica reddi poſſe, et magneſiam albam ex acidis praecipitare.

p. 227. IV. Clariſſ. HEYER hepatis ſulphuris volatilis ad metallorum ſolutiones rationem conſiderat; parauit illud Auctor cum calce, et aurum platinamque ex aqua regis, argentum viuum ex nitri, ſalis communis, aceti acido praecipitauit; infudit turbith minerali, mercurio dulci, in vino ſoluto, mercurio ſublimato corroſiuo albo, argento, cupro, ferro in aqua forti, poſterioribus binis etiam in vitrioli, ſalis communis, et aceti acido ſolutis.

p. 232. V. Dom. FLÜGGER oſtendit modum, magneſiam albam optimam ex ſale anglico obtinendi.

p. 236. Ill. GERHARD STORRII de aluminis terra ſen-
p. 238. tentiae aſſentitur: Dom. ZORN TILEBEINI modum naphtham nitri parandi periculo non carere, affir-
p. 241. mat. Clar. WESTRUMB ne KLAPROTHI quidem lixivium omni carere caeruleo, vt potius quartam eius partem contineat, expertus eſt; dephlogiſticato vitrioli acido aurum, argentum, argentum viuum, metal-

metalli adhucdum ſplendore nitentia ſolui, ſolui ſulphur et phoſphorum.

Faſciculi decimi initium facit Clar. SCHEELE p. 291.
acidum variis ſuccis acidis, ribeſii rubri, et groſſulariae, pomorum, vacciniorum, myrtilli, oxycocci, et vitis idaeae, prunorum padi, ceraſi ſpinoſae, et domeſticae, ſolani dulcamarae, roſae caninae, berberis vulgaris, ſambuci nigrae, ſorbi aucupariae, crataegi ariae, fragariae veſcae, ruborum chamaemori et idaei, tamarindorum, vuarum inhaerens, putat, duplex eſſe, acidum citri, et acidum pomorum, et diſcrimen vtriusque definit; nullus tamen eſt horum ſuccorum, qui non vtriusque acidi aliquid in ſe habeat, et recentiora experimenta oſtendunt, ex citri etiam ſucco, quamuis difficilius, ſacchari acidum extorqueri poſſe.

II. Clariſſ. HERMBSTAEDT ſal benzoës iterato p. 303.
cum nitri acido tractauit, et acidum fluidum ſic acquiſiuit, et tandem nitri acido abſtracto maſſam ſalinam flauam acidiſſimam atque amaram, quae cum vini ſpiritu veram eamque ſingularem naphtham exhibuit.

III. B. TILEBEIN experimentis comprobauit tra- p. 313.
nunculi ſcelerati (in germinibus potiſſimum haerentem) acrimoniam partibus volatilibus inniti; aqua certe deſtillata erat acerrima, et quiete dimittebat cum iactura omnis acrimoniae cryſtallos, quae fere nullo liquore ſoluebantur, in igne cum flamma ardebant, et, relicta circiter quarta ſui parte, in auram abibant.

IV. Clar. HEYER ſua continuat cum hepate p. 321.
ſulphuris volatili experimenta; examinans ſtannum, aqua regis ſolutum, plumbum aceto et nitri acido ſolutum, wismuthum poſteriori ſolutum, zincum, vitrioli, nitri et aceti acido ſolutum, cobaltum aqua

regis et nitri acido, niccolum et magneſiam nigram poſteriori ſolutam, arſenicum, auripigmentum, ſolutum in aqua regis, ſalis tartarique acido, et vino antimonium, kermes minerale, antimonium diaphoreticum, ſeleniten, cretam nitri acido ſolutam, ſal amarum, et ſpathum ponderoſum.

p. 326. Doct. GREN analyſin exhibet fontis Egrani, in cuius cantharo ſuecico aëris fixi pollices cubicos 9⅜, ſalis Glauberi grana 275, alcali mineralis grana 47, ſalis culinaris grana 45½, terrae calcariae grana 7½, et ferri grana 4 inuenit.

p. 340. Eq. HAWKINS de cobalti mineris locupletibus
p. 342. in Cornubia inuentis. Clar. MEYER de arſenico al-
p. 346. bo, areani ſub larua cancro inſperſa lethali. Clar. HASSE in reſiduo ab oleo caieput deſtillatione depurato ne veſtigium quidem cupri deprehendit.

p. 387. Faſciculo vndeçimo I. Clar. SCHEELE propriis experimentis KLAPROTHI et MEYERI de hydroſidero et prioris de ſale vrinae perlato ſententiam confirmat.

p. 395. II. Clar. STORR materiam mollem, mucoſam, ex qua cryſtallus montana naſcitur, ex fodinis ipſis abraſam examinat; acida nihil in eam effecerunt; via ſicca autem tam arcte vniebatur alcali fixo, vt cum eo in aquam tranſiret, ex qua per vitrioli acidum praecipitari iterum poterat. Acidi illius, cuius demonſtrandi nuperius ſpem fecit (vtinam non vanam!) MINERVINI, Auctor deprehendit nihil; multa tamen egregia de hoc naturae ſplendidiſſimo opere in profunda naturae ſpeculatione fundata ſuggerit.

p. 422. III. DANZIUS quidam ſuas meditationes et obſeruationes de montibus Bipontinis achatae feracibus proponit; de valle Itarae: Baſaltem in regione Francofurtenſi repertum, vti quidem vulgo audit, eſſe

eſſe mineram ferri cryſtallinam, laua ex foco ſuo effluente contectam.

IV. Dom. GL...G verae camphorae cryſtallos in oleo menthae piperatae, per aliquot ſeptimanas aſſeruato, inuenit. P. 427.

V. Clar. ILSEMANN lapidem, *Grauwake* in Hercynia dictum, in ſuas partes diuiſit, et ex tribus partibus terrae ſiliceae, vnaque argillae conſtare expertus eſt. P. 431.

III. SCOPOLI experimenta refert, quae cum aëre ex acido ſalis et magneſia nigra ignis adminiculo obtento cepit. P. 433.

Eq. LANDRIANI aërem hepaticum per tubum candentem traiiciendo in inflammabilem conuertit. P. 436. P. 437.

Clar. SCHEELE de vi ſoluente acidi citri.

Vltimi denique faſciculi initium facit Cl. BUCHHOLZ aliis etiam alumini additis terris, praeter calcaream, quam Doctiſſ. SIEFFERT tentauerat, cryſtallinam aluminis formam immutari comprobans. P. 483.

II. Dom. LOEW de faciliori modo liquorem cornu cerui ſuccinatum ope aceti cum oleo ſuccini coniuncti parandi agit. P. 489.

III. Clar. HEYER in ſuis periculis cum hepate ſulphuris inſtitutis pergit; et in hoc quidem commentario phaenomena, quae hepar ſulphuris vulgare cum auri, platinae, ſtanni, cobalti et antimonii in aqua regis, argenti viui, argenti, cupri, ferri, plumbi, wismuthi, zinci, cobalti, niccoli, magneſiae nigrae, cretae in nitri acido, argenti viui, cupri, ferri, atque antimonii in ſalis communis acido, argenti viui, cupri plumbi et zinci in aceto, cupri, ferri zincique in vitrioli, antimonii in tartari acido, ſacchari ſaturni, et mercurii ſublimati corroſiui albi in vino factis ſolutionibus, cum vino antimoniali, turbith minerali, mercurio dulci, arſenico albo, auripigmento, ſelenite, ſale amaro, P. 493.

alumine, ſpatho ponderoſo, antimonio diaphoretico, et kermes minerali, contingunt, diuerſa ab iis mutationibus, quae iisdem corporibus ab hepate ſulphuris volatili accidunt.

p. 499. IV. Clar. WESTRUMB iisdem inſtrumentis vſus, quibus Celeb. PRIESTLEY, quum nitri acidum in aërem dephlogiſticatum conuerteret, ex aqua copioſiſſimum quidem aërem, ſed aërem phlogiſticatum, impetrauit; ex eo coniicit Auctor, aquam connubium cum igne ſpecifico ineundo in aërem abire, et ex vaſis, in quibus extorquetur, ſemper aliquid ſecum rapere; ideo LAVOISIERIUM in tubis ferreis ex eadem aqua aërem inflammabilem impetraſſe; hinc ſuadet, tubos illos, in quos candentes vapores illi impingunt, ex nobili quodam metallo confici.

p. 506. V. Clar. CRELLIUS ex oſſibus phoſphorum ita parare docet, vt primo oſſium vſtorum duas partes cum tribus ſalis tartari violento igne fundat, tum aqua ſoluat, ſolutionem per chartam griſeam traiiciat, alcali dominans nitri acido obtundat, ſaturatum argenti viui in nitri acido factam ſolutionem inſtillet, donec nihil amplius praecipitet, ſedimentum lauet, cum carbonum puluere miſceat, exſiccet, et violento in vaſis clauſis igni exponat, quo primum argentum viuum et violentiori igne phoſphorus expellitur.

p. 509. VI. Dom. LOEWE ſpiritum Mindereri aequabilis ſemper efficaciae ita parari ſuadet, vt vnciam cinerum clauellatorum adfuſo aceto ſaturet, et liquorem adeo inſpiſſatum, vt vnciae eius octo ſuperſint, cum media ſalis ammoniaci vncia in retorta leni igne deſtillet.

p. 511. Eq. LANDRIANI Equitem LORGNA, quomodo punica cera parata olim fuerit, inueniſſe refert, eſſe ſpeciem ſaponis ex cera et alcali minerali cauſtico

ſtico conflatam, cum omnibus pigmentorum generibus commiſceri, et egregias iam ea factas fuiſſe picturas. Clar. SCHEELE multas alias, praeter rhabarbarum, radices, calcem ſaccharatam continere narrat. p. 513.

Peritiſſimus KNORRE SAGII furnum docimaſticum tuto argenti explorationi adhiberi poſſe dubitat, et veterum in hoc labore praeſcriptas leges longa et probata experientia nixus contra novatorem defendit: argentum nunquam tam exacte ab auro ſeparari poſſe, vt eius ne micula quidem remaneat. p. 514.

Dom. AMELUNG ſuis etiam periculis p. 518. gypſi in emendando ſolo vim comprobat.

Eq. HAWKINS lapidem ponderoſum, Germanis ſub nomine *weiſſe Zinngraupen* venientem, hactenus in Cornubia non eſſe inuentum memorat, ſed duas ſpumae lupi varietates. p. 519.

Clar. MEYER longa p. 520. experimentorum ſerie didicit, non dari propriam fluoris mineralis terram, et de euentu experimentorum, quibus terra ſilicea in aluminarem conuerſa eſſe probatur, dubitandum adhuc eſſe.

XI.

Dr. LORENZ CRELL *chemiſches Archiv* 1*ſter Band mit* 2 *Kupf. Leipzig.* 1783. 176 *Seitt.* 2*ter Band.* 348 *Seitt. in* 8.

i. e.

Dr. LAUR. CRELLII tabularium publicum chemicum. Vol. I. et IIdum.

Eſt a Cl° Editore conſtitutum ex anterioribus Academiarum et Societatum litterariarum ſcriptis ea heic lectoribus ſuis quaſi in nuce porrigere, quae ad rem chemicam ſpectant: Incipit hic p. 1—114. cum ſcriptis Societatis regiae Londinenſis, inde ab anno

1665

1665 ad ann. 1699; pergit p. 117 — 176. ad ſcripta Academiae Regiae Pariſinae, ab anno 1666 — 1693. et p. 3 — 174 ad Acta Academiae Caeſareae Naturae Curioſorum ab anno 1670 — 1694.

Alterum volumen complectitur ſcripta chemica p. 3 — 136. eiusdem Academiae Caeſareae ab anno 1695 — 1721: p. 139 — 196. ſcripta ſocietatis Londinenſis ab anno 1700 — 1725. et p. 199 — 348. ſcripta Academiae Regiae Pariſinae ab anno 1699 — 1707. in nucem redacta.

Continuatur idem vtiliſſimum inſtitutum ſub titulo:

XII.

LOR. CRELL *neues chemiſches Archiv. Erſter Band. Leipzig, in der I. G. Müllerſchen Buchhandl.* 1784. *S.* 352. *2ter Band. S.* 359. *3ter Band.* 1785. *Seitt.* 366. *4ter Band. S.* 356. 8.

i. e.

LAUR. CRELL. Tabularium publicum chemicum nouum. Vol. I. II. cum icon. III. cum icon. et indic. prior. voluminum. IV. cum icone.

Primum volumen pergit p. 1 — 206. in Actis academiae Pariſinae ab anno 1707 — 1718. transit p. 209 — 240 ad Acta Academiae Berolinenſis, annos 1700 — 1727. perluſtrans, et ad Acta Societatis Regiae Vpſalienſis p. 243 — 282. ab anno 1720 — 1734; adduntur tandem p. 285 — 352. ſcripta Academiae Caeſareae ab anno 1721 — 1732 edita, quot eorum huc quadrant.

Volumen ſecundum fere totum (ad pag. 226. vsque) eſt in ſcriptis academiae regiae Pariſinae ab anno 1719 — 1725; additur p. 229 — 252. particula

cula ſcriptorum Academiae imperialis Petropolitanae annis 1726 — 1731 editorum, p. 255 — 262. ſcriptorum ab Academia (ſiue tum temporis adhuc Societate) Regia Berolinenſi annis 1727 — 1734, p. 271 — 296. ſcriptorum Academiae Caeſareae annis 1733 — 1739, p. 299 — 338. ſcriptorum Societatis regiae Vpſalienſis annis 1735 — 1739, et tandem p. 341 — 359. ſcriptorum Societatis regiae Londinenſis annis 1726 — 1732. euulgatorum.

Tertium volumen p. 3 — 86. in enucleandis ſcriptis Societatis Regiae Londinenſis ab anno 1733 — 1745. p. 89 — 218. Academiae Pariſinae ab anno 1726 — 1732, p. 221 — 232. Societatis Vpſalienſis anni 1742, p. 235 — 274. Academiae Caeſareae ab anno 1735 — 1750, p. 277 — 320. Academiae Berolinenſis ab anno 1735 — 1742. pergit.

Quartum volumen p. 1 — 82. initium facit ſcriptorum Academiae Regiae Holmienſis anni 1739 et 1740; et pergit in redigendis in epitomen ſcriptis, quantum quidem ad chemiam ſpectant, p. 85 — 270. Academiae Pariſinae, ab anno 1733 — 1742, p. 273 — 356. Academiae Berolinenſis ab anno 1745 — 1750.

Vnusquisque, qui ingentem illum egregiarum in ſcriptis his academicis latentium obſeruationum chemicarum theſaurum nouit, et artis inuentorumque illum, ad quem nunc peruenerunt, gradum perſpicere cupit, grates habebit aſſiduo huius epitomes editori.

XIII.

XIII.

Coſtituzione delle malattie regnate nella Città e Provincia di Mantova l'anno CIↃIↃCCLXXXI; Memoria epiſtolare ſcritta dal Sig. Dott. FELICE ASTI, Fiſico Collegiato, R. Protofiſico Mantovano e Socio di più Accademie, al Sig. GIOV. LUIGI TARGIONI, Medico Fiorentino, Corriſpondente della Società Reale di Medicina di Parigi, cet. In Firenze, nella nuova Stamp. della Rovere da S. M. Maggiore, CIↃIↃCCLXXXII. plagg. 4½, in 12mo.

i. e.

Diſſertatio epiſtolaris ad IOH. LUDOV. TARGIONI, Medicum Florentinum, qua morbi, qui anno CIↃIↃCCLXXXI Mantuae et in territorio huius vrbis graſſati ſunt, deſcribuntur, Auctore FELICE ASTI, Medicinae Doctore et Protophyſico Mantuano cet.

Etſi breues ſunt, quas hic Auctor in laudato libello de morbis, iisque potiſſimum epidemicis, et eorum ſanandorum ratione varia dedit relationes, dignas tamen eas iudicamus, quae noſtris lectoribus innoteſcant, quum Auctorem in eo ſtudioſe allaboraſſe deprehenderimus, vt non ſolum aegritudines ipſas, earumque ſymptomata recenſeret, verum etiam in varias earum cauſas inquireret, ſimulque medendi ipſis methodum, qua cum ſummo fructu vſus eſt, cognitam redderet. Qua de re iuniores potiſſimum medicos haud parum vtilitatis ex hoc libro capere poſſe perſuaſum habemus. Ceterum vt ſententiam, quam diximus, quibus-

dam

dam argumentis probabilem reddamus, nonnullas Auctoris obſeruationes breuiter commemoremus.

Verno anni octogeſimi primi tempore, praeter benignas variolas, etiam angina ſpuria, purpura et ſcarlatinae febres graſſatae ſunt, a quibus tamen non minus, quam a variolis, ſollemni alias medendi methodo, aptaque diaeta aegroti facile liberati fuerunt. At vero euenit nonnunquam, vt, dum purpura aut ſcarlatina ad finem vergeret, abſceſſus graues in facie, aliaue capitis parte orirentur, morbique denuo augerentur, vt quidam infantes, quibus iam integra ſanitas fere reddita eſſet, de ſalute, vitaque magis, quam antea, periclitari viderentur. Ac inflammationis potiſſimum tempore huiusmodi infantum ſtatus anceps admodum erat atque ambiguus; etenim de vehementibus doloribus, aliisque grauibus ſymptomatibus querebantur, quibus leniendis varia medicamina parum ſufficiebant. Sed elapſo illo tempore, circa vndecimum diem, inſignis puriformis materiei quantitas ex abſceſſibus prope aures, aut in vicinia naſi ortis profluebat, et hic effluxus, cum aegrotorum leuamine, per aliquot hebdomadas continuabat, etſi omnis febris iam euanuerat; tandem vero aptiſſimae diaetae, eiusque fere ſolius, auxilio integra ſanitas reſtituta eſt. p. 11.

Intermittentes febres, quibus hoc ipſo tempore populares Noſtri laborarunt, graues admodum fuerunt et diuturnae, neque tamen adeo pertinaces, vt aptis mediis tolli non potuiſſent; etenim ſi modo recta viuendi, medendique methodus aegrotis commendaretur, omnes e morbo euaſiſſe Auctor expertus eſt. Ac potiſſimum peruuianus cortex miros praeſtitit in huiusmodi morbis effectus, opus tamen quandoque fuit, vt maxima in copia haec medicina adhiberetur, ſi aegros prorſus reſtituere Auctor vellet; fuerunt enim inter illos, qui, niſi p. 13. p. 18. inte-

integram vnciam, vel ſeſquiunciam, immo duas vncias huius febrifugi aſſumſiſſent, et generoſam eiusmodi doſin repetiiſſent, vix fuiſſent ſani euaſuri. Neque vero tantum exquiſitas, quas dicere ſolent, intermittentes febres haec medicina ſuſtulit, ſed iis etiam aegrotis, qui lethargica et apoplectica, aut cholerica et ſubcontinua febre, eaque in continuam aut ardentem veluti vergente, laborarunt, optimo fuit auxilio, effecitque, vt alia medicamina, quibus lethargo, reliquisque grauibus ſymptomatibus obuiam erat eundum, virtutes exſererent ſaluberrimas. Ceterum multis febricitantibus, iis potiſſimum, quorum aluus neque adſtricta, neque laxa nimis erat, ſolo peruuiano cortice ſecunda valitudo reddita eſt, aliis, qui ſolutam habebant aluum, cum aliquo ſtyptico iunctus, et iis, qui de obſtructo ventre querebantur, cum magneſia aut alio leni euacuante remedio mixtus is cortex exhibitus fuit.

p. 24. Neque vero cunctis aegrotis intermittentibus aut remittentibus febribus laborantibus Noſter ſtatim peruuianum febrifugum praeſcripſit, ſed ſanatos etiam plurimos eſſe refert, quibus arcani duplicati, ſalis ammoniaci, et ſimilium mediorum ſalium cum aquoſis aut vinoſis gentianae rubrae, corticis aurantiorum, vel corticis fraxini, hippocaſtani, caſcarillae, cet. decoctis vſus fuiſſet commendatus. Admodum efficacem Auctor etiam aquam, quam amaram dicit, reperit, qua quippe multi a febrili inſultu vel prorſus liberati, vel ſaltem ad radicalem, vt ita dicamus, curam peruuiano cortice peragendam egregie praeparati fuerint. Eſt autem haec aqua nihil niſi ſalina ſolutio, quae ex vncia ſalis Ebshamenſis, ſcrupulo ſpiritus ſalis ammoniaci et ſpiritus ſulphuris per campanam, ac quatuor vnciis

ciis aquae deſtillatae compoſita, aegris pro vna doſi haurienda data eſt, ita tamen, vt, pro ſubiectorum ratione, haec doſis vel augeretur, vel minueretur, et, ſi pertinacius malum eſſet, aliquoties repeteretur.

Veris etiam atque aeſtatis tempore multi, iique potiſſimum infantes, vehementiſſimae cuidam tuſſi infeſti fuerunt, quae et diu durabat, et cum grauibus quibusdam ſymptomatibus erat coniuncta. Excernebant ii, quos hic morbus inceſſerat, parum vel omnino nihil ſputi, vomitu autem viſcidam lympham reiiciebant, erantque ſimul ſpaſticis concuſſionibus expoſiti; reperiebantur etiam, qui ex pectore et naſo non minus, quam ex ventriculo per ſuperiora et inferiora purum ſanguinem ea in copia excernerent, vt nonnulli, qui multum eiusdem perdidiſſent, vel animo linquerentur, vel ipſius haemorrhagiae tempore morirentur. Cauſa huius profluuii in vehementi tuſſi, impeditaque reſpiratione erat quaerenda; etenim tum, cum inſultus praeterierat, reſpiratio libera inueniebatur, neque ſanguinis aliquid profluebat. Tuſſis haec, quam clangoſam dicendam eſſe Noſter autumat, medicamento a MATTHIOLO in hunc vſum commendato, eruca ſcilicet hortenſi officinali, ſanata fuit; eius enim puluis vel decoctum ſaccharo mixtum aegrotis, quibus antea rhabarbarum, vel aliam euacuantem medicinam ex mercurio dulci aut alio mercuriali medicamento, aut ipſo mercurio viuo cum rhabarbaro aut dacrydio ſulphurato mixto, exhibuerat, admodum proficuum repertum eſt. Ceterum in hoc ipſo morbo curando ſe non neglexiſſe oleoſa, mellita et pectoralia medicamenta, ſialagoga tamen eccoprotica egregium praeſidium tuliſſe refert Auctor, additque ſimul, tanquam prophylacti-

cum, vt et ſub mali declinatione iulepum de terebinthina fuiſſe admodum fructuoſum.

p. 36. Morbi, quibus auctumnali tempore populares Noſtri grauiter oppreſſi iacuere, tertianae febres fuerunt, eaeque continuae vel duplicatae, porro quartanae, quintanae, cet. quas aliae ſaepe aegritudines, velut catarrhales affectus, obſtructiones in infimo ventre; regius morbus, cachexia et, in ſequiori ſexu, chloroſis, pedum oedemata, ipſiusque hydropis initia comitata ſunt. Neque tamen huiusmodi aegrotorum ſtatus periculorum admodum plenus eſſe videbatur, quippe omnes peruuiani corticis et rhabarbari cum ſalibus quibusdam mediis coniuncti virtutibus a febre liberati fuerunt, qua domata mineralis cuiusdam aquae (acqua del Tettuccio), aut ſalinae illius ſolutionis, quam ſupra deſcripſimus, ope priſtina ſanitas ipſis omnino reddita eſt. Ad roborandum corpus, et ad reſoluendam viſcidam materiem, quae forte ſupererat, iis, quos febris reliquerat, medicatum vinum, digeſtione ex amaris et euacuantibus quibusdam medicamentis, martisque limatura paratum, bibendum dedit Noſter, aliis autem, quorum abdominalia viſcera adeo obſtructa erant, vt hac medicina diſſolvi omnis pituita commode non poſſet, bolorum quorundam ex gummate ammoniaco aceti ſcillitici ope depurato, ſapone veneto, millepedibus, croco et myrrha (quibuſcum quandoque etiam aliquid mercurii dulcis aut kermes mineralis commixtum
p. 46. fuit,) confectorum vſum ſuaſit. Ceterum inflammatorios pectoris morbos, quibus hoc ipſo tempore multi laborarunt, Noſter etiam egregie vicit, iis potiſſimum medicamentis vſus, quibus et affluxus humorum ad inflammatam partem praepediri, et nimius ſanguinis motus infringi, et ipſa inflammatio veluti reſolui poſſit; nam huic medendi metho-

do,

do, non item mandibulis lucii piſcis, quos Auctor ſimul cum aliis medicamentis aegrotis pleuritide laborantibus quandoque praeſcripſit, ſaluberrimos effectus, qui inſecuti ſunt, gratos eſſe habendos, haud vllum profecto dubium eſt.

Quae de aliis inflammatoriis, et rheumaticis, ſcrophuloſis, cet. affectionibus, earumque medendi ratione Noſter monuit, ea lectoribus vno ſaltem verbo commendanda putamus; neque enim longiores in recenſendo hoc libello eſſe poſſumus, vt ne omnia ASTII obſeruata transſcribere voluiſſe, atque noſtri adeo inſtituti rationis oblitos prorſus fuiſſe videamur.

XIV.

Nouveaux Mémoires de l'Académie de Dijon, pour la Partie des ſciences et arts. Premier Semeſtre CIↃIↃCCLXXXIII. A Dijon, chez Cauſſe, CIↃIↃCCLXXXIV. 8. pagg. 230. c. tab. aen.

i. e.

Noui Commentarii Academiae ſcientiarum et artium Diuionenſis. Semeſtre primum.

I. *Experimenta quaedam ad varium affinitatis ſpiritus vini aduerſus nonnulla reſinoſa corpora gradum determinandum capta*, auctore TARTELIN. p. 1.

Reſinae, quas vegetabilium regnum nobis largitur, duplicis potiſſimum generis eſſe videntur; aliae quippe ab aethere, non item ab ardentibus ſpiritibus, ſoluuntur, aliae vero in vini ſpiritu prorſus ſolubiles ſunt; illae vel plane nullo, vel admodum debili gaudent odore, videnturque aliquod veluti reſiduum oleorum ſpiſſorum eſſe; hae volatili odo-

rato principio pollent et eſſentialium oleorum ſiſtunt reſiduum. Prouti ergo haec ipſa olea magna gaudent aduerſus vini ſpiritum affinitate, ita etiam reſinae, quae ipſis ortum debent, lubenter ab eo recipiuntur. Neque tamen hoc menſtruum eadem vtitur erga quamcunque veram reſinam affinitate; etenim repetita experientia confirmatum eſt, aliam reſinam maiori, aliam minori in copia a vini ſpiritu, eoque rectificatiſſimo, diſſolui, et vero etiam reſinae cuiusdam, v. c. myrrhae, tincturam, eamque limpidam et penitus ſaturatam turbari et puluerem quendam deponere, dum alia, eaque pariter ſaturata reſinoſa ſolutio, v. c. alöis tinctura, ipſi admiſcetur. Atque hic quidem, quem modo laudauimus, euentus inde videtur TARTELINO deriuandus eſſe, quod alia ſit menſtrui aduerſus aloën, alia aduerſus myrrham affinitas; experimentis quippe multis, de quibus in hac diatribe exponit, de varia ratione, quae eſt inter vini ſpiritum et plerasque reſinas, certus fuit redditus. Solvit autem primum reſinarum quamlibet, quarum in vniuerſum viginti quinque ad tentamina adhibuit, in ſufficienti ſpiritus vini quantitate, et deinde cuiusuis ſaturatae ſolutionis duas vncias leni igne ad ſiccitatem inſpiſſauit; ita expertus eſt, vnciam tincturae aloës 144 grana, ſimiles portiones tincturae reſinae guaiaci 84, tincturae reſ. ialapp. 71, tinct. reſ. ſcammon. 52, tinct. reſ. myrrh. 48. tinct. reſ. ammoniac. 42, tinct. reſ. galban. 39, tinct. reſ. ſagapen. 37, tinct. ſuccin. 30, tinct. bitum. iudaic. 12 grana reſinae ſolutą tenuiſſe, menſtruumque adeo non eadem vi in ſoluenda corpora egiſſe, cet. Iam vero, vt etiam praecipitatorum, quae ex commixtione duarum huiusmodi tincturarum oriuntur, naturam intelligeret Auctor, varias earum inter ſe miſcuit, viditque, omnes eas reſinas, quae eodem aduerſus

ſpiri-

ſpiritum vini gaudent affinitatis gradu, nullum praecipitatum praebere, eas vero, quae hoc reſpectu inter ſe differunt, puluerulentam materiem deponere, cuius copia tanto maior eſt, quanto maior differentia inter affinitatis reſinarum erga menſtruum gradus obtinet. Ceterum non vna tantum, ſed vtraque ſoluta reſina ad formanda haec praecipitata conferre videtur; nam, etſi Noſter ingenue faſſus eſt, ſe hactenus eo nondum peruenisſe ſuis laboribus, vt problema de vera eorundem natura recte ſoluere poſſit, nonnullis tamen tentaminibus ſe eſſe edoctum addit, materiem, quae e. g. ex commixtione eſſentiae aſae foetidae cum tinctura aloës orta fuit, non vnius tantum ſolutae reſinae proprietatibus gauiſam eſſe, ſed fuiſſe aliis characteribus, quos ab aloë, aliis, quos ab aſa foetida haberet, conſpicuam. Plura experimenta ad hoc chemiae caput illuſtrandum alio ſe tempore inſtituturum et cum lectoribus communicaturum eſſe ſub finem diatribes Auctor fidem fecit.

II. *Experimenta ſuper mercurii viui cum ſalis acido coniunctione per attractionem ſimplicem*, auctore MARET. Etſi magna eſt inter hydrargyrum et ſalis acidum affinitas, hunc ipſum tamen ſpiritum, vtut concentratiſſimum, metallum illud fluidum haudquaquam aggredi conſtat, niſi illud prius vel in vapores mutatum, vel alia ratione ad diſſolutionem aptum redditum fuerit. Qua itaque experientia nixi chemiae cultores in praeparando corroſiuo illo ſale, quod ab vtroque hoc corpore inuicem mixto ortum habet, methodo tali vtplurimum vſi ſunt, qua vapores alterius corporis vaporibus alterius veluti occurri et inter ſe coniunctionem inire poſſent. Etenim cum hydrargyro et communi ſale aliud quoddam corpus commiſcuerunt, cuius virtute non poſſet non minerale alcali ab ſalis acido ſeiungi et aci- p. 10.

di ipſius euaporatio adiuuari. Iam vero, licet, experientia teſte, hac methodo effici poſſit hoc, vt acidum metallo egregie nubat, cum eoque in verum ſal, illudque ad medicos vſus aptiſſimum abeat, tantum tamen abeſt, vt ea vnica ſit, vt alia, eaque
p. 12. veluti ſimpliciori, eo ipſo fine potiri queamus. MARETUS namque expertus eſt, mercurium viuum, quem per ſe igni in vitreo vaſe expoſuiſſet, vt in vapores alio quodam vaſe colligendos abire poſſet, cum muriatico acido itidem per ſe in peculiari vaſe calefacto et in vapores mutato libenter coire, et ita metallicum ſal, illudque albi et cryſtallini pulveris forma inſigne, conſtituere, quod, cum a ſubnigra materie, quae ſimul fuerat producta et album ſublimatum veluti obducebat, eſſet probe ſeparatum, mercurio ſublimato corroſiuo, ſollemni alias ratione praeparato, ſimillimum fuit repertum. Hoc proinde experimento probatum omnino eſt, mercuriale eiusmodi ſal per ſimplicem etiam attra-
p. 14. ctionem, quae dici ſolet, parari poſſe. — Alius labor, quem MARETUS inſtituit, minus feliciter ipſi ceſſit. Quum enim mercurii viui vnciam vnam cum ſemiſſe in retortum vas immiſiſſet, et huic excipulum, cui duae vnciae ſpiritus ſalis fumantis inerant, applicuiſſet, vehementis ignis vi productos mercuriales vapores aliquam quidem coniunctionem cum ſalis acido iniiſſe, maximam autem eorundem portionem in excipulo vel globularem formam induiſſe, vel in griſeum puluerem abiiſſe, in quem non magis, ac in illos globulos, aliquos acidum effectus exſeruit. Ceterum vtramque hanc ſalis mercurialis parandi methodum, quae videatur attentione non prorſus indigna eſſe, Auctorem pluribus obſeruationibus illuſtraturum ſperamus.

p. 21. III. *Diſputatio ſuper origine aquae guttarum, quae cryſtallo montanae, aliisque quibusdam corpori-*

bus,

bus, v. g. reſinae copal, nitro, ſali gemmae, cet. incluſae quandoque obſeruantur, auctore LE CAMUS. Vt aquae quicquam in huiusmodi cryſtallis et bituminoſis corporibus remanere poſſit, atmoſphaerici potiſſimum aëris, iudice Noſtro, effectus eſt; hoc enim elementum, ſi ipſi quocunque modo aditus ad cryſtallos nondum penitus formatas et induratas fuerit apertus redditus, aliquam aquae cryſtalliſationis portionem, eam inprimis, quae ſuperficiei cryſtalli inhaerebat, in ſe recipit, ita ipſam ſuperficiem, aut epidermidem, quam Noſter dicit, et proxime ſub ea poſitam lapideam, aut aliam materiem, exſiccat, poros exhalationi inſeruientes obſtruit, atque adeo prohibet, quo minus reliqua aquae portio euaporare poſſit. Tandem haec aqua ad interiora hoc magis ſe recipit, quo profundius exſiccans aëris ambientis virtus penetrat, euenitque inde, vt aquea gutta terreſtri aut ſalina aut bituminoſa materie vndiquaque circumdata ſuperſit. Hunc autem effectum aër in eiusmodi ſubſtantiam, quae dura eſt, aut viſcoſa gaudet natura, tantum exſerit; nam ſi calcarea eſt materies, ea propter raritatem, aut poroſitatem, qua conſpicua eſt, exhalationem humoris impedire nequit, qua de re nihil vnquam ſpati fuit repertum, cui aquae aliquid incluſum eſſet, cet.

IV. *Commentarius ſuper zinci cum ſulphure con-* p. 37.
iunctione, auctore DE MORVEAU. Quaeſtio, vtrum ſulphur cum zinco chemicis artificiis coniungi poſſit, nec ne, quae diu iam inter chemicos agitata et nuper rurſus mota fuerit, huic tractatui ſcribendo, et vero etiam experimentis quibusdam, de quibus Noſter in eo refert, inſtituendis occaſionem ſuppeditauit. Neque enim conſultum Auctor cenſuit, ſemet immiſcere iis, qui ſuper hac re nuper diſputarunt, niſi ipſe pericula feciſſet, atque adeo ad ſol-

vendum illud problema ſe aptum reddidiſſet. Recenſet autem primum ea tentamina, quae cum ſulphure et zinci floribus, iisque vel ſolis, vel cum martis limatura commixtis, inſtituit, et deinde DEHNII *) obſeruationes, quibus ſulphuris erga metallicum zincum affinitas omnino demonſtrata Noſtro videtur, addit. Nos de illis modo referemus, quum DEHNII obſeruata chemicis iam ſatis cognita eſſe, haud ambigamus. Ac primum quidem Auctor miſcelam ex drachmis duabus florum zinci puriſſimorum, drachma martis limaturae et duabus drachmis ſulphuris ſublimatione depurati in crucibulo, cui aliud ſimile vas agglutinatum fuit, per integram horam igni ſatis vehementi expoſuit, et deinde maſſam, quae remanſerat, accurate diſquiſiuit. Inuenit autem, refrigeratis vaſis, metallicum, illudque ſatis compactum corpus, quod in ſuperficie ſubrubro, interne autem griſeo gaudebat colore et omnino ita erat comparatum, vt pſeudogalenae griſeae ſpeciem prae ſe ferret. Pondus huius maſſae a ſcoriis probe ſeparatae fuit granor. 235; hinc eam, cuius grauitas maior eſſet, quam martis et ſulphuris ad experimentum adhibiti pondus, vtique aliquid zinci in ſe continuiſſe patet; neque enim pyriten ſulphureum ea referebat, a quo cum duritie, tum colore atque figura prorſus differret. Ceterum, etiam absque ferro, ſicca via zinci flores ſulphuri vniri poſſunt; nam cum vtriusque huius corporis pares portiones inter ſe miſcuiſſet et deinde vehementi igni expoſuiſſet Auctor, itidem maſſam obtinuit, quae pſeudogalenae artificialis nomine digniſſima erat. Artem ergo, hoc reſpectu, natu.

*) Conf. LAUR. CRELL *Chemiſches Iournal für die Freunde der Naturlehre, u. ſ. w.* VI *Theil.* Lemgo, 1781. *S.* 49.

naturam imitari, eamque efficere posse, vt zincum sulphuri nubat, ex his non minus, quam ex DEHNII experimentis, manifestum esse, Noster colligit, additque simul, humida via, aquae fixi aëris plenae auxilio, fortassis eundem effectum produci posse.

V. *Observationum ad naturalem historiam spectantium* continuatio, auctore PASUMOT. Continuat Cl. Auctor in describenda natura sali atque lapidum montes per Burgundiam constituentium, notatuque dignarum rerum naturalium, e. g. scaturiginum, aliarumque. Oppidum *Vollenay*, quod Cl. GANDELOT in cratere extincti Vulcani situm esse ait, in valle potius ab aquis excauata exstructum esse inuenit; etenim nulla vestigia montis olim ignivomi, neque lauas, sed potius strata horizontalia sabulosa integra inuenit. Copiose de phaenomeno, instantem pluuiam praesagiente, agit, quod in eo consistit, vt interdum ex vrbe *Beaune* omnes montes comitatus Francici, et alpes nonnullae conspici queant. p. 49. p. 51.

VI. *Observationes de variis polyposis tumoribus*, auctore ENAUX. Variae polyporum variorum historiae ab auctore proponuntur, in iisque polypi intestinalis historia prima est. Decesserant iam polyposi quidam tumores, medicinis purgantibus fortoribus datis: at tenesmus tantus perstitit, vt novum partium examen Cl. Auctor institueret, in eoque tumorem polyposum intestino recto adhaerentem ab ani orificio aliquantulum distantem invenit. — Ligatura, quam tentandam statuit Cl. vir, plurimum difficultatis habuit, ob contractum admodum ani sphincterem. Contigit tamen, vt ligaretur chorda musica polypus, decederetque. Renascens autem tumor iterumque ligatura interueniente deciduus febrem excitauit cum virium languore, p. 64.

quo aeger tandem deceſſit. Inciſo cadauere inteſtinum rectum craſſius, quam in ſtatu naturali cicatriculas quasdam iis in locis, quibus polypi adhaeſerant, exhibuit. In hepate praegrandi tumor praeternaturalis XI librarum inuentus eſt, ipſumque hepar cum tumore XIV librarum pondus habuit. Polyporum inteſtinalium cauſſa hepati tribuitur, infarctus in vaſis haemorrhoidalibus inducenti. Altera obſeruatio polypi vterini hiſtoriam exhibet, ligatura chordae muſicae ope ſublati; tertia hiſtoriam ſimilis polypi ex vtero in vaginam cum intenſae irritationis ſymptomatibus delapſi et poſt operationem, ligaturae ope ſublati.

p. 76. VII. *Disputatio ſuper quodam carbone foſſili incombuſtibili*, auctore DE MORVEAU. Repertus fuit hic carbo in ſubterraneo quodam loco, *Rive de Gier* dicto, ex quo olim carbonis foſſilis aliud genus, cui petrae nigrae nomen a mineralogis datum eſt, effoſſum fuit. Gaudet ille quadam duritie, eſtque ſatis compactus, parum ponderoſus, et hoc potiſſimum habet proprii, vt, dum igni exponitur, haudquaquam comburatur, ſed potius, vt ferri fruſtum, candeat, neque tamen nigredinem ſuam perdat. Ponderis circiter ſextam partem amiſit, quum per dimidiam horam igni tam vehementi, vt candere poſſet, fuiſſet expoſitus, ratione ſtructurae autem nullam mutationem paſſus eſt; cum nitro valde detonauit, et phlogiſti ita dives fuit inuentus, vt decem eius grana ſufficerent ad quadraginta quinque nitri grana in alcalinum ſal conuertenda, cet. Hunc carbonem referre veluti ſulphuris mephitici, aut plumbaginis ſpeciem Noſter exiſtimat, (quippe quae pariter incombuſtibilis ſit, quantumuis inflammabili materie ea admodum abundet,) colligitque ſimul ex quibusdam obſeruationibus, alios carbones, eos potiſſimum, quos animales ſubſtantiae,

v. c. cerebrum, ſanguis bouinus, materies caſeoſa, cet. largiuntur, illi quodammodo ſimiles eſſe, in quibus phlogiſton cum alia ſubſtantia, quae eos incombuſtibiles reddit, coniunctum reperiatur. Alias obſeruationes, quas Auctor recenſuit, ſilentio praeterimus.

VIII. *Commentarius de plantis adſtringentibus indigenis*, auctore DURANDE. Catalogum multorum vegetabilium corporum, quae a longo inde tempore inter adſtringentia medicamina relata ſunt, Auctor primum exhibet, et deinceps eorum aduerſus varios morbos vires breuibus laudat. Alia enim eſſe inter haec pharmaca, quae ſolum adſtringant, et ea de cauſa in iis morbis conueniant, qui a nimia ſolidorum humani corporis laxitate, aut fluidorum tenuitate atque aquoſa natura ortum habent, alia vero ſimul vt bechica agere, aut propter diureticas, aut anthelminticas, aut alias virtutes, quibus gaudent, abigendis aliis morbis, qui cum peculiari quadam aegritudine complicati ſint, apta inueniri, DURANDIUS recte quidem monet, neque tamen ſua placita propriis obſeruationibus, ſed potius argumentis ab aliorum medicorum experientia deſumtis, ſtabilire conatur. Interim tamen plantarum catalogo, quae falſo pro adſtringentibus habentur, plurima adnotata ſunt ad vires medicatas harum plantarum pertinentia. Grana *Syſimbrii ſophiae* LINN. ad haemorrhagias vterinas admodum valere dicuntur, non ob adſtringentem, ſed ob antiſcorbuticam vim omnibus cruciformibus plantis inſitam. *Achilleae millefolii* virtus antiſpaſmodica ſumma maxima ex parte adſtrictioni adſcribitur. *Aſari europaei* radices ipecacuanhae, ob adſtringentem vim ipſis inſitam, ſubſtitutas eſſe a quibusdam, aſſeritur. Eidem principio adſtringenti *Bellidis perennis* virtus ad pulmonum morbos tribuitur, folio- p. 87.

liorum *Betulae alni* rheumatiſmo affectis partibus impoſitorum ſedans vis ex eodem principio explicatur. Omnes radicum *Fragariae veſcae*, *Cichorei ſylueſtris*, *Fumariae officinalis*, *Geranii Robertiani* virtutes ex adſtrictione explicantur. *Taraxaco* adeo vim non reſoluentem, ſed adſtringentem, ineſſe falſo putat Cl. Auctor, nobilemque hanc medicinam in omni caſu, vbi irritatio ſimul ſubeſt, aut vbi infarctus admodum diuturni ſunt, vetat. Vermibus adeo tam aduerſa vis *Polypodii filicis maris* ſoli adſtrictioni tribuitur. Tandem de adſtringentibus variis poſt iuſtam indicationem adhibendis agitur.

p. 121. IX. HOIN *de ſitu, quem foetus in vtero, grauiditate durante vtplurimum habet.* Fuſe admodum, nec concinne ſemper ſatis docetur, ſitum foetus in vtero, a primis grauiditatis temporibus ad partum vſque, hunc eſſe, vt caput, ceu pars ponderoſa maxime, fundum petat. Quam ob cauſſam omnia, quae de ſitu foetus tali auctores ab HIPPOCRATIS temporibus prodiderunt, vt caput primis grauiditatis menſibus ſupremam vteri partem occupet, omniaque, quae de capite foetus quinto, ſexto, ſeptimoue menſe inferiorem vteri partem petente dicta ſunt, in dubium vocantur.

p. 152. X. *Deſcriptio meteori in Coenobio Cartuſianorum Diuionenſi d.* 20 *Iulii*, CIↃIↃCCLXXIX *obſeruati*, auctore MARET. Phaenomenon, de quo Noſter refert, quod turbinis quaedam ſpecies fuiſſe videtur, et accurate deſcriptum eſt, et ratione vero non prorſus abſimili explicatum.

p. 159. XI. *Deſcriptio et vſus apparatus chemici ad tentamina inſtituenda ſumme neceſſarii*, auctore DE MORVEAU. Portatilis veluti laboratorii conſtruendi praecepta Auctor in hoc tractatu dat; nam primum varios acidos, aliosque liquores, qui corporum

rum mixtioni reuelandae inſeruire poſſint, recenſet, deinde tubi ferruminatorii adhibendi rationem cognitam reddit, ſimulque fluxus quosdam laudat, quibus vti queant, qui tubi illius ope corporum, eorumque potiſſimum terreſtrium, naturam detegere velint, et tandem alia, reagentia dicta, corpora, eorumque vſum commemorat. Qui BERGMANNI, viri ſummi et de chemia immortaliter meriti, libros verſauerint, vix noui quicquam in hoc MORVEAUVII commentario inuenient. Neque tamen nos propterea operam, quam Auctor in eo conſcribendo poſuit, inanem atque ſuperuacaneam putamus, qui certiſſime ſimus perſuaſi, conterraneis Noſtri hunc laborem fore gratiſſimum, qui multa ignorent, quae a ſeptentrionalium regionum eruditis inuenta ſunt atque detecta. Ceterum apparatus deſtillatorius, quem Auctor depingi curavit, repetita commendatione nobis dignus videtur.

XII. *Tentamen ſuper duratione et probabilitate vitae*, auctore MARET. Ex natorum, defunctorumque vrbis Diuionenſis tabulis obſeruationes varias, easque notatu digniſſimas Noſter condit, quarum aliquas transſcribamus: durationem vitae feminarum maiorem, quam marium, eſſe, et in omni aetate, annis 5 — 10, 50 — 55, 75 — 80 et 80 — 85 exceptis, illas magis vitales reperiri, quam hos; primum luſtrum vtrique ſexui admodum fatale eſſe, fere vt luſtrum 70 — 75; dimidium marium mori ante viceſimum ſextum, dimidium feminarum ante triceſimum quintum annum; duas tertias partes illorum ante quinquageſimum, harum ante ſexageſimum annum viuere deſiiſſe, cet. p. 177.

XIII. *De biſmuthi in vini aceto ſolutione*, auctore DE MORVEAU. Experimentis nonnullis, quae in hac commentatione breuiter recenſentur, edoctus Auctor fuit, biſmuthum per duplicem, quae dici con- p. 187.

conſueuit, affinitatem in vegetabili acido diſſolui et cum eo in liquorem ſalinum mediae veluti indolis abire. Etenim cum terrae foliatae tartari quicquam biſmuthi in aqua forti ſolutioni admiſcuiſſet, turbidam eam primum euadere, neque tamen verum praecipitatum oriri animaduertit, quum alba materies, quae producta fuit, quoad maximam partem rurſus euanuerit. Affudit deinceps huic miſcelae communis aquae aliquam portionem, et vas, in quo ea inerat, igni expoſuit; ita ortae ſunt cryſtalli quaedam, quae lamellarum ſplendentium forma conſpicuae erant, et ſedatiuo ſali ſimillimae inveniebantur. (Harum cryſtallorum accuratius examen non inſtituit Auctor; forte, quae deſunt, alia occaſione additurus eſt.) Ceterum eadem fere phaenomena obſeruauit, cum terrae calcareae in vini aceto ſolutionem cum biſmutho in nitri acido ſoluto commiſcuiſſet; at vero cum liquori huic, aqua communi affuſa turbido reddito, acetum vini deſtillatum infunderet, praecipitatum omne ſtatim diſparuiſſe, atque adeo ſemimetallum cum vegetabili acido coniunctionem iniiſſe, euentus docuit; nitroſum namque acidum phlogiſton aceti vini ſibi vnire, eoque ita debilitari Auctor iudicat, vt non poſſit non vegetabile acidum metallicam ipſi baſin eripere.

p. 191. XIV. BERTRAND Commentarius *de integratione ſerierum, quarum termini ſunt potentiae ſimiles ſinuum aut conſinuum pro arcubus, in ratione arithmetica progredientibus.*

p. 204. XV. Hiſtoria meteorologica anni 1783, auctore MARET.

XV.

XV.

Memoria Viri ampliſſimi et celeberrimi Mag. TORBERNI BERGMAN, in academia Vpſalienſi Chemiae, Mineralogiae et Pharmaceutices Profeſſoris Regii et Ordinarii, regii ordinis Waſiaci Equitis Aurati, in publico conuentu nationis Weſtro-Gothiae Vpſalienſis, d. XV. Iunii, MDCCLXXXV. celebrata a PETRO FABIANO AURIVILLIO, Biblioth. Acad. Aman. E. O. et Graec. Litt. Docente *).

Quae in praecipuis humanae vitae bonis merito ponenda ſunt, arctius cum viris bonis amicitiae vinculum et familiaris cum illis conuerſatio, qui eximia eruditione et virtute omnium meriti ſunt venerationem, eadem nos haud raro adflictionibus exponunt duriſſimis, tum vero maxime, vbi eisdem carere nos iubet triſtis fatorum neceſſitas. Summa opus eſt cura et circumſpectione, ſi illo fortunae fauore, ita fruamur, vt oblatam nobis omnem ex eo percipiamus vtilitatem; graue eſt nullo quidem temporis momento duraturam eius poſſeſſionem ſibi polliceri poſſe; grauiſſimum vero, ſi ſubito et ex improuiſo ingruit infauſta tempeſtas, qua lumen illud et delicias noſtras, illa, quae nuper adeo intemerata praeſto nobis fuerunt gaudia, vna dies nobis aufert, et acerbiſſimo mergit funere. Quando ſaeuiens mors, firmiſſimos, qui putabantur, obices abrumpens, truci vultu noſtris eripit amplexibus, quem ſummo iure venerati ſumus, quem tenerrime amauimus, tum vel fortiſſimum pectus deficiat, primoque faucium dolore vsque eo perducatur, neceſſe eſt, vt ſe felicius fuiſſe reputet,

*) Ex Suecico in Latinum ſermonem translata.

tet, ſi tam pretioſum numquam poſſediſſet atque adeo numquam amittere potuiſſet theſaurum. Animus ad vtramque fortunam bene praeparatus, fractas quidem propediem reparat vires, non vt vocem naturae ſuffocet, ſed potius vt eamdem rite intelligat. Inter vehementiores doloris impetus iacturam ſuam accuratius aeſtimare diſcit, et plures veriſſimi cauſſas ſolatii, plura meditationum maximi ponderis argumenta ſenſim detegit.

Hoc certe nobis accidit, Auditores, qui omnes et ſinguli nouimus, amauimus magnique fecimus Virum, dum in viuis erat, Ampliſſimum et Celeberrimum, Chemiae, Mineralogiae et Pharmaceutices in illuſtri hac Muſarum ſede Profeſſorem, Regii Ordinis Waſiaci Equitem Auratum, Magiſtrum TORBERNUM BERGMAN. Vidimus illum non in noſtra ſolum patria, verum etiam a procul diſſitis gentibus, vbicumque florent ſcientiae, vt ſingularis exempli eruditum virumque vere magnum, agnitum fuiſſe et celebratum. Permultis quidem vna nobiſcum adeo felicibus eſſe contigit, vt eius frui inſtitutione, vt fructum diligentiae eius fatigari neſciae percipere licuerit; nobis vero ſpeciatim contigit, nobilem illum candidumque cognoſcere animum, qui ſummum his dotibus addidit decus. Nobis illud proxime patuit pectus, in quo quis illam non inuenit fidem et integritatem, illud patrocinium, quae quidem ab amico ſinceriſſimo et praeceptore optimo expeti vmquam poſſunt? Sed fuimus ſimul, eheu! teſtes decreſcentis indies huius luminis, innumeris fere vicibus metuentes, ne exſtingueretur illud penitus, et quone timoris doloriſque ſenſu illum langueſcentem praeterita aeſtate ſuos deſerere penates vidimus, medelam quaeſiturum morbi, quem inſanabilem eſſe nemo noſtrum ignorabat! Non ſane libenter adſueſcimus cogita-

tioni,

tioni, quod perdenda ſit res, quam pretioſiſſimam cenſemus: contra vero ſpe blandiente quam diutiſſime nos conſolari conabamur. Aderat prope tempus, quo reditum illius exſpectabamus, et properabat laetitia noſtra, illum tenerrimi amoris teſtificatione exceptura, quum ſubito triſtiſſimus et publico comitatus ſtupore adfertur nuntius, illum non amplius nobis videndum, numquam huc rediturum eſſe: qui nuntius vbi veriſſimum eum eſſe compertum eſt, acerbiſſimo nos perculit dolore et deſiderio. Hos ſenſus vobis declaraui, Auditores, vehementioresque fuiſſe ſatis noſtis, quam qui nunc rite deſcribi poſſint. Gemitus et lacrimae teſtes noſtrae fuerunt moeſtitiae, diu, ſed fruſtra, reuocare conantes nobis dilectiſſimum BERGMANUM, priuatis deinde locum cedentes de meritis, ingenio et virtutibus eius colloquiis, quae plus ſimplici vice qualecumque nobis praebuerunt ſolatium, aliqua ſaltem amiſſae felicitatis vmbra frui cupientibus. Vobis, Populares Honoratiſſimi, neque hoc ſufficiens viſum eſt: in veſtris fuit deſideriis, vt hoc etiam in loco, praecipuis noſtris dicato negotiis, vobis ob oculos ponerentur virtutes atque merita Viri illuſtris, cui vltimum moeſtiſſimi iam dicturi erimus Vale. In votis Vobis fuit, vt hoc veſtrae pietatis monumentum et pignus coram illis deponeretur, qui veri dignique ſunt iudices, quantum aeui patriaeque decus fuerit BERGMANUS noſter, qui candidum amicum et collegam dilectiſſimum in illo deſiderant, quorumque favor ea nobis non defutura bona ſpondet, quorum in illius morte facta iactura ſolatio alioquin locum vix relinqueret. Voti nos iam compotes cernimus, Veſtrumque fauorem, Patroni, Hoſpites, Patres et Doctores Academici, gratiſſimis pectoribus numquam non ſeruabimus.

Qui coram adeo intelligentibus iudicibus Veſtro nomine, Populares Honoratiſſimi, ſumma ſaltem faſtigia ſequi iubeor honeſtiſſime actae vitae viri vere magni et inter principes noſtri ſaeculi eruditos ſummo iure ponendi; Veſtrum humillimus agnoſco fauorem illiusque pariter ac demandati mihi muneris me perſpicere amplitudinem dicere audeo. Ignoſcatis vero, ſi, omnem licet adhibeam, quae in mea eſt poteſtate, operam, tandem tamen lucide percipiatis, fertiliſſimae etiam materiae idoneo opus eſſe interprete. Quam vellem vt illa mihi ſuppeteret dicendi facultas atque copia, quae pluribus Veſtrum adeo eſt natiua! Certiſſimum quidem eſt, ſimplicitatem et veritatis ſtudium praecipuas conſtituere lineas amabilis imaginis, veſtro ex deſiderio iam ſiſtendae, ſed ſimul veriſſimum eſt, artis oratoriae veneres rariſſima heic adhiberi poſſe dignitate et ex hoc argumento noua vi animos mouendi et percellendi ditari poſſe. Sed magis etiam mihi deeſſe ſentio Veſtram peritiam illius ſcientiae, cui incredibilem laborem impendit BERGMANUS noſter, cui praecipuum vitae ſuae tempus dicauit, quaeque forſitan valetudinem viresque corporis eius non minima ex parte fregit et conſumſit. Sed quo pacto aequo Veſtro deſiderio ego ſatisfaciam? Qua ratione merita eius ego debita in luce conſpicienda exhibeam, qui opera et inuenta illa, quibus incrementa ſcientiae Chemicae illius promouit calamus, recte deſcribere nequeo? Sed Veſtris confido promiſſis, quibus addita vacillanti animo eſt ſpes, fore, vt ſilicernia haecce ad tumulum popularis noſtri, ad cineres vſque debito amore et honore a nobis culti, in meliorem interpretemini partem. Vos quoque mihi perſuadere voluiſtis, boni propoſiti veſtigia etiam inter magnas imperfectiones facile percipienda hisque excuſationem vltro conciliatu-

liatura fore, licet ſatis digne exponere nequeam, quibus meritis et virtutibus ad immortalem et amatam nominis memoriam viam ſibi panderit, quem lugemus, Celeberrimus BERGMAN.

Natus eſt die IX Martii anni MDCCXXXV in praedio Regio Catharinaeberg, Weſtro-Gothiae, parentibus ſpectatae probitatis, quos indulgentiſſimos ſemper veneratus eſt, patre exactore redituum Regiorum BARTHOLDO BERGMAN, matre *Sara Haeggh*, qui nulli pepercerunt labori, vt primo huic coniugalis illorum amoris pignori illa ſuppeteret cura et educatio, ex qua maturioris aetatis felicitas praecipue pendet. Paternam hanc ſollicitudinem obedientia et docilitate cito compenſauit Noſter, quippe cuius, in prima infantia non inſoliti, hilares ludi breui cum morum grauitate et ſeriis ſtudiis ſunt commutati, adeo vt, parentum ad exemplum, in honeſtae, tranquillae et frugalis vitae commoda mature introſpicere didicerit. Neque vmquam ſine intimo grati animi ſenſu hoc poſtea commemorauit, ſeque felicem cenſuit, quod matri ſuae ad finem vitae eius, quae filium decet, tenerrimae pietatis officia, ſua in domo exhibere ſibi licuerit. In ſchola et gymnaſio Scarenſi ab anno aetatis vndecimo prima poſuit eruditionis fundamenta, idque illo cum ſucceſſu, vt quae ibi diſtribuuntur praemia partim ipſi oblata, partim reapſe collata fuerint. Singula, quae publice privatimque proponebantur, litterarum ſcientiarumque rudimenta ea attentione exaudiuit, quae praeceptorum operam reddidit facilem et diſcipuli progreſſus ſolidos. Ad ingrediendum ampliorem ſcientiarum campum adeo bene praeparatus, anno aetatis decimo ſeptimo huic Lyceo vale dixit, poſtquam nomine pubis Gymnaſticae elegantem habuerat orationem parentalem in memoriam Gl. Regis FRI-

DERICI PRIMI. Honorifico munitus teſtimonio anno 1752 Vpſalienſem adiit academiam, vbi libertate, adoleſcentibus ſummopere deſiderata, ad longe alacriorem in litterarum ſtudiis induſtriam vſus eſt, vſque eo fatigari neſciam, vt ad animi recreationem et valetudinis curam a libris interdum auelli debuiſſet. Non quidem ipſi defuit ſincerus et aetate proiectior amicus, qui tamen, quum Noſtro auctor eſſet, vt tempus illis vnice impenderet diſciplinis, quae certiorem promitterent mercedem, quam impedire debuerat, ſanitatis cognati ſui debilitationem potius accelerauit. Conſilium propinqui, cui obtemperare ſuum reputabat officium, ſpernere noluit Noſter, neque tamen a ſe impetrare potuit, vt tantopere amata ſibi ſtudia penitus deſereret. Poſtquam igitur praecipuam diei partem ſcriptis WOLFFII et WALLERII impenderat, veſpertinas et nocturnas horas ſibi vindicarunt KEILL et EUCLIDES. Hoc pacto creuit quidem eius eruditio, ſed ſimul labefactatae ſunt corporis vires. Qui enim per ſeptemdecim vniuscuiusque diei horas libris impalleſcebat, idque in camera raro aperta et plerisque etiam amicorum clauſa, illius laedi potuiſſet vel firmior corporis conſtitutio. Ipſe tandem hoc ſenſit damnum, Vpſaliamque ineunte aeſtate reliquit, libris quibusdam claſſicis in hiſtoria naturali inſtructus, quibus ducibus vtilem pariter ac iucundam ſibi reddere poſſet ruſticationem. In gymnaſio dudum Scarenſi Botanicen eum amare docuerat inſtitutio Celeberrimi Profeſſoris HOF, initiumque fecerat Noſter collectionis herbarum, cuius augendae ſtudio ductus, plerasque natalis ſuae regionis plantas cognoſcere didicit. Sed neque inſecta, parua illa, ſed ordine, pulchritudine et varietate ſtupenda naturae miracula, attentionem diligentis Noſtri botanici effugere potuerunt.

Quin

Quin illo ardore illaque cum voluptate eadem quaerebat et conſiderabat, vt breui cum his ſuis deliciis publicam coniungere poſſet vtilitatem. Quantus ex accuratiori cognitione laruarum ad oeconomiam priuatam pluribus nominibus redundare poſſet fructus, quum ſatis perſpiceret, fundamenta poſuit *Syſtematis Laruarum*, quae certe pleniorem notitiam eorum, quae alii praeſtiterunt, pluraque proprio Marte inſtituta experimenta ponit, quam quae ab octodecim annorum adoleſcente exſpectari potuiſſent. Lugent merito huius amatores ſcientiae, quod poſtea ipſi tempus defuerit, omnes ſuas hunc in finem factas collectiones in ordinem redigendi. Non niſi *Claſſes* illarum typis editae ſunt *a*), qui tamen iuuenilis conatus ſummi in hac ſcientia magiſtri et iudicis, Illuſtriſſimi Aulae Mareſchalli etc. Lib. Baronis DE GEER plenam meruit approbationem. Neque prius cognitis vnice immoratus eſt Inſectis, ſed contigit etiam ipſi adeo eſſe felici, vt plura noua detegeret, quae ad promum condum huius ſcientiae, Nobiliſſimum Equitem A LINNÉ' miſſa, magna cum voluptate recepta ſunt, quum entomologum ipſi cognitum redderent, quem inter ſuos numquam viderat diſcipulos. Etenim non ſolum in Fauna Suecica, et Syſtemate Naturae nomen BERGMANI, qui eadem inuenerat, illis adpoſuit, ſed ſpecioſae etiam *Phalaenae* BERGMANIANAE nomen imponens, eamdem, dum viget haec ſpecies, perennem inuentoris ſui induſtriae teſtem eſſe voluit et monumentum.

Non tamen vnicas BERGMANI curas ſibi vindicarunt innocuae hae deliciae. Qui ipſe iucunditatem illarum expertus eſt, facile perſpicere poteſt, quam parum in illa aetate vulgare ſit cum his ſtu-

a) Noua Acta Soc. Reg. ſcient. Vpſal. Vol. I. p. 58 ſeqq.

diis adſiduam coniungere lectionem Algebrae Lib. Baronis PALMQUIST. Liber hic, fortaſſe non facillima conſcriptus methodo, vitiisque deformatus typographicis, non potuit non tironi, qui omni carebat manuductione, nodos obiicere, impeditam reddentes lectionem. Sed ea eſt mentis diuinioris diſcendique cupidine ſtimulatae indoles, vt nullis ſe facile deprimi patiatur difficultatibus. Etſi ad paucas diſcendas huius libri lineas, integra interdum opus erat hebdomade, tamen inuenta tandem veritas, adſiduum eam quaerendi ſtudium mirifice compenſabat, et augebatur indies pergendi ardor, eo magis, quo certiorem impedimenta iam ſuperata, reliqua quoque disiiciendi ſpem faciebant. Integris quindecim menſibus adeo laudabiliter in paterna domo collocatis, conſenſu parentum Vpſaliam iterum petiit. Remotis ſic impedimentis dilectae ſibi matheſi et phyſicae non interruptam dicauit operam, cuius ſuae diligentiae ſpecimen breui publico exhibuit examini, edita, praeſide Profeſſore MARTINO STRÖMER, erudita *de Crepuſculis* diſſertatione. Paulo poſt Regiae Academiae ſcientiarum Holmienſi, conſcripta *de Cocco Aquatico* commentatione, innotuit. Illuſtris Archiater A LINNÉ, qui aliam antea fouerat de hoc animalculo ſententiam, adeo accuratam et attentione dignam hanc inuenit obſeruationem, vt Noſtrum ad eam in lucem edendam ipſe hortaretur, eidem haec verba adponens: *vidi et obſtupui.* Anno ſequenti longiorem de *Hirudinibus Suecanis* commentationem litteris conſignauit, eadem cum approbatione Actis Academiae inſertam *b*). Poſtquam diſſertationem alteram de *Interpolatione Aſtronomica*, moderante tum

b) Prior commentatio inuenitur in Actis Academiae anni 1756, altera an. 1757.

tum professore, iam Regiae Cancellariae Consiliario et Equite, BENEDICTO FERRNER, ediderat, eximiaque cum laude consueta subiuerat examina, anno 1758 promotus est Philosophiae Magister, quo honore eum adeo dignum censuit Amplissimus Professorum Ordo, vt eodem anno, postquam ipse Praeses Dissertationem ediderat de *Attractione Vniversali*, Physices Docens constitutus sit. Naturalem Nostri ad haec studia propensionem valde auxit stimulosque eidem addidit honorificum hoc Patrum Academicorum iudicium, adeo vt etiam impedimenta, ex defectu necessariorum instrumentorum oriunda, quantum in se quidem, sollicite remouere studuerit. Et quamuis tenues essent eius facultates, insignem tamen apparatum electricum, cum omnibus eius adiumentis, sibi comparauit, vt in argumento hoc, quod tum in physica experimentali nouissimum erat, aliorum obseruationes ipse examinaret, atque iucunda et perspicua de illis institutione Auditoribus suis facem praeferret. Attamen ne deessent ipsi necessariae Vpsaliae continue commorandi facultates, non exiguum tempus priuatae iuuenum institutioni impendere coactus est, neque hoc subsidio prius carere potuit, quam ab Illustrissimo Academiae Cancellario etc. Comite DE HÖPKEN anno 1761 constitutus esset Matheseos et Philosophiae Naturalis Adiunctus, ad quod munus obtinendum ab Amplissimo Philosophorum Ordine vna cum duobus aliis exhibitus erat. Ad Obseruatorium Astronomicum BERGMANO semper, ex quo altera vice Vpsaliam accessit, liber patuerat aditus, quo diligenter etiam vsus est. Hoc pacto instituendis obseruationibus adsuefactus, quibusdam etiam celeberrimis nostri temporis Astronomis innotuit, quorum constanti amicitiae plura iucunda vitae suae momenta postea debuit. Desti-

nauerat Academia Scientiarum Holmienſis, vt Noſter anno 1761 obſeruationes tranſitus Veneris per Solem Caianeburgi inſtitueret, quae vero ſparta Celeberrimo iam Profeſſori Aboënſi A. PLANMAN, vtpote loci linguaeque Fennicae gnaro, poſtea commiſſa eſt. Illis vero, qui Vpſaliae phaenomenon hoc notatu digniſſimum obſeruarunt, ſociam BERGMANUS adiunxit operam, idque omni illo cum ſucceſſu, qui ab eius induſtria, egregio muniti inſtrumento, exſpectari debuit. Contigit etiam ipſi, iisdem fere cum ſociis, octo annis poſt iterum eam percipere iucunditatem, quam perito ſpectatori non potuit non conciliare adeo rarum et memorabile phaenomenon. Inter doctores academicos ſua adſiduitate, cum accurata et perſpicua methodo coniuncta, cito inclaruit Noſter, adeo vt apertas ab illo ſcholas diligentiùs frequentare ſibi maxime profuturum duceret ſtudioſa pubes. Neque Illuſtriſſimo Academiae Cancellario ignota manſit eius in inſtitutione iuuentutis collocata induſtria, a quo, absque omni ſupplicatione, illi demandatae ſunt publicae praelectiones in Algebram, loco Centurionis et Profeſſoris MELDERCREUTZ, ſemeſtri vernali anni 1764 habendae. Prodeſſe ſemper ſtudens deſiderium, ſuae ipſius peritiae amplificandae cupidine excitatum, nouas continue diligentiori eius examini ſubminiſtrauit materias. *Hiſtoria explicationis Iridis* et *Crepuſculorum*, pariter atque obſeruationes de *Meteoris igneis* ſine fragore in aëre vagantibus *c*), ſatis oſtendunt, quam bene hoc tempore ſubſeciuas horas collocauerit. Bina tamen phaenomena peculiarem Eius ſibi vindicabant attentionem, nempe *Aurorae Boreales* et *Materia Electrica*. Illae adhuc quodam reſpectu Phyſicis ſunt

c) Edita in Actis Acad. Scient. Holm. an. 1759 et 1760.

ſunt aenigmatis inſtar, non niſi pluribus accuratis obſeruationibus explicandi. Suas per quatuor annos continuatas, et cum aliis, tam intra quam extra Sueciam eodem tempore factis ipſique cognitis, collatas, BERGMANUS Regiae Societati Scientiarum Vpſalienſi tradidit, Actis vero Academiae Scientiarum Holmienſis eas inſeruit concluſiones, quae *de altitudine Aurorae Borealis in Atmoſphaera* ex illis deduci potuerunt *d)*. Explicationi Electricitatis multum noſtro aeuo lucis acceſſit, neque inter illos, qui hanc accenderunt, BERGMANO noſtro locum aliquis denegare poterit honorificum. Tentamina eius Electrica non prius innotuerunt, quam nominis eius celebritatem augerent, etiam apud illos, qui ipſi difficili huic materiae ſuam impenderant operam, quique adeo harum rerum optimi erant iudices. Celeb. WILSON, qui illa ad generalem eius cauſam et originem indagandam eximie conducere inuenit, relationem de illis Transactionibus Societatis Anglicae inſeruit, ſimulque expetiit, vt ſecum communicaret, quae vlterius in hoc argumento detegere poſſet Auctor. Epiſtolae BERGMANI magis magisque gratae reddebantur et acceptae, prae ceteris vero illae, quae disquiſitionem *de indole Electrica Turmalini* continebant, per quam controuerſia inter AEPINUM et WILSONUM fere dirimebatur, non huius modo, ſed et Celeberrimi NOLLET, eximiam conſecutae ſunt approbationem. Quum a Regia Academia Scientiarum Holmienſi anno 1762 quaeſtio proponeretur, *qua ratione abigi poſſent laruae inſectorum folia arborum fructiferarum conſumentes?* occaſio data eſt BERGMANO noſtro inſeruiendi publico ſolida ſua cognitione ſcientiae, cui diligentiorem impendere ope-

 ram

d) Ibidem an. 1764 et 1766.

ram iamdiu quidem aliae curae eum prohibuerant, quam tamen adeo impenſe amauit, vt in ea animi recreationem et quietem ab aſſiduo et ſeueriori labore ſaepius quaereret *e*). Reſponſum eius non ſolum perſpicuam exhibebat deſcriptionem laruarum maxime noxiarum, ſed et certam methodum plurimas earum ſpecies ſiue impediendi ſiue depellendi. Noſtrum etiam inter octo aemulos propoſito praemio digniſſimum cenſuit Academia *f*). Reſtabat tamen adhuc aliquid in hac quaeſtione, nondum ſatis perfecte enodatum, quam ob rem eadem anno 1761 iterum publice propoſita eſt, duplici promiſſo praemio, quod iterum victor reportauit BERGMANUS *g*). Duorum iam annorum experientia edoctus, fallere neſcium tradere potuit remedium, *Phalaenae brumatae* oppoſitum, omnium maxime metuendae, quamdiu ſingularis eius oeconomia ignoraretur. Iam vero facile illa depelli poteſt, poſtquam optimis ad illam debellandam armis vti nos docuit BERGMANUS, quibus plures deinde ſe feliciter defenderunt *h*), manifeſtiſſi-

e) Teſtantur hoc deſcriptiones eius rarioris cuiusdam *Gallae*, *ac Tenthredinum in genere*, *et in ſpecie earum*, *quae nocent abieti*, atque commentationes eius notatu digniſſimae de *Cultura Apum*, in Actis Acad. Scient. Holm. annor. 1762, 63, 1769, 1779.

f) Edidit nihilo minus Anonymus quidam *obſeruationes criticas* in hoc reſponſum, quas vero ſingulas debito carere fundamento probauit Celeb. BERGMAN in Epiſtola ad Reg. Acad. Scient. Secretarium, edita Holmiae 1764, 8.

g) Prius reſponſum vna cum IV aliis editum eſt Holmiae 1763, 8. alterum vero, vna cum duobus aliis, ibidem 1769, 8.

h) Inter primos fuit Generoſiſſimus Aulae Mareſchallus, Liber Baro DE GEER, qui, poſtquam in opere ſuo: Memoires des Inſectes, Tom. II. pag. 454. metho-

feſtiſſimo vero cum ſucceſſu Generoſiſſimus Reg. Collegii Camerae Praeſes etc. Comes C. I. CRONSTEDT, qui hac methodo intra tres hebdomadas ſupra viginti octo millia harum Phalaenarum ſexus feminei cepit.

BERGMANUS noſter, quamuis adhuc aetate iuuenis, dudum tamen pluribus nominibus illo ſe dignum reddiderat honore, qui anno 1764 ipſi contigit, quod ſcilicet in numerum cooptaretur Membrorum primo Academiae Caeſareae Naturae Curioſorum, et paullo poſt Academiae Regiae Scientiarum Holmienſis. In hac orationem habuit inauguralem, *de modo perniciosis tonitruum effectibus obuiam eundi*, argumentis phyſicis ſuffultam et relationibus de memorabilioribus quibusdam fulminis ictibus illuſtratam. Qua fide et induſtria ab illo inde tempore Academiae vtilis eſſe eiusque implere deſideria ſtuduerit, manifeſte teſtantur XLI Noſtri commentationes, Actis eius inſertae. Singulae vel nouas continent veritates, vel, quod forſitan non minorem meretur laudem, melius demonſtratas et euidentius, quam antea, propoſitas. Easdem quoque tanti ſe aeſtimare declarauit laudata Academia, vt anno MDCCLXXVII non ſolum, ſuis ex pecuniis, centum et quinquaginta thaleros imperiales quotannis, ad ſumtus experimentis inſtituendis neceſſarios, BERGMANO adſignaret, verum etiam illum eodem anno Praeſidem eligeret *i*), quem

methodum BERGMANI vt probatiſſimam fuſe deſcripſerat, addit: *ainſi que j'ai moi-même eu occaſion de le remarquer, en uſant de l'heureuſe decouverte de cet illuſtre Sçavant.*

i) In memoriam eius numisma nonae magnitudinis cudendum etiam curauit haec Academia, imaginem eius ſiſtens, cum inſcriptione: TORBERNUS BERGMAN *Chem. Prof. Vpſ.* Ab altera parte *Vrna* ſiſtitur, Cu-

quem honorem, poſt tres menſes, ex legibus Academiae, in deſignatum ſibi ſucceſſorem tranſtulit, habita, praeſente Rege noſtro Auguſtiſſimo, oratione, *de recentiſſimis Chemiae incrementis*. Sexta haec erat, quam coram hac Academia habuit, quae quater eum ſui publicique luctus elegerat interpretem, in iuſtis Parentalibus, Profeſſori NICOL. WALLERIO, Reg. Collegii Metallici Conſiliariis ANT. DE SWAB et GEORGIO BRANDT, atque Aulae Mareſchallo etc. Lib. Baroni CAROLO DE GEER perſolutis. Vtinam deſiderium Academiae ex obitu Celeberrimi BERGMANI adeo digne, eademque cum veritate et ſuauitate exponatur! Sed, ſi fieri poteſt, obliuiſcamur tantiſper, lugubri hoc opus eſſe officio, et quam diutiſſime voluptate fruentes, ex conſideratione adeo vtilis tantaque cum laude transactae vitae oriunda, a fine eius cogitationes noſtras auertamus.

Anno dudum MDCCLVIII BERGMANUS noſter, vna cum amicis quibusdam, ſocietatem inierat, quae *Cosmographica* dicta, *deſcriptionem Orbis terrarum* elaborandam ſibi ſumſit. *Pars Phyſica* Noſtro commiſſa eſt, quae prima lucem adſpexit, et tanta cum auiditate recepta eſt, vt intra dimidium anni ſpatium ſingula eius exemplaria vendita ſint. Hic liber in plures Europaeas linguas translatus *k*) adeo

Cupreſſis circumdata, cum epigraphe: *Luctus Tu Quoque Cauſſa Mei*. In Vrna exſtat: *D. VIII Iul. MDCCLXXXIV*. In baſi vero: *Acad. Scient. Holm. MDCCLXXXV*.

k) Prima editio impreſſa eſt Vpſaliae 1766, 8. cum 2 Tabb. Haec translata eſt in linguam Germanicam a LAMB. HENR. RÖHL, Gryphisw. 1769, in Danicam a I. DITLEV. BRECKLING-BRANDT, Hafniae 1771, quae vtraque verſio additamentis Auctoris eſt conſpicua; in Anglicam 1772, in Gallicam et ab ALEX. DE KARA-

adeo quidem omne tulit punctum, tamquam opus ſuo in genere conſummatiſſimum, vt merito ſupervacanea cenſeri poſſint noua quaedam, etiam illorum, qui idonei harum rerum ſint arbitri, eius elogia. Mihi tamen hoc vnicum obſeruaſſe liceat, quod nondum triceſimum aetatis annum compleverit Auctor, cum vtiliſſimum hoc opus ad finem perduceret; quod illud ab eruditis extra patriam viris nomen illi inter peritiſſimos ſui aeui phyſicos conciliauerit, quodque inſtrumenti inſtar fuerit Providentiae Diuinae ad fortunam eius in patria promouendam.

Vacabat anno ſequenti Profeſſoris Chemiae et Metallurgiae in Academia Vpſalienſi munus, quod ambiuit BERGMANUS, primoque inter candidatos loco Sacrae Regiae Maieſtati Senatu Academico exhibitus eſt, poſtquam diſſertationem ediderat *de Confectione Aluminis*, qua ſe in hac ſcientia hoſpitem non eſſe euidenter probauit, cui tamen praecipuam ſuam antea non dicauerat operam. Hanc etiam ob cauſſam mota eſt quaeſtio, an ad hoc munus obeundum idoneus eſſet, licet ſolida Matheſeos et Phyſices, verorum Chemiae fundamentorum, cognitio, ipſi nullo modo denegari poſſet. Celſiſſimus Academiae illo tempore Cancellarius, iam Rex noſter Auguſtiſſimus, digniſſimo Candidatorum hoc munus conferri voluit, et hunc in finem Regii Collegii Metallici Conſiliariis DE SWAB et TILAS iniunxit,

KARAMYSCHEW in Roſſicam, quae vero, propter exſpectationem nouae editionis Suecicae, lucem non adſpexerunt. Prodiit haec, plurimis ditata acceſſionibus et emendationibus, Vpſaliae 1773, 1774, 8. Vol. I. II. cum ſeptem tabulis. Germanicam eius verſionem edidit Celeb. Prof. RÖHL Gryphiswaldiae 1780, 8.

iunxit, vt ſuam hac de re dicerent ſententiam. Neuter eorum BERGMANUM propius cognouit, vterque vero iudicium de illo tulit maxime honorificum. Ille quidem rationem habuit Diſſertationis de Confectione Aluminis, hic vero Phyſicae deſcriptionis Orbis terraquei, quam optimum ſolidae cognitionis mineralogicae fundamentum cenſuit. Hanc etiam ob cauſam ea fuit Sereniſſimi Principis gratia, vt ipſe ſua manu defenſionem aduerſus conqueſtiones allatas conſignaret, Senatui Regni exhibendam. Igitur, poſt confirmatam Conſiſtorii Academici propoſitionem, a Rege BERGMANUS noſter conſtitutus eſt Chemiae Profeſſor Vpſalienſis.

Fauor ille fortunae, quod adeo mature metam attingeret ſibi exoptatiſſimam, promeritum ſane fuit eruditionis virtutumque BERGMANI praemium, quod illi fortiſſimos addidit ſtimulos, vt intemerata fide ſcientiae huius, partisque iuuentutis Suecanae ſibi commiſſae, curam gereret. Privatam tum nos, Populares Honoratiſſimi, fecimus iacturam, quam nemo certe veſtrum adeo levem cenſere poterit, vt digna non ſit, quae hac occaſione in noſtram reuocetur memoriam noſtrumque excitet deſiderium. Amatum Nationis noſtrae Weſtro-Gothicae membrum ad hoc vsque tempus fuerat Celeberrimus BERGMAN. Quamuis plurimis aliis diſtrictus negotiis, noſtris tamen intereſſe exercitationibus numquam graue ſibi duxit vir hic eruditiſſimus, quem doctiſſimae ſocietates cum voluptate exaudire ſolitae erant. Poſtquam omni ex parte noſtris ipſe ſatisfecerat legibus, illas vero ad recentiora tempora minus accommodatas eſſe perſpexerat, emendationis earum auctor ſuaſorque fuit, atque amici cuiusdam ope. mutationem illarum effectui dedit, in illam formam, quam poſtea tanta

cum

cum voluptate ſartam tectamque ſeruauimus. Iam vero noſtram ſocietatem relinquere cogebatur, ſed perennaturam nobis ſpondens beneuolentiam, vt illis numquam deeſſet, quorum conſortione quam diutiſſime frui voluerat. An hoc promiſſum ſuum ſeruauerit, an nobis praeſto fuerit eius fauor, alios quidem numquam excludens, nobis vero natiuus, an noſter fuerit amicus, ſuaſor monitorque, verusque patronus, Veſtra teſtor multorumque abſentium amicorum noſtrorum gratiſſima pectora, quibus meum etiam addere liceat. Sed vox faucibus haeret.

In adminiſtratione noui ſui muneris, quod habita Oratione inaugurali *de fatis Chemiae* initio proxime ſequentis ſemeſtris adiit, duos ſibi mox propoſuit fines, alterum vt ſtudioſae iuuentuti ſanam inculcaret Chemiam, euidentibus fundatam experimentis, alterum vt nouis inuentis ipſam ditaret ſcientiam. His finibus integram ab illo inde tempore impendit aetatem, vix vlla habita ratione valetudinis, nulla prorſus commoditatis et voluptatum. Plures ab initio occurrebant difficultates. Laboratorium non ſolum reparatione indigebat, ſed defectu etiam laborabat neceſſariorum inſtrumentorum, maxime eorum, quibus ad ſubtiliores operationes opus erat. Academia noſtra anno dudum MDCCLI pretioſam emerat collectionem mineralium Conſiliarii Collegii Metallici ANTON. DE SWAB, cui tamen ad vſum Profeſſoris et diſcipulorum aptus deerat locus. Singula haec propediem ordinauit Celeberrimus BERGMAN. Operam ſumtusque commodante Conſiſtorio Academico, noua fere exſtructa eſt aedes laboratorii; collectio mineralium in atrium hunc in finem accommodatum translata eſt, ipſiusque Profeſſoris collectione mox aucta, poſtea vero, nouiſſimis his ſeptemdecim annis provida

vida eius cura ita creuit, vt ſine publico ſumtu duplo iam locupletiorem reliquerit, quam acceperit. Fruſtula mineralia ſecundum interiorem valorem et compoſitionem diſpoſita ſunt, ſed in vſum iuuenum Mineralogorum ſimul inſtituta eſt *collectio Suecana*, in qua ſingula ordine Geographico collocata ſunt, vt omnes ſpecies vniuscuiusque fodinae vno quaſi intuitu conſiderari poſſint. Ab altera atrii parte locus eſt *typis Machinarum*, quae in Metallorum eliquatione adhiberi ſolent, vel in aliis operationibus, quae magis minusue ope Chemiae indigent. Quum hunc in finem nullae adſignatae eſſent publicae impenſae, ſed priuatis ſuis ſumtibus Profeſſor noſter eos comparauerit, non quidem magnus eſſe poteſt eorum numerus. Plures tamen iidemque praecipui proceſſus fuſorii dudum heic inueniuntur. Omnes typi machinarum ad vnam ſcalam relati ſunt, et adeo quidem natiuis coloribus picti, vt materiae, ex quibus aedificatae ſunt, ſtatim agnoſcantur; praeterea ita comparati, vt in partes ſeparari poſſint, ad internam oſtendendam ſtructuram. Horum igitur ope, ſine vlteriori pictura vel deſcriptione, iuuenis rei Metallicae cultor ex vnius horae coram exhibita explicatione, accuratiorem vniuerſi proceſſus ſibi formare poteſt conceptum, quam qui pluribus hebdomadibus in ipſo loco obtineretur. Ipſum laboratorium, quamvis non amplum, breui tamen ita ordinatum eſt, vt nulli deeſſent neceſſarii apparatus; maiores minoresque fornaces, quibus ad diuerſas operationes opus erat, inſtitutae ſunt, varii generis vaſa vitrea coëmta et copia inſtrumentorum aucta eſt, quantum noua experimenta et auctus diſcipulorum numerus id requirerent.

Hac ratione in eo ſuam quaeſiuit delectationem BERGMANUS noſter, vt aliis prodeſſet, ſimulque quo-

quotidie Chemicis inuigilando operationibus ſuam augeret et confirmaret experientiam. Sincerum hoc fuit et conſtans eius deſiderium. Tam indigenae, quam exteri *l*), quorum quidam ab vltimis Europae finibus Vpſaliam acceſſerunt, in illo doctorem inuenerunt, ad diſcipulos inſtituendos conſilioque et ope ſubleuandos paratiſſimum, naturali praeditum promtitudine res etiam difficillimas explicandi gratasque reddendi, quin, vtcunque ſe haberet eius valetudo, ſaepe in multam noctem experimentis eorum praeſentem inque eis examinandis fatigari neſcium. Diligens, quamuis non ſemper perſpicaciſſimus, numquam deſerebatur, alacer vero ſibi oblatam ſemper inueniebat nouae laborandi materiae indicationem. Et quando hic abſoluti cuiusdam experimenti rationem reddebat, aut inventum aliquod maioris momenti explicari cupide exaudiebat, in ſereno praeceptoris ſui vultu ſuam laudem eiusque voluptatem euidenter quaſi legebat. Immo inuenientur, credo, qui non ſine tenerrimis lacrymis iucunda haec et animos erigentia momenta ſibi in memoriam reuocare poterunt, qui ex ſcholis BERGMANI in publicum prodierunt vtiles, quisque ſuo loco, ciues, et de quibus a ſtudio partium aliena poſteritas, illorum inter ſe comparans merita, laeta pronunciabit illos tanto dignos fuiſſe magiſtro.

Tam

l) Vltimi horum fuerunt Domini DE VIRLY, Praeſes Camerae (la Chambre des Comptes) Diuionenſis, et D'ELHUYAR, Cantabrienſis, iam Director omnium operum fuſoriorum Nouae Granadae. Hi Vpſaliae commorati ſunt integro ſemeſtri vernali anni 1782, et non ſolum integrum abſoluerunt curſum ſublimioris Chemiae, ſed etiam Collegio interfuerunt in Arte Docimaſtica, ſuo quisque ordine propoſita inſtituentes experimenta.

Tam publica quam priuata inſtitutio, etiamſi diligentiſſima et accuratiſſima, non tamen niſi paucis praeſentibus, qui eadem recte vti norunt, prodeſſe poteſt. BERGMANUS noſter ampliori modo publicae inſeruire voluit vtilitati, illumque in ſcriptis ſuis ſibi propoſuit finem, vt partim incipientibus fidelem traderet in elementis manuductionem, partim amicis et in eadem ſcientia commilitonibus ſuas exponeret methodos, experimentorum euentum, et quas ex illis deducere poſſe ſibi videretur concluſiones. Ad priorem claſſem referendae ſunt editae ab illo *Praelectiones Chemicae Directoris* H. T. SCHEFFER, *de Salibus*, *Terris*, *Aquis*, *Phlogiſticis*, *Metallis et Arte Tinctoria*, a BERGMANO collectae, in ordinem redactae eiusque obſeruationibus illuſtratae *m*), quasque ipſe conſignauit, brevis ſed ſufficiens *Introductio ad Praelectiones de Chemiae indole et vſu, et de maxime generalibus corporum naturalium differentiis n*); *Commentatio de Tubo ferruminatorio, eiusdemque vſu in explorandis corporibus, praeſertim mineralibus o*), et *Sciagraphia Regni Mine-*

m) Hae lingua Suecana editae ſunt Vpſaliae 1775, 8. cum 2 tabulis. Verſio *Germanica* C. E. WEIGEL prodiit Gryphisw. 1779, 8. variis ditata emendationibus et acceſſionibus, a BERGMANO noſtro communicatis.

n) Suecice Vpſaliae 1777 edita. Germanice translata Holm. et Lipſiae 1779. Anglice 1781.

o) Haec anno dudum 1777 ad Dominum VON BORN transmiſſa eſt, qui Manuſcriptum *Latinum* Vindobonae 1779, 8. typis imprimi curauit, *Germanicam* vero verſionem Tomo IV Collectionum Pragenſium inſeruit. Recuſa eſt in Opuſculis, Vol. II., ex qua emendata editione Verſionem *Suecicam* adornauit Dom. P. I. HJELM, editam Holm. 1781, 8, vna cum praefatione et acceſſionibus Auctoris. *Gallica* verſio inſerta eſt Collectioni: Obſeruations ſur la Phyſique

Mineralis, ſecundum principia proxima digeſti. Haec quamuis primas vnice contineret lineas, rogatu Celeberrimi Profeſſoris FERBER conſignata, tanto tamen cum applauſu recepta eſt, vt quinquies, intra duorum annorum ſpatium, partim translata, partim repetitis vicibus edita fuerit *p*). Alterum admirabili diligentia praeſtitit in Actis Academiae Scientiarum Holmienſis, et Societatis Scientiarum Vpſalienſis, vna cum quibusdam Eius ſub moderamine editis diſſertationibus *q*). Sed quum

 ſaepius

que etc. par ROZIER et MONGEZ 1781. Tom. XVIII. pag. 207, 467.

p) *Latine* edita eſt et Lipſiae et Deſſauiae 1782, 8. Celeberrimus FERBER, qui hanc curauit editionem, in Nouellis anni 1783 conqueſtus eſt, quod vix prelo ſubiecta haec eſſet, quum protinus quinque diuerſae verſiones Germanicae annuntiarentur, quam ob rem ipſe promiſit accuratam et inſigniter locupletatam edere verſionem *Germanicam*, quam primum id ſine damno editionis Latinae fieri poſſet. Haec recuſa eſt Florentiae 1783, 8. et Londini Anglorum 1783, 8. Verſio *Anglica* Outlines of Mineralogy etc. by Dr. WITHERING, prodiit 1784, *Gallica* vero: Manuel de Mineralogiſte etc. traduit et augmenté de Notes par M. MONGEZ le jeune, Pariſiis 1784, 8.

q) Hae numero ſunt XXII, quarum XVII, et quaedam plurimis ditatae acceſſionibus, Opuſculis Phyſicis et Chemicis inſertae ſunt. Reliquae quinque hae ſunt: *De Docimaſia Minerae Ferreae via humida* 1777. (Suecice) Reſpondente A. SCHEDIN; — *Primordia Chemiae* 1779. Reſpond. I. PAULIN; *Chemiae progreſſus a medio Saec. VII. ad medium Saec. XVII.* P. I. 1784. Reſp. P. AFZELIO; *Analyſis Lithomargae* 1782, Reſp. C. D. Hjerta; *Terra Asbeſtina* 1782. Reſp. C. G. Robſahm. Diſſertationes: de Confectione Aluminis, de Mineris Ferreis albis et de Arſenico *Germanice* translatae ſunt, et vltima quidem binis vicibus; de Niccolo, de Mineris Zinci, de Terra Asbeſtina et de Antimonialibus Sulphuratis *Gallice* translatae ſunt in citata collectione: Obſeruations ſur

la

ſaepius ſignificarent Eius inter eruditos exteros Correſpondentes *r*), ſe pro deſiderio ſuo neque ſatis maturam neque ſufficientem harum Eius lucubrationum conſequi poſſe cognitionem, ſingula haec Opuſcula ſua nouo ſubiicere coepit examini, plurimisque cum acceſſionibus integram eorum prelo ſubmittere collectionem *s*). Illius tres editi ſunt Tomi,

la Phyſique etc. Tom. VIII. XVI. XXIII. XXIV; De Analyſi Ferri ſeorſum edita eſt *Gallice* a D. GRIGNON, Paris 1784. 8. etc.

r) Hi fuerunt: in Dania BRÜNNICH, FABRICIUS, HELTZEN, HOFGARD. In Ruſſia et Polonia FERBER, STHAEHLIN et CAROSI. In Vngaria MÜLLER. In Germania BOEHM, VON BORN, BÜCHNER, CRELL, FORMEY, FORSTER, GISEKE, I. F. GMELIN, HARTMAN, ILSEMAN, LESKE, MARTINI, I. A. MURRAY, LIB. BARO HÜPSCH DE LOXTZEN, REIMARUS, RÖHL, SCHAEFFER, SCHREBER, TITIUS, VELTHEIM, WERNER, WEIGEL. In Gallia Dni GRIGNON, IARS, NOLLET, MACQUER, MONNET, DE MORVEAU, Dux DE LA ROCHEFOUCAULD, VICQ D'AZYR, DE VIRLY. In Anglia HUSSEY, DE LAVALL, KIRWAN, LEWIS, MORE, DE MAGELLAN, PRIESTLEY, SCHWEDIAUER, WILSON. In Italia DE SALUCES, LANDRIANI, SCOPOLI. Epiſtolae hae tria volumina conſtituunt et praeter notitias atque quaeſtiones de nouiſſimis in Chemia et Phyſica inuentis, tot manifeſta continent indicia amicitiae et venerationis, vt a nobis legi non poſſint ſine intimo ſenſu deſiderii, ex iactura eruditi popularis, qui etiam extra patriam adeo amatus fuit, dignus pariter, qui amaretur.

s) *Opuſcula Phyſica et Chemica*, pleraque antea ſeorſim edita, iam ab Auctore collecta, reuiſa et aucta. Vol. I. II. III. Holmiae 1779, Vpſaliae 1780, 1783, 8. Volumina I et II Gallice edita ſunt cum Notis a D. DE MORVEAU, Diuion. 1780, 1784. Prodiit etiam Verſio Germanica, ab HENR. TABOR, Francof. 1782. ſeqq. quae cum mala ſit, nouam, variis additionibus auctam parat LEONHARDI, Prof. Viteb., quam proxime proditurum eſſe accepimus.

Tomi, quartus vero manu exaratus paene abſolutus eſt, cui in publicam lucem producendo vt vltimam manum imponat eruditus aliquis in Suecia vir, exteri praecipue huius ſcientiae amatores procul dubio optabunt *t*).

Qui tantam apud recentiores Phyſicos et Chemicos ſibi vindicauit attentionem, *Aër fixus*, a BERGMANO noſtro accuratiſſime examinatus eſt, quem eſſentiale acidum eſſe primus Ille rite explicuit eiusque coniunctiones cum aliis corporibus in pluribus antea cognitis caſibus deſcripſit *u*). Celeberrimus PRIESTLEY, qui dudum anno MDCCLXX *x*) experimentorum Eius particeps factus eſt, plurimis ſuis tentaminibus veritatem concluſionum BERGMANI confirmauit. | Quod Acidum aëreum eſſet inter principia Aquarum mineralium medicatarum, erudito huic Anglo aliisque exploratum prope fuit, nemo tamen BERGMANO prior per analyſin et ſyntheſin chemicam rem ita ſe habere demonſtrauit, methodumque naturalibus ſimiles arte efficiendi ad eam redegit ſimplicitatem, vt quicumque voluerit eadem iam vti poſſit. Eadem cauſa eumdem quidem producere deberet

t) Primus dudum Tomus in Ephemeridibus: Journal des Sçavans Sept. 1779 hunc in modum annuntiatus eſt. "C'eſt un Recueil precieux et neceſſaire à tous ceux qui ſont une etude particuliere de la Phyſique, de la Chimie et de l'Hiſtoire Naturelle. Mais nous devons prevenir, que les recherches profondes, dont ſont remplies les Diſſertations qui compoſent ce Recueil, ſuppoſent des connoiſſances fort etendues dans ces Sciences, et ſans leſquelles on ne pourroit les bien entendre, ni en ſentir tout le merite."

u) Acta Acad. Scient. Holm. 1773. Obſeruations ſur la Phyſique etc. par ROZIER. Tom. VIII. N. Acta Reg. Soc. Scient. Vpſ. Vol. II.

x) Philoſ. Transactions Vol. LXII. p. 153.

effectum, BERGMANUS tamen quatuor annorum experientiam, ſuam pariter ac amicorum quorumdam, exſpectare voluit, antequam Patriae commentationem exhiberet de *Aquis mineralibus medicatis Seidſchützenſi, Selterana, Spadana et Pyrmontana, earumque vera indole et artificioſa confectione* y). Mirum non erat, ſi inuentum tanta dignum attentione, et cuius tam oeconomiae, quam valetudini noſtrae, tantum erat momentum, ſine praeuio eoque rigidiſſimo examine recipi non poſſet. Hoc idem BERGMANO in votis fuit, quippe qui experimenta ſua genuina eſſe et iudicibus a partium ſtudio alienis adprobanda certiſſimus nouit, adeo vt propediem in luce veritatis propoſita, indubiam parerent conuictionem. Quod ſi quaedam, neſcio quae, interna ſimilitudo aquarum mineralium medicatarum naturalium et arte confectarum demonſtrari non poſſet, valde tamen eſt probabile, has, iuncta Medicorum et Chemicorum opera, quibusdam in caſibus, ad eam vtilitatem easque vires redigi poſſe, quae illas multum ſuperarent.

Honor ille metallorum numerum augendi, Mineralogis Sueciae quaſi proprius viſus eſt. Cobalti, Niccoli et Platinae characteres eſſentiales determinarunt Viri Nobiliſſimi BRANDT et CRONSTEDT. Sententiae illorum a pluribus deinde oppugnatae ſunt, alii illas defenderunt, BERGMANUS vero primus fuit, qui haec metalla debito modo praecipitationibus via humida ſubiiceret, et qua ratione pura obtineri poſſent, oſtenderet z). Idem *Magneſiam nigram* ignotae cuiusdam metallicae indolis

y) In Actis Acad. Scient. Holm. Reuiſa et ſeorſum edita Vpſaliae 1776, 8, etiam in Danicam linguam translata.

z) Acta Acad. Scient. Holm. anni 1777 et 1780.

dolis esse significauit *a*), eodem tempore, quo Dominus I. G. GAHN, nulla a Nostro desumta occasione, ope fusionis ex illa reuera produceret *Manganesium*. Domini HJELM et D'ELHUYAR regulum obtinuerunt ex terris acidis *Molybdaenae* et *Lapidis ponderosi*, quos lapides calcareos metallicos esse, non contemnendis fultus rationibus BERGMANUS pluribus annis antea suspicatus erat *b*). Breui etiam fieri potest, vt alius quispiam diligens Chemicus occasionem nanciscatur sententiam Eius de *Terra ponderosa* per reductionem confirmandi *c*). Quod si *Siderum* Metallorum numero non amplius accensere liceat, experimenta tamen BERGMANI nostri et Celeberrimi MEYER, ad illud detegendum eodem tempore instituta, locum suum inter notatu dignissima inuenta Metallurgica semper retinebunt.

Inter maximi momenti labores BERGMANI nostri et qui perpetuas Eius sibi vindicauit curas, sine dubio illa fuit, quam *Attractionibus Electiuis* impendit, opera. Commentatio de illis *d*) ipsaeque

a) Acta eadem an. 1774.

b) Ibidem an. 1781.

c) Ex praefatione Sciagraphiae Regni Mineralis patet, BERGMANUM inuenisse Methodum praecipitationis Terrae ponderosae per Alcali phlogisticatum, atque adeo persuasum fuisse, illam metallicam esse. Et quamuis fracta Eius valetudo impediret, quominus illam publico notam redderet methodum, tamen primus forsitan habendus est Noster, qui saepius repetito tentamine viam inuenerit, hanc effectui dandi praecipitationem.

d) Inserta haec est Nouis Actis R. Soc. Scient. Vps. Vol. II. vna cum duabus tabulis; in *Germanicam* linguam postea translata. *Gallice* in compendio inserta est laudatae collectioni: Obseruations sur la Physique etc. T. XIII. in Supplemento. Cum accessionibus

que attractionum tabulae, ex iudicio illorum, qui has res rite aestimare norunt, virum produnt lucis et ordinis amantem, atque amore veritatis etiam ingratissimum laborem non defugientem. Rem hanc sine triginta millibus experimentis ad perfectionem perduci non posse praeuidit, quum vero manifestus esset eius vsus, alia non fuit quaestio, quam quomodo tempus suppeteret tantum hac in re efficiendi, quantum fieri posset. Iam ille viam pandit eamque ipse ingressus est, et quum Supremus rerum humanarum Moderator Illum gradum sistere iuberet, illis, qui sufficienti alacritate et patientia ad Eius calcanda vestigia praediti sunt, optimam reliquit occasionem hac via magnam a posteritate ineundi gratiam.

Peritior harum rerum interpres Vobis, Auditores, exponere posset, quam copiosam BERGMANUS consignauerit historiam coniunctionum hydrargyri cum acido salis *e*), qua ratione probatas *emendationes confectionis aluminis* proposuerit *f*); etiam *aquas medicatas calidas* parare nos docuerit *g*); *aquas minerales Medeuienses et Lokenses* probauerit *h*); terram gemmarum explorauerit *i*); plurima *ignis subter-*

bus et tribus Tabulis recusa est in Opusculis Vol. III. Tabulae seorsum aeri inciſae sunt Lond. Angl. 1781, cura SAUNDER, eodemque anno Cl. MORE tabulam edidit attractionum simplicium, in forma maxima, ea ratione, vt loco signorum Chemicorum significatus eorum exhibuerit.

e) Acta Acad. Scient. Holm. an. 1770, 1771 et 1772.

f) Vid. Acta eadem an. 1767, 1776.

g) Ibidem an. 1778.

h) Ibidem an. 1782, 1783.

i) Noua Acta Reg. Soc. Vpſ. Vol. III. Commentatio haec *Gallice* translata est in Obſerv. ſur la Phyſique Tom. XIV.

ſubterranei producta Chemice conſideraverit *k*); in eximium Metallurgiae incrementum multiplicium ope experimentorum *diuerſam quantitatem phlogiſti in metallis* determinauerit *l*); et *fragilitatis ferri frigidi tam cauſam m*) quam medelam inuenerit; optandum, ne haec cum Ipſo perierit. Sed meas vires haec ſingula valde ſuperant. Ne omnium quidem argumentorum, ad quae ſuam Ille extendit attentionem et diligentiam, recenſionem in me ſuſcipere poſſum *n*). Neque Veſtra, Auditores,

 patien-

k) N. Acta R. S. S. Vpſ. Vol. III. *Gallice* Obſervat. ſur la Phyſique T. XVI.

l) Diſſertatio de quantitate phlogiſti diuerſa in metallis, publice ventilata Vpſaliae 1780, Reſp. A. N. TUNBORG. *Gallice* translata: Obſeruat. ſur la Phyſique etc. T. XXI.

m) Noua Acta R. S. S. Vpſ. Vol. IV.

n) In Actis Acad. Scient. Holm. praeter dudum nominatas, ſequentes etiam inueniuntur commentationes: *De Electricitate Cryſtalli Islandicae* 1762. *Tentamina Electrica cum taeniolis ſerici diuerſi coloris et lamellis vitreis inter ſe frictis* 1763, 1765. *De indole Electrica Turmalini* 1766. *De ſpecialibus tonitruum effectibus* 1770. *Obſeruationes de Montibus Weſtro-Gothiae, cum adiuncta Mappa Geographica* 1768. *Manuductio ad lapides lateritios durabiles conficiendos* 1771. *Experimenta Chemica in calculis veſicae inſtituta* 1776. *Examen aquae pelagicae ex profundo deſumtae; de Magneſia Nitri; De Platina*, (Gallice translata in Obſerv. ſur la Phyſique T. XV.) *De lapide, qui appellatur oculus mundi* 1771. *De Turmalinorum fuſcorum partibus conſtituentibus* 1779. *De Stanno Sulphureo ex Siberia* 1781. (Hanc commentationem in Gallicam linguam vertit Domina P** *de Dijon* in Obſeruat. ſur la Phyſique T. XXII). *Obſeruationes Mineralogicae* 1784. — In Nouis Actis R. Soc. Scient. Vpſal. Vol. I. *Experimenta Electrica tranſitum commotionis per aquam illuſtrantia.* (Translata in Obſerv. ſur la Phyſique T. XIV). *Aurorae Boreales obſeruatae annis* 1759—1762. *Cryſtallorum variae formae e Spa-*

patientia abuti fas eſt, illa congerendo, quae Vobis non ignota ſunt, quaeque peritiſſimi harum rerum arbitri ſui ducent officii, poſteritatis commendare memoriae. Laudatiſſimi Chemici et Mineralogi BERGMANUM noſtrum ea iamdiu proſecuti ſunt veneratione, quam adeo raris ingenii dotibus et ſingulari diligentia promeritus eſt, ſed quae ſimul illis valde eſt honorifica, qui verum eius pretium non ſolum perſpexerunt ſed etiam publice agnouerunt *o*). Celeberrimus D'ARCET Sueciae de hoc Chemicorum Principe gratulatus eſt, et Nobiliſſimus DE MORVEAU ſcripta eius in linguam Gallicam tranſtulit, ſe vix aliquid vtilius ad Chemiae progreſſus conferre poſſe adſeuerans *p*).

Cele-

e Spatho ortae. (Hanc Germanice vertit WEIGEL, editam Gryphisw. 1777, 4to vna cum: *Verſuch einer Cryſtallographie durch den* H. DE ROME' DE LISLE). Vol. IV. *Meditationes de ſyſtemate Foſſilium Naturali. De ferro et ſtanno, igne commixtis.* Opuſculis Phyſicis et Chemicis Vol. II. inſerta eſt noua Commentatio: *de Praecipitatis metallicis.* In Rev. Epiſc. A TROIL Deſcriptione Itineris ſui ad Islandiam, invenitur ampla BERGMANI epiſtola, *de effectibus ignis tam in Vulcanis quam fontibus ferueſcentibus, et de Baſalto.* Praefationem etiam ſcripſit Noſter commentationis Dni SCHEELE: *Abhandlung von der Luft und dem Feuer.*

o) Reg. Societas Scient. Goettingenſis in Nouellis ſuis ſ. *Anzeigen*, nuntio mortis eius breue hoc ſed verum adiunxit elogium: („*Wir zeigen nur dieſen Todesfall, weil er ein verdientes Mitglied unſerer Societät getroffen hat, an; denn der allgemeine Verluſt eines Chemiſten, der, bey auſſerordentlichem Scharfſinn und unermüdlicher Thätigkeit, Naturgeſchichte, Phyſic, Calcul ſo glücklich mit ſeiner Haupt-Wiſſenſchaft vereinigte, daß er in dieſer Reformator mit Beyfall wurde, iſt ohnehin fühlbar.*")

p) Verba eius haec ſunt: „J'ai entrepris la traduction de ces Opuſcules parceque je n'ai pas cru pouvoir rien

Celebratiſſimae Societates Scientiarum BERGMANUM noſtrum propius ſecum coniungere deſiderarunt. Regiae Societates Londinenſis Anglorum et Vpſalienſis ſummo quidem iure in numerum Membrorum ſuorum illum retulerunt, quum plura fertilis eius ingenii documenta Acta illarum continerent *q*). Eodem etiam honore Noſtrum decorarunt Societas Naturae Curioſorum Berolinenſis, Academia Medicinae Pariſienſis, Societas Scientiarum Göttingenſis et Academia Diuionenſis, quae ſingulae eumdem diligentiae eius fructum percipere cupientes, BERGMANUM ſibi ſocium elegerunt.

Societas Scientiarum Montis Peſſulani anno 1773 quaeſtionem publice propoſuit: *Quinam praecipui eſſent characteres terrarum, reſpectu Agriculturae r*), quam adeo perfecte enodauit BERG-

MA-

rien faire de plus utile pour les progres de la bonne Chymie; c'eſt à regret que je leur ai conſervé ce titre trop modeſte, mais la gloire de M. BERGMAN n'a pas beſoin du ſuffrage de ceux, qui ſont dupes des titres." Et poſtquam methodum BERGMANI deſcripſerat, addit: „Il me ſemble que l'on ne pourra ſur tout s'empecher d'admirer que ce celebre Profeſſeur ait réuni à un ſi haut degré la ſagacité pour faire des découvertes, et cette froide conſtance, qui s'obſtine à retrouver jusqu'aux fractions neceſſaires à l'eſtimation des doſes.

q) *Transactionibus Philoſophicis* ſequentes inſertae ſunt BERGMANI commentationes, ex epiſtolis eius ad Cel. WILSONUM excerptae: *An account of the obſervations made on the Tranſit of Venus*, 1761. *Obſervations on Aurorae Boreales in Sweden*, 1762. *Obſervations in Electricity and on a Thunder-ſtorm.* 1763. *A Letter containing ſome Experiments in Electricity* 1764. *Commentarius de indole Electrica Turmalini.* 1766.

r) Quaeſtio erat: *Quels ſont les caracteres principaux des terres en general? Aſſigner les defaus de celles, qui*

ſont

MANUS, vt reſponſum eius non ſolum duplici tum promiſſo praemio remuneraretur, verum etiam Societati tam gratum redderet Auctoris nomen, vt, quum poſt decem annos venia ſuperiorum numerum quatuor membrorum exterorum duobus nouis augere ipſi liceret, hos inter inclytus hic Sueciae Chemicus locum omnium ſuffragiis ſortiretur. Academia Scientiarum Pariſienſis, cui neque ſtabilitum octo membrorum extra Galliam numerum ſupergredi integrum eſt, vsque ad annum MDCCLXXXII illam ſibi denegare voluptatem coacta eſt, qua BERGMANUM noſtrum illo honore ornaret, qui inter maxime conſpicua Orbis Eruditi inſignia habetur *s*). Academia vero, Auguſtae Taurinorum anno ſequenti inſtituta, Noſtrum, a Sereniſſimo Sardiniae Rege nominatum, ab ipſis primordiis, ſuis adnumerauit Membris, ſed fructum, ex ſocia eius opera exſpectandum, eheu! nimis cito funeſta dies abripuit *t*).

Tentauerat, quae Berolini floret, Academia, reliquas praeuenire BERGMANUMque ſibi quaſi vnice

ſont peu propres à la production des grains, et les moyens, d'y remedier? Reſponſum BERGMANI editum eſt in Collectione: Aſſemblée de la Societé Royale des ſciences des Montpellier le 8 Dec. 1773.

s) Anno 1776 in numerum Correſpondentum huius Academiae relatus, illi commentationem transmiſerat, hoc titulo conſpicuam: *Analyſe et Examen Chimique de l'Indigo, tel qu'il eſt dans le commerce*, quae inſerta eſt Tomo IX Actorum eius: Memoires, preſentés à l'Academie par divers Savans 1780.

t) Praeter nominatas Academias et Societates BERGMANUM etiam Membrum elegerunt Reg. Societas Scientiarum et Litt. Hum. Gothoburgenſis, Societas Phyſiographica Lundenſis, Reg. Societas Patria Holmienſis et Societas Inſtitutioni Publicae ibidem dicata. —

vnice vindicare. Oblatum illi eſt anno MDCCLXXVI, Ordinarii Membri munere functuro, ſuos illuc transferre penates. Priuatae quidem fortunae, quae ibi promittebantur, incrementa, magnum quoddam apud Illum habere non poterant momentum, cui pauca ſatis ſemper erant, quique in mediocri ſorte contentus iam diu vixerat. Aliae fortius ſuadebant rationes. Inconſtans valetudo ſub mitiori coelo confirmatum, ſaltem non in dies attenuatum iri videbatur. Primis Scientiae rudimentis nouis, qui accedebant, diſcipulis, iterum iterumque repetendis, tempus ſuum huc vſque maxima ex parte dicauerat: nemo mirabitur, ſi talium laborum, deficientibus praeſertim viribus, nimiam aliquando futuram grauitatem prouidus timuerit, ſique magis Ipſi arriſerit vitae ratio, quae ab alienis curis libera, excolendae vacaret diſciplinae, quae *cultura*, vt ipſius vtar verbis, *et dulcis eſt, et nouas ſemper offert, quibus recreemur et occupemur, materias.* Haec, inter amicos ſingula diligentius perpendente BERGMANO, fama ad Regem noſtrum Auguſtiſſimum inopinato pertulit, cui placuit, verbis gratiae pleniſſimis, Cancellario Academiae ſignificare, acceptum ſibi fore, ſi Berolinum Noſter non migraret. Mandatum etiam eſt viro, inter Primores Regni, vt nomine S. R. M. BERGMANO tantam, quantam Aerarium Academiae ferre poſſet, praemiorum amplificationem promitteret. Reſpondit autem, ſatis ſibi praemiorum dudum contigiſſe, quum a Rege ſuo, tamquam ciuis in ſui partibus officii integer, probaretur, atque adeo augendum ſalarium ſubmiſſe recuſauit, ipſe facultates Academiae, illo tempore non abundantes, optime noſcens, nec eas ſui cauſa vlterius attenuandas iudicans; praeſertim quando collegas, aeque licet ſincera fide in ſuis muneribus

rite

rite obeundis deſudantes, eo tamen, quod multis eorum, quam Illi, minus ſufficiebat, ſalario contentos eſſe oporteret. Quem in modum Principi perſpicaciſſimo pariter atque optimo tale ſe inſinuaret reſponſum, facile, Auditores, intelligitis. Novum iuſſum BERGMANO noſtro aliquid certe, quod ſibi dari vellet, nominandum iniunxit. Tum Ille, pro coniuge, ſi ipſi ſuperſtes foret, centum thalerorum imperialium ſtipendium, pro ſe libertatem, ſub conditione ingraueſcentis valetudinis, ante ſolitos triginta annos, ab officiis decedendi expetiuit. Quorum vtramque partem ita obtinuit, vt ſtipendium quinquaginta thaleris Imp. augeretur. En nouum huic inſignis illius gratiae ſpecimen, qua Auguſtiſſimo Regi BERGMANUM noſtrum numquam non amplecti placuit, quae ſplendido inſuper documento coram vniuerſa Patria eluxit, quum inter primos viginti et octo Equites Auratos, Noſter quoque, in ſollemni Regalis inaugurationis pompa, Waſiaci Ordinis inſigni a S. R. Maieſtate decoraretur *u*). Quin immo! tum etiam, quum defunctus amicus noſter Ipſe non amplius pluribus recipiendis praemiis ſupereſſet, magnus tamen Rex piae Illius fidelitatis memoriam, ſummis beneficiis perfruendam, ad illam tranſtulit, cuius felicitas vltimis BERGMANI noſtri votis continebatur. Superſtitem loquor Coniugem, MARGARETAM CATHA-

u) Ceterum, quam fidem Rex noſter BERGMANO habuerit, patet etiam ex iuſſo, quod menſe Auguſti anni 1777 ad Eum peruenit, quo noua Inſpectoris STRÖMBERG puluerem pyrium conficiendi ratio, ad Skägga Wermdöenſium examinanda, Illi, vna cum nonnullis Legionis tormentariae praefectis, committebatur, quod etiam menſe Decembri eiusdem anni ad effectum perductum eſt.

THARINAM TRAST, in cuius connubio quatuordecim eosdemque ſuauiſſimos exegerat annos. Quod ſi dulcedo illa, quae Patris nomen comitatur, amborum filiorum obitu mature Illi eſt abrepta, hoc quoque vnicum erat, quod in coniugio ſuo aliter eueniſſe optaſſet. Noſtis, Auditores, BERGMANUM noſtrum, quemadmodum ipſe domi ſuae inter maxime amabiles fuerat maritos, ita etiam Coniuge gauiſum fuiſſe, quae amore in maritum optimas aemulabatur. Quid? quod eo etiam merito omnes noſtrum ſibi reddidit deuinctos, quod ſuo in maritum adfectu, ſuis vigilantibus curis, adiuuante Supremo Numine, vitam Eius, quamdiu fieri poſſet, nobis conſeruauerit, in quam, praeſertim vltimis his annis, noua quotidie pericula imminebant.

Proſperam ſatis iuuenili aetate BERGMANI valetudinem deficiens motus haud parum debilitauerat; eamdem vero tandem laboratorium, vnde neque frequentiſſimae aeſtuum ac frigoris commutationes, nec inſalubres venti prohiberi potuerunt, adeo prorſus infregit, vt poſt annum MDCCLXIX perpaucos Noſter integrae valetudinis dies numerauerit. Ingentes capitis dolores nec probatiſſimis alioquin medicamentis cedebant, nec longis, inter aeſtiuas ferias ſuſceptis, itineribus depelli poterant. Aperta tandem haemorrhois mitigationis non nihil attulit; eam autem deſinentem grauis haemorrhoidalis colica excepit. Aquae minerales medicatae, praecipue artificialis Selterana, non ſine ſenſu lenimenti adhibebantur; nam harum ope et ſtomachi torſiones diminutae ſunt et haemorrhoides laxatae. Sed tamen hae in dies magis magisque inordinate ſe habere atque diutius durando magis magisque aggraueſcere coeperunt; praeſertim poſtquam ſtomachus, graui intermittente febri, inſuper debilitatus

tatus fuiſſet. Haec tamen omnia non niſi remotiorem mortem minitata fuiſſe credibile eſt, niſi inſuper funeſtus caſus, ante quatuor annos, acceſſiſſet. Sub itinere, quod tempore aeſtatis recreationis cauſa ſuſceperat, in gratiam Nobilis cuiusdam adoleſcentis, eo comite, ad paruam adiacentem inſulam Lintre traiici voluit; quum autem pede ad alterum nauiculae ſuae latus nimis appropinquaſſet, ſubuertitur haec Noſtrumque vndis ad humeros vsque immergit. Ne vero penitus infelix fieret euentus, cymba quaedam, quam prehenderet, adſtitit, qua etiam fultus, littus tandem recuperauit. Terror interea ac frigus neruos Viri, inſignem in modum impreſſionibus obnoxios, vehementer perculerunt, vnde, poſt aliquot dies, violenta haemorrhoidum per pulmones facta eſt eruptio. Quodcumque vel ars vel amicitia praeſtare poſſet, ad tanti caſus pericula auertenda, ab arceſſitis medicis ſollicite eſt adhibitum. Conatum eorum, ſanguinis ordinarium curſum ſenſim reſtituendi, ſucceſſus quidem non fefellit, ſed perbreue fuit hoc gaudium. Initio ſequentis anni triſtibus eorum curis locus iterum datus eſt, BERGMANIque, ſub continuis narratorum malorum viciſſitudinibus, vires quotannis diminuebantur, vsque dum vernali tempore anni MDCCLXXXIV ad exitium nimis aperte properare coeperunt. Facies pallorem induebat, lenta etiam ambulatio eum grauabat, medicina parum proderat. Tum deſiderium ſignificare coepit ad acidulas Medeujenſes maturius, quam prioribus annis ſolitus erat, accedendi *x*). Hoc etiam

x) Acidulis his primum vtebatur anno 1781, tam felici euentu, vt ſequenti anno pergere conſtitueret. Prius tamen ad Lokenſes aquas proficiſcebatur, chemice eas examinaturus, quas, ſuo ex arbitrio, et bibere

etiam iter menſe Maio ſuſcepit, votis ſtipatus, quae et cogniti et incogniti, pro dubiae adeo ſpei itineris aliquantum ſaltem proſpero ſucceſſu, fundebant. Nam publicus fere erat metus, ne quiuis paſſus eius vltimus foret, quare etiam, quae Vpſaliae ſtudiis litterarum inuigilat, Fennica natio, ad ſpecimen ſuae erga Eum, quo tam venerabili gaviſa eſt Ephoro, pietatis, quam vix amplius coram teſtificandam fore ſperare audebat, ſub ipſo hoc itinere, edendum feſtinauit. Aureum decem ducatorum numisma, quod amica eadem atque egregia ſculpſerat manus Profeſſoris et Equitis LIUNGBERGER *y*), BERGMANO noſtro, Holmia iam proficiſcenti, attulit curator nationis, Philoſophiae Magiſter AGANDER. Quod inopinatum munus non potuit non ad inſigne gaudium hunc animum excitare, qui, quamuis nulla priuatorum praemiorum habita ratione, amicis his ſuis ac diſcipulis deditus fuerat, non tamen ſine ſenſu voluptatis id experiri potuit, quo vix quidquam dulcius fauens fortuna adferre poteſt, nempe quod ſe tenerrime amari

bibere incepit et ſimul ad lauationem frigidam adhibere. Auſus inſuper eſt valde calido die equo vectus deambulare. Vehemens hic nimis erat motus; redeunti adeo violenta exorta eſt haemoptyſis, vt maximo quidem cum impetu erumperet ſanguis. Tum, exiguis licet reſiduis viribus, tamen ad Medeuienſes aquas ſe contulit, vbi ſupra ſpem adeo conualuit, vt, Vpſaliam redux, domi rurſus diſcipulis ſuis praelectiones habere atque experimentis Chemicis operam dare ſuſtinuerit.

y) Exhibet hoc ab vna parte imaginem Viri, circumpoſita inſcriptione: TORBERNUS BERGMAN, *Patriae Decus ac Decus Aeui.* In altera parte, intra lauream, legitur: *Ephoro Egregio Natio Fennica die* I. *Maii MDCCLXXXIV.* Numiſma duodecimae eſt magnitudinis.

amari videret. Tandem, poſt ſatis moleſtum iter, ad aquas Medeuienſes peruenit, quas ſtatim bibere incepit, non ſine ſpe ſolitae opis, haud tamen vllibi amplius inueniendae. Exiguis, quae reſtabant, viribus ſingula momenta nonnihil detrahebant, anhelitus ſummos adferebat dolores; tandem vniuerſales conuulſiones, impetu ſaepius renouato, decimo die, vitae, quam in hac exegit terra, finem impoſuerunt.

Nona erat Iulii proxime praeteriti anni luctuoſa illa dies, qua Medeuienſibus vtentes acidulis, tempore matutino conuenientes, grauem vndique curam congeſſerunt. In ſocietate hac, antea valde hilari, altum dominabatur ſilentium, quaſi nemo, virum egregium et amicum fideliſſimum periiſſe narrando, ad amicos ſuum extendere vellet dolorem. Moeſtitiam tamen oborientes prodiderunt lacrymae, mutuam conqueſti ſunt iacturam, conuenitque inter eos, vt ſinguli exſequias proſequerentur, quando in templo eccleſiae Weſtra Nyoſſa vltimae quieti mandarentur. Ipſi excellentiſſimi regni ſenatores, Comites CAR. FRED et ULR. SCHEFFER atque Liber Baro FALKENGREN huic lugentium amicorum cohorti duces ſe dare voluerunt. Iuſtorum funebrium curam geſſit Cubicularius Regius ODENCRANTZ, ſinceri autem, quo pia congregatio tenebatur, deſiderii, Aſſeſſor WÅHLIN ad ſepulcrum egit interpretem.

Tantam vim BERGMANIANA viuendi ratio ſuper hos eius, paucis tantummodo aeſtatibus, ſodales exercuerat, ingenio ceteroquin, aetate, dignitate denique ac vitae conditione inter ſe diſſimillimos. Quod reliquum eſt idemque veriſſimum, morales animi eius dotes adeo amabiles erant, vt haud dubie, vbicumque eum diuina prouidentia collocaſſet, illam tamen vbique ei adportaſſent feli-

cita-

citatem, illum bonorum omnium amorem illamque veneratiónem, quae ſolis numquam eruditionis, numquam ingenii fauentisque naturae opibus, vtcumque magnis, comparantur.

Quae minime fucata erat, eius humanitas, conſuetudinem cum illo mirum in modum ſuauem atque deliciarum plenam efficiebat. Rara erga omnes facilitate ſeſe ad diuerſos eorum captus in iis materiis accommodabat, quas cuique iucundiſſimas eſſe iudicaſſet. Atque hunc in finem tantum adhibebat ſtudium, quaſi ad ipſum inde aliquis diſcendi fructus redundaturus fuiſſet. Peregrinatores vrbanitatem, qua excipiebantur, ſatis admirari non poterant, nec patientiam, qua eis collectionem mineralium oſtendit, quaeſtionibus reſpondit, attentionem denique eorum ad vtiliſſima quaeque ac notatu digniſſima aduertit z). Horas quidem admodum care aeſtimabat vir, de explendis partibus ſui officii, quas inſuper ipſe nonnumquam haud parum dilatabat, plurimum ſollicitus; hinc a numeroſis conuerſationibus, iis praeſertim, quas con-

z) Celeberrimus COXE, in ſuis: *Travels into Poland, Ruſſia etc.* T. 2. p. 421, ſe BERGMANUM noſtrum ſalutaſſe, his verbis deſcribit: „I waited, with a letter of recommendation, vpon Mr. BERGMAN, Profeſſor of chemiſtry in the univerſity, whoſe fame ſtands high among the learned of all nations — — The learned Profeſſor received me with great politeneſs and ſhowed me his cabinet, which is particulary rich in Svediſh minerals. He obligingly communicated to me much intelligence in a very long and intereſting converſation, which I had the pleaſure of holding with him, and which made me regret that my ſtay in Upſala was ſo ſhort, that I could not derive any further Information from a perſon of ſuch general and accurate knowledge."

ſuetudo magis, quam ſtudiorum ſimilitudo, congregat, libenter aberat; ideo vero moroſus nequaquam erat, neque innocentium vitae humanae gaudiorum oſor. Si praeſentiam ſuam amicos delectaturam noſſet, ſtatim aderat, eorumque oblectamenta adeo contentus et promtus participabat, ac ſi haec magno eius ingenio penitus adaequata fuiſſent. Siue loqueretur, ſiue ſcriberet, ſemper moderate ſe gerebat, ſuas opiniones aliorum ſubiiciebat examini, nec vlteriorem illuſtrationem ſibi expetere grauabatur *a*). Quod ſi bis ſuas ſententias paullo ſeuerius defenderit, neque nimis praecipitanter nec pertinaciter illud egiſſe exiſtimandus eſt; egit autem, conuictus de neceſſitate, poſt diuturnum ſilentium, tandem, quid inter veritatem ac praeproperas concluſiones interſit diſcriminis, oſtendendi. Si quid ab eo, poſt ſolidam disquiſitionem, conſtitutum rectumque habitum fuiſſet, non firmus in eo deprehendebatur, ſed firmiſſimus. Non eum quisquam, praeſertim in re publicum bonum tangente, a propoſito facile dimouebat. Quamvis tota eius vita in teſtimonium vocari poſſit amoris, quo ſcientiam ſuam amplectebatur, numquam tamen hunc ad ceterarum contemtum, ne remotius quidem, extendit, numquam aliquid ideo reiecit, quod vſus inde vel non ſtatim in oculos caderet,

a) In prooemio opuſculorum haec leguntur eius verba: *Si errauerim alicubi, hoc nihil a me alienum puto, et vt corrigatur, quo citius, eo melius, opto.* Et ab initio disquiſitionis de attractionibus electiuis, cui tantum laboris atque adcurationis impenderat: *hactenus*, inquit, *a me factas obſeruationes, quamuis incompletas et mancas, in medium proferre decreui, ne in ſchedis pereant. In ſe parum refert, per quem ſcientia ditetur, per me an per alium veritates huc pertinentes eruantur.*

deret, vel ei ſaltem minus appareret. Tantum ab eo Noſter abfuit, vt potius omnem operam, in cognitionibus humanis amplificandis nauatam, laudabilem duxerit, illumque, apud quem huc aliquid conferendi cupiditas eluxit, dignum auxilio atque exhortatione iudicauerat. Non ei in priuata vita fallax vanitas catenas iniecerat. Haec igitur eum non impulit ad ſplendida fortunae incrementa anhelanda, quibus oblatis, et commodis eorum et incommodis ponderandis par erat; vtpote qui non affectibus ad partium ſtudium deuocabatur.

Quibus Veſtrum, Auditores, ad interiorem eius familiaritatem patuit aditus, non ii negabunt fuiſſe eius amicitiam nobilem, ac dignam cui confiderent. Si quid promiſiſſet, fides ei habita non fallebat. Si quis conſilio indigeret, certus erat de obtinendo, ſi non ſemper gratiſſimo, eo tamen, quod optimum fuiſſe plerumque tandem detegebatur. Probata eius experientia, quaeque in conſiliis ſumma eminebat bonae voluntatis integritas, in tali colloquio dictis eius pondus et vim addebat, cui non facile reſiſtebatur. Quae ſpecimina mentis eius beneficae nouimus, illiusque generoſae promtitudinis, qua in rebus maximi ponderis iis ſubuenit, quibus neque ipſe vllo modo ad referendam gratiam obſtrictus erat, a quibus neque ſibi vmquam referendam eſſe ſperare poterat?

Has inter tam pulchras animi dotes, eam, quae in deſcribendo vere bono viro animae quaſi loco eſt, non deſiderari, haud prorſus inconueniens eſt exſpectatio. Quodque maiorem in modum mihi gratulor, ne minimum quidem anceps haereo, quominus in ſummum et vobis, Auditores, et mihimet ipſi ſolatium, affirmem, hunc inter eruditos tam conſpicuum, in muneris ſui partibus adeo ſollertem, a cognitis denique et amicis tam adama-

tum BERGMANUM, hunc eumdem etiam inter vere Chriſtianos locum obtinuiſſe. Contemplatione naturae inde a iuuentute delectatus, innumera Omnipotentis Creatoris veſtigia mature animaduertit. Tantum vero abeſt, vt huic maxime perſpicuae veritati frigidum tantummodo daret aſſenſum, vt potius haec eum manuduxerit, ad illam Bonitatem ſumma veneratione agnoſcendam, quam et ſe, et quae ſubſiſtunt omnia, ſua tutela amplecti vidit; haec illum cupidum reddidit ea experiundi, quae, de interiori cum Supremo Numine coniunctione, teneris annis audiuerat. Scripturam ſacram legit perpenditque, diuinam inuenit, neque oculos ad hoc coeleſte lumen occluſit. Hoc vnicum ſibi ſumſit exemplar, ad quod viuendi rationem conformaret. Hic erat fons, ex quo vires hauſit, et bonum perſpiciendi et perſpectum exſequendi. Non ille quidquam de alia ſalutis via audire voluit, quam quae ab ipſa omnis felicitatis origine eſt praeſcripta. Si quis hanc vel aperte vel occultius ſuſpectam reddere tentaret, quo ardore hoc alias tranquillum et mite pectus tum excitabatur, praeſtantes animos haud raro denotante? Quod ſi e contrario cum amico, de ſolatiis inter aerumnas huius aeui atque de ſpe melioris vitae, familiares conferre ſermones ipſi licuerit, quae tum repentina lux, qualis vigor ex languentibus oculis tum emicuit? Quam eloquenter ipſe vultus pretium virtutis Chriſtianae interpretabatur! Hanc quidquid promoueret, in curis eius quotidie verſabatur; praecipue vero diem ſabbati ad ſanctos hoſce vſus conſecrabat. Si tum publicis ſacris intereſſe illi non liceret, quae tamen magis frequentabat, quam tenuis valetudo permittere videbatur, domi nihilominus per eorum ſcripta, qui veram religionis noſtrae indolem cognouerunt, eas apud ſe veritates

vlte-

vlterius quaſi confirmare conatus eſt, quas eadem luce perſpectas ſemper retinere optabat. Hoc eum niſu inanem vmbram non captaſſe, lucide demonſtrat ſedata illa et contenta mens, interna illa tranquillitas, quae vt ex tota eius vita apparuerat, ita etiam eo temporis articulo non defecit, quo plurimum tandem ea opus erat. Quum tribus abhinc annis, per adſtantium gemitus, mors eo reſpectu, quo triſtiſſima eſt, illi ante oculos ſiſteretur, alacri animo deprecari ſuſtinuit, ne anxiis adeo curis ſe torquerent pro conſeruanda vita, quae neque ipſi nec aliis in poſterum vſui eſſet futura, atque ad quam ponendam iamdudum fuerat paratus; hoc potius amoris eorum ſpecimen foret, quod de aeternis, quae obtenturum ſe confidebat, gaudiis laeti cogitarent. Nec dubium eſt, quin ille Dominus, qui in ſe ſpem habentem neminem vmquam deſtituit, BERGMANO etiam noſtro occulto adfuerit ſubſidio, iis diebus, quum et loquelam et rationis vſum morbi interdum impediuit violentia, atque quin, vltimo momento, anhelantem eius fidem in beatiſſimam aeternae felicitatis fruitionem mutauerit.

Quod ſi igitur, Auditores, eruditio, magnanimitas, pietas denique haec ſint, quae, vbi placide conſpirant, generis noſtri decus conſtituunt; quod ſi inſuper dulce ſit, ad abitum dilecti amici, illam eminus contemplari, quae eum apertis quaſi vlnis amplectitur, felicitatem, a nobis etiam, ſi voluerimus, ſerius ocyus conſequendam, tuum certe nomen, BERGMANE noſter, optimo iure immortali ſe commendat memoriae. Gratus teque venerans animus ea erit remuneratio, quam pro omni, quam tuae virtutes nobis attulerunt, et voluptate et honore, tibi praeſtabimus. Imitatio tui ad coelos perducit, nobisque, dum illuc enitimur, vigorem

addit et confidentiam. Interea vero, tenerrimo deſiderio pectora noſtra adfligente, ne ſimus immemores dulcis, quod ſe nobis offert, ſolatii, ſpei nempe, fore vt magni huius generoſique animi conſortione iterum aeternumque laeti perfruamur.

XVII.

Noua phyſico-medica.

Societas ſcientiarum regia *Haunienſis* tres propoſuit quaeſtiones, quarum ſingularum ſolutioni moneta aurea pretio 100 thaleros imperiales aequans dicata eſt. Prima huc redit: *certis experimentis grauibusque argumentis declaratum dare, vtrum corporum calor ſit effectus materiae calefacientis in corporibus calidis obuiae, neque ad corporum ſubſtantiam pertinentis, an certus motus particularum corpora conſtituentium adeoque tantummodo quaedam modificatio.* Altera quaeſtio ſpectat *theoreticam explanationem optimae aratri fabricae pro agrorum diuerſa indole diuerſoque ſitu;* cui explanationi qui operam nauare volet, is debebit verbis iconibusque declarare, qua ratione omnes aratri partes ita et fabrefieri et coaptari queant, vt aratrum per vires extrinſecas minimas motum effectus edat maximos; neque ſufficiet, haec rationibus ſubductis confirmari, ſed certis etiam experimentis opus erit. Tertia denique huc redit: in Danicis legibus (l. 6. c. 17. a. 29.) acerba poena iis irrogata eſt, qui has plantas, *Marehalm*, *Hvideriis*, *Sener*, *Klittetag*, *Hielme*, *Sli* vel *Dornen*, creſcentes in litore maris occidentalis, euellere aut quouis modo laedere ſuſtinerent. Hac lege edictum die 25 Nou. 1720 promulgatum omnes omnino plantas complexum eſt,

eſt, quibus eradicatis arena huc illuc magna cum pernicie ventis agitaretur. Iam vult ſocietas, vt *diſtincte accurateque determinentur plantae tum in lege iſta nominatae, tum in aliis Daniae regionibus creſcentes, quarum vſus ſit ad arenam volantem, quam vocant, coërcendam, ita vt vniuscuiusque plantae figura laudetur aut in flora Danica, aut, ſi ibi deficiat, aliis in bonae notae libris vna cum fructificationis partibus obuia.* Inſimul optat, vt viri experientia edocti cum ipſa communicent, *quomodo tales plantae optime et coli et late diſpergi poſſint*, praeterea *an ſit ſecundarius talium plantarum vſus*, non repugnans primario ipſarum fini. Tractatus latine, danice, germanice aut gallice ſcripti ad ſocietatis ſecretarium, IACOBI, ante finem menſis Septembris 1787 mittendi ſunt.

Quam propoſuerat academia *Diuionenſis* quaeſtionem, *quatenus phlogiſton differret a materia caloris* *), ei cum nondum ſit ex ipſius voto reſponſum, denuo rogat viros doctos, vt in eam ſoluendam animi vires conuertant. Tractatus mittentur vsque ad kalendas April. anni 1789. Eiusdem anni menſe Auguſto libelli miſſi ita diiudicabuntur, vt, quem academia optimum habuerit, is praemium duplicatum ferat.

Berolinenſis ſocietas naturae ſcrutatorum praemium 50 thalerorum, quod quaeſtioni anno MDCCLXXXII propoſitae **) deſtinauit, tribuit tractatui, cuius Auctor erat Cl. AMOUREUX, filius, M. D. Monspelienſis.

Societas agriculturae regia, quae Pariſiis eſt, die 30 Martii 1786 edixit, praemium 700 librarum Gallicarum collatum iri in optimam huius quae-

*) Vid. comm. noſtr. Vol. XXVII. P. III. p. 530.
**) Vid. ib. Vol. XXV. p. 335.

ſtionis ſolutionem: quaenam arbores, frutices vel herbae in tractu Pariſino ſponte creſcentes largiantur fila ad texendum funesue torquendos apta, (*indiquer parmi les arbres, arbriſſeaux ou plantes qui croiſſent ſans culture dans la généralité de Paris, ceux dont on peut retirer du fil pour faire des toiles, ou qui fourniſſent des parties propres à faire des cordes.*) Viri docti hoc argumentum tractaturi conferent VAILLANTII botanicon Pariſienſe, quod iſtas plantas enumerat. Neque vetitum eſt ſocietatis correſpondentibus, quaeſtionis ſolutioni operam navare. Libelli quauis lingua conſignati mittantur oportet ante calendas Febr. anni 1787. ſub notis conditionibus ad Cl. BROUSSONET, ſecretarium ſociet. perpetuum. Praemium dabitur in publico conſeſſu anni 1787 habendo.

Imperatoris iuſſu directorium facultatis medicae Longobardicae Milano Papiam translatum fuit, profeſſoresque medicinae Papienſes, FRANK noſtras, cui iam credita erat cura noſocomii, atque SCARPA directores conſtituti ſunt; illi res medicae, huic chirurgicae traditae ſunt.

Viennae ſchola anatomica ad imitationem Berolinenſis fundatur.

DIEDERICUS VAN RHYN die 10 Octobr. anni 1785. profeſſionem chemiae, pharmaciae et materiae medicae in illuſtri Athenaeo *Amſtelaed.* auſpicatus eſt oratione habita de dogmatico chemiae cultu a practico non ſeparando, deque cauſis, quibus viros principes ad vtriusque impelli deceat patrocinium.

S. A. BRUGMANNS, Philoſ. et Medicinae Doctor Groningenſis, profeſſor philoſophiae ordinarius Franekerae factus eſt.

In academia Mantuana A. GUALANDRIS botanicen profiteri iuſſus eſt, hortusque inſtitutus, qui etiam agriculturae inſeruiat.

F. A. MEYER M. D. Hamburgenſis, Imperatricis Roſſorum auctoritate cherſoneſi Tauricae choriater conſtitutus eſt, ornatus conſiliarii aulici titulo.

Cl. STARKE, profeſſor medicinae Ienenſis, duci Vinarienſi a conſiliis corporisque cura eſſe iuſſus eſt, ita tamen, vt porro Ienae medicinam profiteatur.

VOITUS, profeſſor Berolinenſis, tertium inter protochirurgos locum obtinuit.

Göttingae die 31 Martii I. H. FISCHER, medicinae doctor, profeſſor medicinae ordinarius conſtitutus eſt.

Societas ſcientiarum *Viſſingenſis* ſocios ſibi adſciuit O. P. THUNBERG, Profeſſ. *Vpſalienſem*, I. R. DYMAN, *Amſtelaedami* medicinam profitentem, atque I. H. GALLANDAT, eodem munere *Hulſtii* (Hülſt) fungentem.

Societas medicorum regia *Pariſina* profeſſores medicinae, DOUBLET et CROCHET, ſocios ſibi iunxit.

C. G. GRUNER, profeſſor Ienenſis, 14 Nov. 1785. membris collegii medicorum *Nanceiani* adſcriptus fuit.

Qui Marburgum abire dictus eſt STEINIUS, ibi et medicinam doceret, eum iam *Caſſellis* manere legimus.

Ita quoque Cl. ZIMMERMAN conſilium Petropolin adeundi abiecit, atque nouis a duce ſereniſſimo auctus honoribus *Brunſuici* in poſterum commorabitur.

Cl. FERBER Roſſiae valedixit, atque in Auſtriam profectus eſt.

Mor-

Mortui ſunt:

Wirzburgi 22 Aug. 1785 I. P. EHLEN, epiſcopo Wirzburgenſi a conſiliis aulae corporisque cura, profeſſor medic. ordinarius, 71 annos natus.

Lipſiae 10 April. 1786. C. B. FUNK, Phyſices profeſſor publicus ordinarius, natus 50 annos.

Erlangae 17 April. 1786. SIM. GABR. SUCCOW, phyſices profeſſor, aetatis anno 65.

Pariſiis 19 April. 1786. I. N. MOREAU, conſiliarius academiae regiae chirurgicae, ſupremusque chirurgus noſocomii Hôtel-Dieu dicti.

Holmiae nuper 1786. C. G. SCHEELE, vir magnus, cuius obitu triſtiſſimo vulnus recruduit quod chemiae omninoque phyſicae mors ſummi viri, T. BERGMANI, acerbiſſimum inflixerat.

Diuioni die XI. Iun. 1786. H. MARET, medicinae doctor, ſocietati Diuionenſi ab actis, plurimarumque ſocietatum ſocius, natus 59 annos, cum morbi epidemici in Burgundia graſſantis curationi ſui negligens inuigilaret.

Societas virorum doctorum ex omni litterarum genere declarauit editum iri *Papiae* diarium titulo *Giornale letterarie di Pauia* i. e. Diarium litterarium Paduanum, in quo iudicia librorum, in alii criticis libris italicis exhibita, ad examen reuocabuntur, et cum libris ipſis comparabuntur. Simul quoque indicabuntur libri exotici, quorum nulla ab aliis facta erat mentio. Ex omni diſciplinarum genere libri colligentur, eorumque noua inuenta in epitomen contracta, ſuperque iis iudicium probatum hoc opus continebit.

Ibidem propediem publici iuris fient compendium NESSI chirurgicum, et SCOPOLI chemicum vtrumque italice ſcriptum.

Inter alia opera poſthuma, quae reliquit OTHO FRIDERICUS MÜLLER, *Regi Daniae et Noruegiae a Con-*

Conſiliis Conferentiae, qui indefeſſo arcanorum naturae ſtudio editisque hac de re ſcriptis nomen ſibi peperit, quod manet manſurumque eſt in animis naturae curioſorum, fuit etiam opus quoddam de Animalculis infuſoriis, minutis illis, quorum plurima non niſi armato oculo videntur, inque aqua partibus animalibus vegetabilibusue impraegnata occurrunt, cui illuſtrando tabulae non paucae, ipſius auctoris auſpiciis aeri incisae, inueniebantur. Huius operis diſperſa membra colligendi, in ordinem redigendi edendique negotium demandatum eſt Cl° OTHONI FABRICIO, viro in hiſtoria naturali Fauna Grönlandica aliisque obſervationibus celebri, iamque ante hos duos menſes ſub titulo: Animalcula Infuſoria, fluuiatilia et marina, detecta, ſyſtematice deſcripta et delineata ab O. F. MÜLLER etc. cum tabulis aeneis L. ſiſtens 379 diuerſas ſpecies 17 generum mundi inuiſibilis, imprimi coeptum, aeſtate proxima, in duas alphabetas et ſupra, eadem forma ac b. auctoris Entomoſtraca nuper edita, ſumtibus Viduae Havniae prodibit. Vt correctum pulchrumque exſtet, et curatum eſt et curabitur.

Spe non dubia ducta, tale tanti, inque hac parte hiſtoriae naturalis excellentis, viri ſcriptum naturae ſcrutatoribus acceptum fore, illud iis VIDUA liberaliſſima nec potuit nec voluit retinere; licetque ſumtuoſum, modico pretio, ſi expenſa ſpectes, 8 imperialibus Danicis ſingulum exemplar tradet. Figuras coloratas deſideranti (licet pauca tantum horum animalculorum colorata occurrant, quod dixiſſe iuuat) illud expreſſe indicare placeat, et pro ſingula tabula colorata 4 obolos pretio antedicto addere. Cum non multa exemplaria imprimuntur, ii, qui opus hoc poſſidere deſiderant, tempeſtiue per ſuorum negotiorum Curatores vel VIDUAM ipſam, habitantem HAUNIAE in platea, vulgo dicta Amaliaegade, No. 71. Litt. K. vel Cl. FABRICIUM hac de re faciant certiorem.

Con-

Continuatio indicis librorum phyſico-medicorum, qui anno 1782 prodierunt.

The Works of IOSEPH ELSE, To which is added an Appendix. By GEORGE VAUX, Surgeon. London. 8.

Beyträge zur Fieberlehre. Von CHR. FRIEDR. ELSNER. *Königsberg.* 8. (vid. c. n. Vol. XXV. p. 208.)

GUST. V. ENGESTRÖM *Beſchreibung eines mineralogiſchen Taſchenlaboratorium. a. d. Schwed. von* C. E. WEIGEL. *2te Auflage. Greifsw.* 8.

I. C. P. ERXLEBENS *Anfangsgründe der Naturgeſchichte aufs neue herausgegeben von* I. F. GMELIN. *Göttingen.* 8.

ESPERS *Schmetterlinge. 15 u. 16 Heft. Erlangen.* 4.

Mémoire ſur la decouverte d'un Ciment impénétrable à l'eau. Par M. D'ETIENNE. Paris. 4.

A. FR. CHR. EVERS diſſ. inaug. in contagium phthiſicum inquirens. Götting. 4.

TH. EVORY diſſ. inaug. de febre puerperarum. Edinburg. 8.

Traité des maladies vénériennes. Par M. FABRE. Edit. 4eme Paris. 8.

Fauna Groenlandica, Auctore OTHONE FABRICIO. Haun. 8.

WILH. FABRITZ *aus Hilden, chirurgiſche Beobachtungen und Kuren. 3tes Hundert. Flensburg.* 8.

IOHANN BAPTISTA FABRONI, *Verſuch vom Ackerbau; überſezt und mit Anmerkungen bereichert von* IOHANN REINHOLD FORSTER. *Berlin.* 8.

An Account of the Epidemic Catarrhal Fever, called the Influenza, as it appeared at Bath, in the Months of May and June, 1782. By W. FALCONER. London. 8.

W. FALCONER *Bemerkungen über den Einfluß des Himmelſtrichs, der Lage, natürlichen Beſchaffenheit und Bevölkerung eines Landes etc. Leipz.* 8.

N. D. FALKS *Unterſuchung der ſogenanten Viehſeuche; oder Beweisgründe, daß dieſe Viehkrankheit nicht von peſtilenziſcher oder anſteckender Art, ſondern von einer übeln Verdauung und von Würmern in dem Magen herrühre. m. 2 K. Hamburg.* 8.

FELDMANNI diſſ. de comparatione plantarum et animall. Francof. ad Moen. 8.

De methodis ſuffuſionem oculi curandi a *Caſamatta* et *Simone* cultis. Auctore C. G. FELLER. Lipſiae. 8.

I. R. FENWIK diſſ. inaug. de plethora. Edinburg. 8.

PHIL. FERMINS *Reiſe durch Surinam. 2 Theile. Potsdam.* 8.

D. PASKAL IOS. FERRO *von der Anſteckung der epidemiſchen Krankheiten und beſonders der Peſt. Leipzig.* 8.

IO. HENR. FISCHER de cerebri eiusque membranarum inflammatione et ſuppuratione occulta. Göttingae. 4.

IOH. FLOYERS *Abhandlung von der Engbrüſtigkeit u. ſ. w. Leipz.* 8. (vid. c. n. Vol. XXV. p. 406.)

Supplement au Dictionaire de Phyſique par SIGAUD DE LA FOND, Tom. V. à Paris. 8.

Anleitung den Kalch und Mörtel ſo zu bereiten, daß die Gebäude dauerhafter ſeyn, und weniger Kalch verbraucht werde, von I. R. FORSTER. *Berlin.* 8.

IAC. FORSYTHE diſſ. inaug. de Pneumonia. Edinburg. 8.

Leçons élémentaires d'Hiſtoire naturelle et de chimie, par M. DE FOURCROY. 2 Vols. à Paris. 8.

Experiments and Obſeruations on Electricity, made at Philadelphia in America. By B. FRANKLIN to which are added letters and papers on philoſophi-

ſophical ſubiects. The whole corrected, methodized, improved and illuſtrates with Copper plate: the fift Edition. London. 8.

D. I. G. F. FRANZ Proluſ. de medicorum legibus metricis. Lipſ. 4.

FRIES *und* WIRTENSONS 2 *Abhandlungen, wie die Blattern gleich beim Ausbruchsfieber behandelt werden müſſen. Magdeburg.* 8.

Archiv der Inſektengeſchichte, herausgeg. von I. C. FUESLY. 2 *und* 3*ter Heft. Zürich und Winterthur.* 4.

Neues Magazin für die Liebhaber der Entomologie, herausgegeben von I. C. FÜESLY. 2*tes Stück. Zürich und Winterthur.* 8.

Diſquiſitionem in doctrinam de ſono et tono continuat — C. B. FUNK. Lipſ. 4.

GAMELIN vid. CARCASSONNE.

HENR. GARDE diſſ. inaug. de catarrho. Edinburg. 8.

Des Hrn. von GASTELLIER *Abhandl. über das Frieſelfieber der Kindbetterinnen. Mannheim.* 8.

GATENHOF ſtirpes agri et horti Heidelbergenſis. Heidelbergae. 8.

CHR. W. I. GATTERERS *Abhandlung vom Nutzen uud Schaden der Thiere. Leipzig.* 8.

GAUBS *Anfangsgründe der Krankheitslehre des Menſchen, aus der lezten Ausgabe des Verf. in freyer Ueberſetzung mit eigenen Bemerkungen und beträchtl. Zuſätzen zum Behuf deutſcher akademiſcher Vorleſungen, für angehende Aerzte und Wundärzte eingerichtet von* D. A. DIEBOLD. *Med. Dokt. in Strasburg. Zürch.* 8.

H. D. GAUBII libellus de methodo concinnandi formulas medicamentorum. Editio noua. Baſileae. 8.

EIUSD. inſtitutiones pathologicae medicinales. Edit. altera in Germania. Vindob. 8.

D. K. A. GERHARD's *Verſuch einer Geſchichte des Mineralreichs. 2ter Theil. Berlin.* 8.

Die Beſtimmung der Geſtalt und Größe der Erde etc. von FR. W. GERLACH. *Wien.* 8.

J. A. P. GESNERS *Entdeckungen der neueſten Zeit in der Arzneygelahrheit. 2ter Band. Nördlingen.* 8.

Obſervations on the River Wye, and ſeveral Parts of South Walls, etc. relative chiefly to pictoreſque Beauty: made in the Summer of the Year 1778. By WILLIAM GILPIN. 8.

C. GIRTANNER diſſ. inaug. de terra calcarea cruda et calcinata. Göttingae. 8.

D. I. G. GLEDITSCH, *phyſikaliſch ökonomiſche Betrachtungen über den Heideboden und die Mark Brandenburg, deſſen Erzeugung, Zerſtörung und Entblöſung des darunter ſtehenden Flugſandes: nebſt einigen darauf gegründeten Gedanken einen dergl. Flugſand durch Wiederherſtellung ſeiner natürl. Erd- und Raſendecke feſt oder ſtehend zu machen. Berlin und Leipzig.* 8.

Von Entſtehung, Bildung, Umbildung und Beſtimmung des Erdkörpers aus dem Archiv der Natur und Phyſik, durch W. F *Freyh.* V. GLEICHEN, *genannt Rußworm. Berlin.* 8.

I. FR. A. GÖTTLINGS *chemiſche Verſuche über eine verbeſſerte Methode, den Salmiak zu bereiten. Weimar.* 8.

IOH. AUG. E. GÖZE *Verſuch einer Naturgeſchichte der Eingeweide-Würmer thieriſcher Körper; Blankenburg. Mit 44 Kupfern, in 4to.*

Naturgeſchichte einiger Vögel von G. F. GÖTZ = *Hanau und Deſſau.* 8. *mit 6 K.*

D. DE GORTER M. D. Prof. etc. Flora VII Provinciarum Belgii foederati indigena. Harlem. gr. 8.

CHR. GOTTWALDI Muſeum conchyliologicum, *mit 49 K. und 2 Bildniſſen, nebſt einer Beſchreibung von* I. S. SCHRÖTERN. *Nürnberg. fol.*

CHR. GOTTWALDS *phyſikaliſch anatomiſche Bemerkungen über den Biber. M. K. Nürnberg.* 4.

G. GOURLAY diſſ. inaug. de Eryſipelate. Edinburg. 8. (*vid. c. n. Vol. hui. p.* 399.)

Obſervations on the late Influenza, the febris Catarrhalis Epidemica of Hippocrates as it appeared at London in 1775. and 1782. By WILLIAM GRANT, M. D. 8vo.

GRAUMANN'S *diätetiſches Wochenblatt.* 1*ter Iahrgang. Roſtock.* 8.

I. E. GREDING'S *vermiſchte mediciniſche und chirurgiſche Schriften. Altenburg.* 8.

Conſpectus medicinae theoreticae, ad vſum academicum, Auctore IACOBO GREGORY. Editio altera etc. 2 Vols. 8. (*vid. c. n. Vol. XXVII. p.* 579.)

C. GRUELMANN diſſ. inaug. Obſeruationes de vſu cicutae, camphorae, ſulphuris aurati, antimonii et corticis peruuiani, in quibusdam morbis. Götting. 4.

C. G. GRUNER'S *Anleitung, Arzeneyen zu verſchreiben. Heidelberg.* 8. (vid. c. n. Vol. XXV. p. 708.)

EIUSD. *Kritiſche Nachrichten von kleinen medizinſchen Schriften in und ausländiſcher Akademien. Erſter Theil. Leipzig.* 8.

Almanach für Aerzte und Nichtärzte, auf das Iahr 1782. *Herausgeg. von Hrn. Hofr.* GRUNER. *Iena.* 8.

Diſſertation ſur les maladies de l'uretre, avec des reflexions ſur la methode qu'ont employée jusqu'à preſent quelques praticiens, par M. GUERIN, Nouvelle edition corrigée et conſiderablement augmentée. T. I. In 12. à Paris.

Memoires ſur la mineralogie du Dauphiné. Par M. GUETTARD. 2 Vol. in 4. à Paris.

FR. GUSSMANN'S *Beiträge zur Beſtimmung des Alters unſerer Erde und ihrer Bewohner, der Menſchen. Wien.* 8.

Cerebri neruorumque corporis humani anatome repetita cum duab. tabulis, auctore I. G. HAASIO, Lipſ. 8. (*vid. c. n. Vol. XXV. p.* 238.)

EIUSD. diſſ. inaug. de auditus vitiis ſurditatem et difficilem auditum producentibus. Lipſ. 4.

C. C. HAASE, cauſae difficilis deglutitionis. Götting. 4.

A. HAASE diſſ. inaug. Viola tricolor. Erlang. 4.

ANT. DE HAEN praelectiones in H. BOERHAARE inſtitutiones pathologicas. Edidit FR. DE WASSERBERG. T. IV., V et vltimus. Vindob. 8.

EIUSD. *Heilungsmethode in dem kaiſ. Krankenhauſe zu Wien. A. d. Lat.* IV *Band. Mit einigen Aufſätzen begleitet von D.* E. PLATNER. *Leipzig.* 8.

D. C. G. HAGEN hiſtoria lichenum, praeſertim Pruſſicorum, cum tabb. aen. et col. Regiomonti. 4.

I. P. HAGENS *Verſuch eines neuen Lehrgebäudes der praktiſchen Geburtshülfe, durch viele Anmerk. und Wahrnehmungen erläutert und beſtätigt. 2ter Theil. M. K. Berlin und Stettin.* 8.

I. H. HAIDS *ökonomiſch praktiſche Abhandlungen für Schwaben. Ulm.* 4.

KARL HAIDINGERS *Eintheil. der kaiſ. königl. Naturalienſamml. zu Wien. Wien.* 8.

EIUSD. diſpoſitio rerum naturalium Muſei Caeſarei Vindobonenſis. Viennae. 4.

HARPER HALL diſſ. inaug. de Melaena. Edinburg. 8. (*vid. c. n. Vol. hui. p.* 400.)

A. *von* HALLER *auserleſene chirurgiſche Diſputationes in einen Auszug gebracht und mit Anmerkungen verſehen von D.* FR. A. WRIZ. *3ter Band. Leipz.* 8.

EIUSD. *Beiträge zur Beförderung der Geſchichte und Heilung der Krankheiten; mit Anmerkungen v. D.* LORENZ CRELL — *Dritter Band. Berlin.* 8.

EIUSD. *Vorleſungen über die gerichtliche Arzneywiſſenſchaft. A. d. Latein. zurückgelaſſenen Handſchrift überſ. Erſter Band. Strasburg.* 8. (vid. c. n. Vol. XXVII. p. 223.)

A. HAMILTONS *Abhandl. über die Hebammenkunſt. Aus dem Engliſch. mit Zuſ. von* I. P. EBELING. *Leipzig.* 8.

A Deſcription of the Influenza; with its Diſtinction and Method of Cure. By R. HAMILTON, M. D. London. 8.

IAC. HARE diſſ. inaug. de Syncope. Edinburg. 8. (*vid. c. n. Vol. hui. p.* 408.)

A Letter addreſſed to Dr. STEVENSON, of Newark, occaſioned by a Poſtſcript publiſhed, in the ſecond Edition of his Medical Caſes with Remarks on four Letters, written by *Philip Thickneſſe*, Eſq. By EDWARD HARRISON. London. 8.

E. HART diſſ. inaug. de morbis mammarum. Edinburg. 8. (*vid. c. n. Vol. hui. p.* 403.)

Beschryving van Gujana of de Wilde Kuſt in Zoyd America Opgeſteld door M. I. I. HARTFINCK. Amſterdam. 8.

Die in die Apotheken aufgenommnen chem. Zubereitungen für Anfänger erklärt von I. F. B. HASSE. *Mit einer Vorrede von D.* L. CRELL. *Lemgo.* 8.

D. CHR. A. HAUENSCHILD diſſ. de muſculoſa vteri ſtructura. Cum tab. aen. Ienae. 4. (*vid. c. n. XXVIII. p.* 61.)

I. N. HAUSMANNS *Beurtheilung der heerkinſchen Methode, den Blaſenſtein zu operiren. Braunſchweig.* 4.

IO. HEDWIGII fundamentum hiſtoriae naturalis muſcorum frondoſorum. Pars I. Lipſ. 4. (vid. c. n. Vol. XXV, p. 282.)

FR. HEILMANN diſſ. de vſu legitimo oleoſorum. Baſileae. 4.

Diſſertations phyſiques et mathematiques, par I. F. HENNERT. Utrecht. 8.

Traité ſur divers accouchements laborieux, et ſur les polypes de la matrice; ouvrage dans lequel on trouve la deſcription d'un nouveau levier, imité de celui de ROONHUYSEN et mis en parallele avec le forceps: ainſi que d'un nouvel inſtrument, propre à la ligature des polypes, approuvé par l'academie royale de chirurgie de Paris. Par M. G. HERBINIAUX. à Bruxelles. 2 Voll. 8.

I. F. HERBST *Verſuch einer Naturgeſchichte der Krabben und Krebſe, nebſt einer ſyſtematiſchen Beſchreibung ihrer verſchiedenen Arten 1ſtes Heft. Zürch.* 4.

B. FR. HERMANNS *Beſchreibung der Manipulation, durch welche in Steyermark, Kärnthen und Krain der berühmte Breſcianer Stahl verfertiget wird. M. K. Wien.* 8.

DESSELB. *Reiſen durch Oeſterreich etc. 2tes Bändchen. Wien.* 8.

DESSELBEN *Abriß der phyſikal. Beſchaffenheit der öſterreichiſchen Staaten und der Gewerbe in denſelben. Petersburg.* 8.

M. HERZ *Grundriß aller mediciniſchen Wiſſenſchaften. Berlin.* 8.

An Account of the Iail Fever, or Typhus Carcerum: as it appeared at Carliſle in the Year 1781. By I. HEYSHAM, M. D. London. 8.

I. HILLS *Beſchreibung der äuſſerl. Theile der Pflanzen oder allgemeine Einleitung in die Botanik; mit 49 K. Aus dem Engl. Leipzig.* 8.

H. I. HINZENS *Beobachtungen über den Ackerbau. Deſſau.* 8.

DESSELB. *Beiträge zu den ökonomiſchen, Kameral- und Polizeywiſſenſchaften. M. K. Deſſau.* 8.

C. C. L. HIRSCHFELDS *Gartenkalender auf das Iahr 1782. M. K. Deſſau.* 8.

DESSELBEN *Theorie der Gartenkunſt. 4ter Band. Leipzig.* 4.

H. F. HÖFERS *Nachricht von dem in Toskana entdekten natürl. Sedativſalz und dem Borax, welcher daraus bereitet wird. Aus dem Ital. von* B. F. HERMANN. *Wien.* 8.

I. G. A. HÖPFNERS *Abhandl. über die Bereitung des Brechweinſteins. Weimar.* 8. (vid. c. n. Vol. XXVI. p. 411.)

C. L. HOFMANN *vom Scharbocke etc. Münſter.* 8. (vid. ib. XXV. p. 432.)

PHIL. HOLLAND diſſ. inaug. pauca de mente et eius in corpus effectibus. Edinburg. 8. (*vid. c. n. Vol. hui. p.* 406.)

FR. HOME *Grundſätze des Ackerbaues und des Wachsthumes der Pflanzen. Aus dem Engl. von* I. C. WÖLLNERN. *3te mit einem Anhange vermehrte Aufl. Berlin.* 8.

Des Hrn. von HOONE *Abhandl. von den verſchiedenen Methoden das Queckſilber in den veneriſchen Krankheiten zu gebrauchen. Aus dem Franz. Leipzig.* 8.

Phyſica particularis et generalis auditorum vſibus accommodata a I. B. HORVATH. Venetiis. 8.

Hiſtory

Hiſtory of the human teeth, with the method of treating them. By IOHN HUNTER, illuſtrated with plates. 4. (vid. c. n. Vol. XIX. p. 325.)

WILLIAM HUNTERS *Betrachtungen über die* Operation *der Durchſchneidung des Knorpels der Schoßbeine, mit 2 Kupfern, aus dem Engliſchen von D. I. Stephan Hausmann. Göttingen.* 8.

I. HUTCHINSON diſſ. inaug. de mutatione febrium e tempore Sydenhami et curatione earum idonea. Edinburg. 8. (*vid. c. n. Vol. hui. p.* 404.)

I. K. G. IACOBSSONS *technol. Wörterbuch. 2ter Band. Berlin und Stettin.* 4.

I. F. VON IACQUIN *Beiträge zur Geſchichte der Vögel, mit nach dem Leben gemachten und illuminirten K. Wien.* 4.

N. I. IACQUIN icones plantarum rariorum. Faſciculus 2. Cum figg. colorr. Viennae. fol.

Phyſica hominis ſani, Auctore NICOLAO IADELOT. Vindob. 8.

Mediziniſche Anweiſung wegen der tollen Hundeswuth, von IAEGER. *Stutgardt und Tübingen.* 8.

L'Antiméphitique, ou moyens de détruire les exhalaiſons pernicieuſes et mortelles des foſſes d'Aiſance, l'odeur infecte des égouts, celle des Hopitaux, des Priſons, des Vaiſſeaux de guerre etc. par Mr. IANIN. gr. 8.

Détail de ce, qui s'eſt paſſe dans les expériences faites par Mr. IANIN les 18 et 23 Mars, en préſence des Commiſſaires réunis de l'Academie royale des ſciences et de la ſociété royale de Medicine, imprimé par Ordre du Roi. à Paris. 8.

Select caſes of the diſorder commonly termed the Paralyſis of the Lower Extremities. By IOHN IEBB. London. 8.

I. C. AB INDAGINE memorabilia Biſmuthi etc. etc. *Nürnberg.* 8.

J. INGEN-HOUSZ *vermiſchte Schriften, phyſiſch-mediciniſchen Inhaltes. Aus dem Engl. von* N. K. MOLITOR. *M. K. Wien.* 8. (vid. c. n. XXVII. p. 236.)

D. I. F. ISENFLAMMS *Verſuch einiger praktiſchen Anmerkungen über die Knochen. Erlangen.* 8. (vid. ib. XXVI. p. 603.

J. G. IUGELS Phyſica myſtica etc. *Berlin.* 8.

IO. HENR. IUGLER bibliothecae ophthalmicae ſpecimen I. Hamburgi. 8.

C. C. IUNG'S *Verzeichniß der meiſten bisher bekannten europäiſchen Schmetterlinge mit ihren Synonymen in alphabet. Ordnung. Frankf. am M.* 8.

J. H. IUNG'S *Verſuch eines Lehrbuchs in der Forſtwiſſenſchaft. 1ſter Theil. Manheim.* 8.

C. H. KEILS *mediciniſch-chymiſches Handbüchlein. Neue Aufl. Königsberg.* 8.

D. KELLER'S *Sammlung von Salz und dem Geiſte der Naturlehre. Breslau.* 8.

J. TH. VAN DER KEMP diſſ. inaug. de vita ex viuificatione materiae humanum corpus conſtituentis. Edinburg. 8. (*vid. c. n. Vol. hui. p.* 397.)

Relation de deux Voyages dans les mers auſtrales, faits en 1771-74. par Mr. DE KERGUELEN. à Paris. 8.

L. G. KLEINII ſelectus rationalis medicaminum. Edit. noua. Francof. ad M. 8.

Mineralogiſcher Briefwechſel und andere Aufſätze für Freunde der Bergwerkswiſſenſchaften, herausgegeben von P. E. KLIPSTEIN. II *B.* 1-3 *Stück. Gieſſen.* 8.

Encyclopädie, oder zuſammenhängender Vortrag der gemeinnützigſten Kenntniſſe. Erſter und 2ter Theil; von G. S. KLÜGEL. — *Berlin und Stettin.* 8. *m. K.*

A. W. KNOCHS *Beiträge zur Inſektengeſchichte. 2 St. Leipzig.* 8.

Super-

Super ſulphure antimoniali aurato liquido quaeſtiones aliquot chemicae diſputat CHRISTIAN KOHLER. Francof. ad Viadr. 4.

E. A. KORTUM's *Beantwortung einiger Anmerkungen, welche Hr.* RIEM *über ſeine Grundſätze der Bienenzucht gemacht hat. Münſter.* 8.

K. VON KRAPFS *ausführl. Beſchreibung der in Unter-Oeſterreich, vorzüglich aber um Wien herum wachſenden Schwämme. 1tes Heft. Mit 11 illum. K. Wien.* 4.

I. F. KROCK diſſ. inaug. de haemoptyſi et ſubſequente pulmonum vlcere. Göttingae. 4.

LUDOV. KRÜGER diſſ. inaug. ſiſtens pathologiam ouariorum muliebrium. Götting. 4. (*Ouariorum morbi quoad hiſtoriam, diagnoſin, prognoſin, caet. ſatis bene pertractati ſunt.*)

D. I. G. KRÜNITZENS *ökonomiſche Encyklopädie 24ter und 25ter Band. M. K. Berlin.* 8.

Derſelb. 1ſten Bandes 2te Aufl. M. K. Berlin. 8.

Des Pater LABAT *Reiſe nach Weſtindien. 1ſter Th. M. K. Nürnberg.* 8.

Phyſique générale et particuliere. Par M. le Comte DE LACEPEDE. à Paris. 12.

LAFORESTS *Unterricht von der Wartung der Füße. Aus dem Franz. Leipz.* 8.

Traité des ſcrophules, vulgairement appellées Ecrouelles ou humeurs froides par PIERRE LALOGETTE. Tome 2. Paris. 8.

D. I. H. LANGENS *Abhandl. über die heilſamen und höchſt wunderbaren Wirkungen des Waſſerfenchels oder des ſogenannten Peerſaats bey menſchl. Krankheiten. Neue vermehrte Auflage. M. 1 K. Helmſtädt.* 8.

H. G. LANGS *Verzeichniß ſeiner Schmetterlinge, meiſtens in den Gegenden um Augſpurg geſammelt, und in drey Tafeln eingetheilt mit den Linneiſchen auch*

deutſchen und franzöſiſchen Namen und Anführung derjenigen Werke, worinne ſie mit Farben abgebildet ſind. Augſpurg. 8.

I. F. A. LANGHUT diſſ. hiſtoriam catarrhi epidemici a. MDCCLXXXII. ſiſtens, praeſ. LAUR. CRELL. Helmſt. 4. (vid. c. n. V. XXV. p. 331).

Eſperienze intorno alla Reſiſtenza del Stregamento del Legno e de Metalli etc. fatte dal I. P. DE LANGES. Verona. 8.

A general Synopſis of Birds. By I. LATHAM. Vol. I. Part I. and II. London. 4.

A Narrative of a ſingular Gouty Caſe: with Obſervations. By I. LEE. London. 8.

P. I. LEIBLINS *ausführl. Unterricht für die Hebammen in den onolzbachiſchen Landen. Anſpach.* 8.

D. I. LENHARDTS *mediciniſche Wahrheiten und Erzählungen. Deſſau.* 8.

EBEND. *neumodiſche Purgierp. für Hrn. Hofr.* FRITZE, *zu Halberſtadt. Deſſau.* 8. (rixae praetereaque nihil.)

D. LEPPENTIN *ein Wort zu ſeiner Zeit für Aerzte und Beurtheiler der Aerzte. Hamburg.* 8.

I. N. A. LEUTHNERS *diätetiſche Paſtoralarzneykunde, als der 2te Theil der praktiſchen Arzneykunde. Nürnberg.* 8.

G. LEVISON *Einleitung in die Londonſche mediciniſche Praxis. 2 Bände. Berlin u. Stettin.* 8.

EBEND. *Verſuch über das Blut, aus dem Engl. Berlin und Stettin.* 8.

Magazin für das neueſte aus der Phyſik und Naturgeſchichte von Hr. Legationsrath LICHTENBERG. *Drittes Stück. Gotha.* 8. (excerpta ex diariis eruditorum, et cenſuras indicesque nouorum librorum continet.)

Anleitung zur mediciniſchen Kräuterkunde für Aerzte und Apotheker. 1ſter Theil. durch G. R. LICHTENSTEIN. *Helmſt.* 8.

JOSEPH

JOSEPH LIEUTAUD, *Zergliederungs-Kunſt. Aus dem Franz. 2 Theile. Leipzig.* 8. (vid. c. n. XXV. p. 240.)

CAROLI A LINNÉ Equit. materia medica. Editio quarta auctior, curante I. C. D. SCHREBERO — Lipſ. et Erlang. 8.

K. VON LINNÉ *vollſtändiges Pflanzenſyſtem. 8ter Theil. M. K. Nürnberg.* 8.

Ebend. Lehrbuch über das Naturſyſtem, ſo weit es das Thierreich angeht. 2ter Theil. M. K. Nürnberg. 8.

EBEND. Termini conchyliologici; *oder Kunſtwörter für Schnecken und Muſcheln. Lateiniſch und Deutſch, von* I. S. SCHRÖTERN. *Weimar.* 8.

EIUSD. ſupplementum plantarum ſyſtematis vegetabilium. Brunſuigae. 8. (vid. c. n. Vol. XXV. p. 106.)

Natuurlyke Hiſtorie of uitvoerige Beſchryving der Dieren, Planten en Mineralien volgens het ſamenſtel van den Heer LINNAEUS met nauwkeurige Afbeeldingen. door Dr. HOUTTUYN. Amſt. III Deel.

Select Diſſertations from the Amoenitates Academicae of LINNÉ etc. à Supplement to the treatiſes of Stillingfleet on natural hiſtory. Translated from the Latin by M. BRAND. Vol. I. London. 8.

I. LIPPERTI Phlogiſtologia mineralis ſ. conſideratio Phlogiſtorum mineralium. Viennae. 8.

La Iſtoria di vna Malattia propoſta alla conſiderazione de li ſig. Pellegrini ed Aleſſandri da ANTONIO LIZZARI. Venezia. 8.

Diſſertation ſur l'importance des évacuans dans la cure des playes récentes, ſimples ou graues etc. par M. LOMBARD. à Strasbourg. 8. (Proxime eiusdem cenſum dabimus).

Ter-

Termas de Archena. Poemo in latino y caſtillano de las termas del Caſtillo d'Archena etc. Por DON IGN. LOPEZ D'AYALE. Madrit. 8.

I. LORIMER tractatus de oleis. Baſileae. 4.

A New Syſtem of General Geography, in which the Principles of that Science are explained etc. together with the moſt eſſential Parts of the Natural Hiſtory of the Earth. Part I. By C. MACFAIT, M. D. London. 8.

P. I. MACQUER's *chemiſches Wörterbuch, oder allgemeine Begriffe der Chemie nach alphabetiſcher Ordnung. Aus dem Franz. nach der 2ten Ausgabe überſ. und mit Anmerkungen und Zuſätzen vermehrt von D.* I. G. LEONHARDI *etc. 5ter Theil von Sei bis Z. Leipzig.* 8.

D. FR. IOS. MAERTERS *Vorſtellung eines ökonomiſchen Gartens nach den Grundſätzen der angewandten Botanik. Wien.* 8.

Di una pianta eſotica, ohe dà un filo excéllente per tele prezioſe, e per merletti, e ricami: noticie eſtratte da una Diſſertazione di Monſignor FLORIANO MALVEZZI. Bologna in 4.

Phyſiſche Unterſuchungen über das Feuer von Herrn MARAT *D. d. Arzn. Aus dem Franz. und mit Anmerkungen vermehrt von* GE. CHR. WEIGEL. *Leipzig. gr.* 8.

Lettre de M. le Baron DE MARIVET, à M. le Comte DE LACEPEDE etc. ſur l'élaſticité. à Paris. 4.

A. MARSHALL diſſ. inaug. de tuenda ſalute militum. Edinburg. 8. (*vid. c. n. Vol. hui. p.* 404.)

ROLAND MARTIN Afhandling om Ben-Sjukdomar. Stockholm. 8. (vid. c. n. Vol. XXVI. p. 168).

F. MARTINET *Katechismus der Natur überſetzt von* EBERT. *4tes Stück. Leipzig.* 8.

F. MARTINI *Betrachtungen in der Lehre der Kopfwunden. 3ter Theil. Hamburg.* 8. (vid. com. n. dec. III. Suppl. 4 p. 650.)

Second mémoire ſur l'Electricité medicale, et hiſtoire du traitement de 42 malades etc. Par M. MASARS DE CAZELLES. Paris. 8.

Memoire ſur l'electr. med., et hiſtoire du traitement de 20 malades etc. Par *le même.* à Paris. 8.

M. MATTHIAS diſſ. inaug. de reſtringendo vſu roborantium proprie ſic dictorum in debilitate morboſa. Götting. 4.

Avis et leçon à tous les laboureurs, cultivateurs, etc. ou Theorie d'un nouveau Syſtême generale, pour l'adminiſtration economique de toutes les parties de l'agriculture et principalement des terres labourables, a l'uſage de toutes les Nations. Par M. MAUPIN. à Paris. 8.

Nouvelle méthode non encore publiée, pour planter et cultiver la vigne a beaucoup moins de frais, et en augmenter le rapport, etc. Par *le même.* à Paris. 8.

Les principales bévues de vignerons de Paris et partout, ou Avis très-important à tous les propriétaires de vignes, pour ſervir de ſuite à la nouvelle méthode de planter et de cultiver la vigne, joint à l'avis et leçon aux laboureurs, à l'uſage de tous les pays vignobles et non vignobles. Par *le même.* à Paris. 8.

M. MEDERER *von der Nothwendigkeit, beide Medicinen wieder zu vereinigen. Freyburg.* 8.

F. MEDIKUS *Beiträge zur ſchönen Gartenkunſt. Manheim.* 8.

Ueber den merkwürdigen Bau der Zeugungsglieder einiger Geſchlechter aus der Familie der Contorten, von F. K. MEDIKUS. *Mannheim.* 8. (eſt prior parti-

particula obſeruationum botanicarum, quas vide comm. n. Vol. XXVI. p. 236.)

D. MELANDRI et P. FRISII de theoria lunae commentarii. Parmae. 4.

C. CHR. MELART diſſ. inaug. de tempore exhibendi emetica in febribus intermittentibus maxime opportuno. Göttingae. 4.

C. I. MELLINS *Kinderarzt. Kempten.* 8.

IOH. DAN. METZGERS *D. vermiſchte mediciniſche Schriften. Zweiter B. Königsberg.* 8. (vid. c. n. Vol. XXV. p. 249.)

I. A. MEYER de prophylaxi morborum epizooticorum. Erlangae. 4.

Virilis impotentiae rationes Diſſert. SALOMONIS LEYSERI MEYERI. Francof. ad Viadr. 4.

A. MICHELITZ ſcrutinium hypotheſeos ſpirituum animalium. Pragae. 8. (vid. comm. n. Vol. XXV. p. 674.)

An inquiry into the cauſe of motion by M. S. MILLER. London. 4.

PH. MILLERS *Abbildung der nützlichſten, ſchönſten und ſeltenſten Pflanzen zu ſeinem Gärtnerlexikon. Aus dem Engl. Mit* 300 *K. Nürnberg. fol.*

An Enquiry into the Source from whence the Symptoms of the Scurvy and of Pudrid Fevers ariſe; and into the Seat which thoſe Affections occupy in the Animal Oeconomy; with a View of aſcertaining a more juſt Idea of Putrid Diſeaſes than has generally been formed of them. By FR. MILMAN. London. 8.

FR. MILMANNS *Bemerkungen über die Natur und Heilart der Waſſerſucht. Braunſchweig.* 8.

I. MÖNCHS *Bemerkungen über einige einfache und zuſammengeſetzte Arzeneymittel. Frankf. am M.* 8. (vid. c. n. Vol. XXV. p. 405.)

Saggio ſulla ſtoria naturale di Chili. Del Abbate GIOVANNI IGNAZIO MOLINA. Bologna. 8.

A. MONRO, *des ältern, ſämmtl. Werke praktiſchen und chirurgiſchen Inhaltes. Leipzig.* 8.

Obſervations on the Means of preſerving the Health of ſoldiers, and of concluding military Hoſpitals; and on the Diſeaſes incident to ſoldiers in the Time of ſervice; and on the ſame Diſeaſes at they have appeared in London. II Vols. by THOMAS MONRO. London. 8.

O. FR. MÜLLERS *kleine naturhiſtoriſche Schriften aus andern Sprachen ins deutſche überſetzt. 1ter B. mit illum. K. Deſſau.* 8.

Des Hrn. I. A. MURRAY — *Arzneyvorrath oder Anleitung zur praktiſchen Kenntniß der einfachen, zubereiteten und gemiſchten Heilmittel. Erſter und 2ter B. Aus d. Lat. überſ. von* L. C. SEGER, *der A. D. Braunſchweig.* 8. (cf. c. n. Vol. XXII. XXIII. p. 260.)

I. A. MURRAY Progr. De medendi tineae capitis ratione paralipomena. Götting. 4.

EIUSD. Progr. Vindiciae nominum triuialium ſtirpibus a LINNEO Equ. impertitorum. Sectio prior et poſterior. Göttingae. 4.

AD. MURRAY diſſ. Deſcriptio arteriarum corp. hum. in tabulas redacta. Pars III. Vpſal. 4.

CHR. LUD. MURSINNA *mediciniſch-chirurgiſche Beobachtungen. 1ſte Sammlung. Berlin.* 8. (vid. c. n. Vol. XXVI. p. 314.)

Reliqua proxime.

Con-

Contenta in hac parte.


I. Nouveaux mémoires de l'academie royale des Sciences et belles lettres de Berlin année MDCCLXXXII. 195
II. Flora Roſſica edita a P. S. Pallas. Tom. I. P. I. 201
III. ROMÉ DE L'ISLE des caractères exterieurs des mineraux 218
IV. Förſök till Iärnets hiſtoria af SWEN RINMAN. 225
V. *Chemiſch phyſicaliſche Regeln vom Fruchtbrandeweinbrennen, von* I. L. CHRIST. 239
VI. Catalogue raiſonné des ouvrages, qui ont été publiés ſur les eaux minerales par M. CARRERE. 247
VII. Obſervations for inveſtigating the chymical hiſtory of the tepid ſprings of Buxton by G. PEARSON. 251
VIII. Eſſai analytique ſur l'air pur par Mr. DE LA METHERIE. 256
IX. Sulla formazione del Molibdeno di GIUL. CANDIDA. 264
X. *Chemiſche Annalen von* LORENZ CRELL. 1784. 1785. 266
XI. EIUSD. *Chemiſches Archiv 1ſter 2ter Band.* 299
XII. EIUSD. *neues chemiſches Archiv 1ſter 2ter 3ter 4ter Band.* 300
XIII. Conſtituzione della malattie regnate nella Citta di Mantoua, dal FELICE ASTI. 302
XIV. Nouveaux memoires de l'academie de Dijon 1783. Sem. I. 307
XV. Memoria TORB. BERGMANI auctore AURIVILIO. 319
XVI. Noua phyſico-medica. 360
XVII. Continuatio indicis librorum phyſico-medicorum, qui anno 1782 prodierunt. 366

COMMENTARII DE REBVS IN SCIENTIA NATVRALI ET MEDICINA GESTIS.



VOLVMINIS XXVIII. PARS III.

LIPSIAE, MDCCLXXXVI.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Londini apud Pr. Elmsly, Edinburgi apud Elph. Balfour, Lugd. Bat. ap. Fratres Luchtmann, Parisiis apud Barroi senior. Venetiis apud Io. Bapt. Pasquali, Milano apud Ios. Galeazzi, Augustae Taurinor. apud Laurent. Giraud, Florentiae apud Ios. Molini, Holmiae apud M. Swederum.


Jos: Banks

I.

Kongl. Vetenſkaps Academiens Nya Handlingar. Tom. VI. för Aor 1786.

i. e.

Noua Acta Ac. R. Sc. Suecicae Tom. VI. Ann. 1785. Holmiae ap. Ioh. Ge. Lange 1785. pag. 320. Tab. aen. X.

Trimeſtre I.

I. GUST. AD. LEIJONMARK, de *biquadraticarum aequationum radicibus* poſitiuis, negatiuis et imaginariis. Hic lemmata praemittit ad curuas ſecundi ordinis, quae ſe tangant aut ſecent, pertinentia. p. 1.

II. CAR. WILH. SCHEELE de *acido pomorum et baccarum*. Succus, quem praebent *Ribes groſſularia*, et omnes aliae baccae, quas examinauit, nihil acidi acetoſellae continent, nam ex aqua calcis nil praecipitant. Cum autem ſuccum illum creta ſaturaſſet, ſolutionem per filtrum cucurbitae immiſſam, igni impoſuiſſet, poſtquam ebullierat, ſedimentum album deſcendit. Quod pellucidi ſupererat, denuo filtratum, et rurſus ebulliens nullum ſedimentum demiſit, qua re ſuccus ille ſimilis eſt ſucco citri. Sedimento loto adfudit acidum vitrioli, et cryſtallos obtinuit, in omnibus iis ſimiles, quas praebet ſuccus citri. Pellucidum vero illud, quod prima vice ebulliens calcem citratam demiſerat, iam fuſci coloris, papyro ſucco heliotropii tinctae illitum, acidi copioſi indicia dedit, quod plurimum cretae diſſoluit, itaque ab acido citri diuerſum erat. Obtinuit vero ex pomis, tum maturis, tum immaturis, p. 18. p. 20.

turis, acidum, diuersum ab acido citri, quoniam creta saturatum, ebulliens nullum sedimentum deponit, sed filtratum spiritu vini adfuso, coagulatur. Id *pomorum acidum* vocat, quibus rebus differat a citri acido, et quibus in baccis maior sit copia vnius acidi vel alterius, prolixius enarrat. Dum acidum sacchari praeparatur, quod primo abscedit, antequam sacchari acidum prodeat, pomorum esse. Proxime ad pomorum acidum lactis.

p. 28. III. *Nouem vrticae species in Iamaica* reperit OL. SVARTZ, quarum descriptiones botanicas Baroni CLAUD. ALSTRÖMER misit, qui eas hic edit.

p. 37. IV. ANDR. SPARRMAN *quadraginta curculiones* depictos sistit, quos *in capite bonae spei* reperit. Eorum 31 omnino nouos, reliquorum alios nondum delineatos, alios a delineatis suae speciei ita variare, vt rursus delineasse non superfluum sit. *Curculionis* genus, cum proxime ad Attelabum accedat, vtriusque characteres exhibet, et qui curculiones LINNEO vocantur: *populi*, *betulae*, *Bacchus* et *cupreus*, eos ad Attelabos vult referri. Ita plura habet, quae ad ordinanda haec coleopterorum genera faciant.

p. 57. V. GUSTAVUS PAIKULL nouam describit *Phalaenam Tineam Betulinellam*. Laruas inuenit in *Boleto Betulino*, medio Maii 1784. Est: larua *16poda*, *alba*, *subpilosa*, *capite primoque segmento antice dilute brunneo*. Habitarunt in boletis, vtique labente tempore siccioribus, quos domum attulerat, prima die Iunii coeperunt serica texere, post abierunt in pupas, conicas, brunneas, nulla re prae aliis phalaenarum pupis notabiles. Prima phalaena emersit d. 23 Iunii, quam aliae sequutae sunt. Est *Phalaena: alis superioribus albidis*, *ferrugineo irroratis*, *maculisque sex nigris*, *margine exteriore*, *inferioribus cinereis*: Margo vndique ciliaris.

Ouula

Ouula parit parua, ex quibus mox erumpunt larvae hiemantes in boletis, proxima aeſtate magnitudinem perfectam attingunt et metamorphoſin ſubeunt. Phalaenam his omnino ſimilem cepit in ſylva initio Iulii, ſed maiorem, et alis ſuperioribus magis flaueſcentibus.

Forte quas ipſe educauerat, minus creuerunt in boletis ſiccioribus. Monet Entomologos, non ſaltim capienda et colligenda eſſe animalcula, ſed inprimis oeconomiam illorum et metamorphoſes obſeruandas.

VI. CAR. AXEL ARRHENIUS, ſubcenturio legionis tormentariae, agit de *inueſtiganda quantitate ſalis communis nitro admixti.* Soluit nitrum in aqua deſtillata, et inſtillat ſolutionem argenti, calx argenti, vnita acido ſalis, praecipitatur in lunam corneam; eſt vero praecipitati pondus proportionale ponderi ſalis, quoniam, vt BERGMANUS docuit *Opuſc. Chem. Vol. I. p.* 101, 134, partes conſtituentes ſalis et lunae corneae ſemper in eadem ratione ſunt. Paululum lunae corneae ſoluitur ab aqua ſolutioni adhibita, circiter pars milleſima aut $\frac{2}{1000}$ ponderis eius aquae, vnde parum erroris naſci poteſt. p. 61

VII. ARVID FAXE enarrat, *quibus morbis* laborarint recepti in *noſocomium claſſis regiae*, et quomodo morbi iſti ſe habuerint, decennio 1774-1783. p. 68.

Nautis in Suecia officia ſua in nauibus obeuntibus morbi maxime communes ſunt primo anni trimeſtri, febres pectorales (*Bruſtfieber*) et tuſſis catarrhalis, Aprili rheumatiſmi, Maio ſcorbutum et febris vernalis, Iunio febres catarrhales, etſi hae quolibet menſe graſſantur, Iulio febres inflammatoriae, Auguſto Diarrhoeae, Septembri febres autumnales et intermittentes vſque ad finem anni. p. 75

Trimeſtre ſecundum.

p. 80. I. ARWID FAXE pergit referre de *morbis in no-*
p. 85. *ſcomio nautico.* Intrarunt illud 1782, menſe Febr. intra octiduum, 33 viri, quibus tumor ſub mento, interdum ab vna aure ad alteram extendebatur, is non durus erat, ſedes eius erat in pinguedine, non multum incommodi creabat, in pinguioribus maior erat. Sub morbi initium ſentiebatur horror aliquis, quem ſequebatur febricula, plerumque cum die prima deſinens. Iam tumor naſcebatur ad collum, die 5 aut 7 paulatim altius adſcendebat, et ſimiliter decreſcendo euaneſcebat. Ab aëris influxu natum hunc tumorem maxillarem certum eſt, memoratu tamen dignum, nec ante hoc tempus, nec poſt, vel aëris vim ad hunc effectum producendum fuiſſe, vel corporum ad hunc morbum diſpoſitionem. Plura de ſcorbuto nautico, eiusque cum febre putrida nexu.

p. 94. II. ZACH. NORDMARK exhibet *vnitatis radices imaginarias* vsque ad gradum 10, incluſiue.

p. 115. III. I. A. RETZIUS deſcribit *Tetrodontem Molam* prope Landiſcronam Sueciae captum. Rarius eſt amphibium in mari Suecico, vbi tria ſaltim eius exemplaria noſter nouit. Imaginem exhibet, et eam, quae ex *Monti* delineatione exhibetur *im Hamburg. Magazine* Tom. 18, non ſatis exactam eſſe contendit. Breuis deſcriptio animalis eſt: T. M. *inermis, aſper, compreſſus, rotundatus, cauda breuiſſima rotundata, pinnis, dorſali analique annexa, ſpiraculis oualibus.*

p. 121. III. FAGRAEUS de *agrorum, quo culturae aptiſſimi ſint, magnitudine, figura, ſitu* tractat, inprimis geometria adhibita. Superficiem agrorum in formam cylindricam rotundari vult, vt et aqua melius defluat, et conuexa ſuperficies plantarum radicibus

bus ſpatium magis praebeat, quam ſubiecta baſis plana.

IV. CLAUD. FR. HORNSTED deſcribit et depingit *Lacertam Iauanenſem* inprimis pinna radiata ſuper caudam erecta notabilem, dorſo carinato dentato, dentibus lanceolatis circiter 70. p. 132.

V. SCHEELE de *ferro phoſphorato* et *ſale perlato*. Confirmat Meyeri et Klaprothii experimenta, et theoriam illis innixam, ferrum frigidum fragile id habere ab acido phoſphori admixto. Sali perlato, acidum phoſphori ineſſe negarat Cl. PROUST. SCHEELIUS vero repetens PROUSTII experimenta nihil aliud oſtendere, quam id: acetum aliquid alcali mineralis ſuperflui demere ſali perlato. p. 137.

VI. PET. IAC. HIELM edit tentamina *ex Magneſio obtinendi regulum*, et id fuſionis ope cum aliis metallis miſcendi. Methodum ex magneſio obtinendi regulum metallicum, ante decem annos Cl. GAHN cum amicis communicauerat, ſed exteris tentantibus non ſucceſſit, quod modum reductionis non ſatis intelligerent, et fluoribus vitreſcentibus vterentur, qui non apti ſunt metallo huic tam facile in vitrum abeunti. Proceſſum igitur perſpicue explicat noſter. Non coit Magneſium cum mercurio, difficulter cum zinco, ceterum ſatis bene cum aliis metallis, quae tentauit. p. 141.

VII. CLAUD. BIERKANDER *phalaenas duas* deſcribit, quarum laruae floribus ceraſorum et pomorum nocent. 1) Ph. prunella, quo nomine in *Fauna Suecica* appellatur, non reperiunda in Syſt. Nat. et FABRICII *Spec. Inſ.* Larua metamorphoſin ſub terra ſubitura filo ex arbore deſcendit, ita pendens deſtrui poteſt. 2) Ph. rectangulata. p. 156.

Trimeſtre tertium.

p. 159. I. LEIJONMARK pergit diſſerere *de radicibus aequationum cubicarum.*

p. 171. II. SCHEELE de *terra rhabarbari in pluribus vegetabilibus reperiunda.* Alphabetico ordine enarrat vegetabilia, alia, in quibus repererit eam terram, alia, in quibus non repererit. Comminutis vegetabilibus infuſum acidum ſalis digeſtioni expoſuit, deinde id alcali volatili cauſtico ſaturauit. Terra illa ſoluitur ab acido, et praecipitatur ab alcali.

p. 172. III. IDEM quaedam monet circa praeparationem *magneſiae albae.* Duplicem tunc contingere decompoſitionem, acidum vitrioli ſalis anglici vniri alcali vegetabili, ipſius autem alcali acidum aëreum iam liberum, Magneſiae. Sal neutrum, quod ſimul oritur, alcali vegetabile vitriolatum, reiicitur. Similis decompoſitio fit, magneſia, loco acidi vitrioli ſoluta in acido ſalis, niſi quod tamen oriatur alcali vegetabile ſalitum, etiam reiectaneum. Igitur ſale anglico, et ſale vulgari ſeparatim in aqua ſolutis, et mixtis ſolutionibus, acidum vitrioli ſalis anglici, iungitur alcali minerali ſalis vulgaris, et acidum ſalis, magneſiae. Ita habetur mixtura, continens alcali minerale vitriolatum, ſiue ſal Glauberi et magneſiam ſalitam. Antequam praecipitetur magneſia, ſeparari poteſt ſal Glauberi cryſtalliſatione. Id vero non ſuccedit niſi hieme, thermometro aliquot gradus infra punctum glaciale conſtituto. Modum procedendi vberius deſcribit.

p. 175. IV. ERIC. ODHELIUS M. D. Prof. adiunctus artis obſtetriciae Holmiae, *Monſtrum humanum* deſcribit et depinctum tradit. Carebat cerebro, neruis, corde et viſceribus nobilioribus, aderant vero caluaria, alia oſſa, genitalia, pedes et alia. Suſpicatur, maſſam hanc informem productam a duobus ouulis im-

impraegnatis, quae commixta ſe mutuo deſtruxerint. Si pro mola habeatur, ad maxime organicas pertinet, cum cutem habuerit, caua pectoris et abdominis, bene formata quaedam inteſtina, extremitates inferiores, et alia.

V. CAR. N. HELLENIUS, M. D. Prof. Oboenſis, deſcribit *vermem* habitantem in *hepate Gadi Lotae* (*Loke* Suecici). Nominatur illi *Taenia Lotae* inter taenias viſcerales referendus, proximus Hydatigenae, cui ſimillimus eſt. Figurae hepatis et vermis exhibentur. p. 180.

VI. SAMUEL OEDMANN deſcribit *Anatem Fuſcam* LINN. Suecis *Svärta*, eiusque Oeconomiam.

VII. GUSTAV PAIKULL deſcribit Laruam, quae abiit in phalaenam *Noctua Parthenias* dictam. Eſt 16poda, pilis rarioribus, viridis, albo tenue lineata, pedibus intermediis inaequalibus. Quas educavit illae nullis foliis niſi betulae veſci voluerunt, etſi LINNEUS in quercetis collocet. p. 196.

VIII. HENR. NICANDER quinta vice continuat theoriam *machinae hydraulicae ſpiralis Wirzianae.* p. 199.

IX. CAR. N. HELLENIUS deſcribit *Muſtelam Nivalem* LINN. ex animali, quod felis morſu occiſum habuit, et duabus pellibus. Differentiam ſpecificam ſtatuit, quod ſit *M. niualis*, cauda truncato-abbreviata corpori concolore. Eſt vero griſea aeſtate, tunc in ſyluis habitat, animalculis minoribus inprimis auiculis et ouis infeſta. Hieme alba fit, domus ruſticas frequentat, mures capiens, hinc ruſticis ſuperſtitio nata felices reddere apud quos habitat. Feles effugit ſub niue cuniculos effodiens, in quos felis ſequi nequit. Pellis emitur vſui, cui adhibetur pellis M. ermineae, et hac praeſtat, retinet enim colorem ſuum et non flaueſcit. p. 212.

X. GABRIEL DONSDORF auget *Lucani* genus *duabus nouis ſpeciebus Suecicis*, quarum vna eſt: *Pa-* p. 220.

rallelepipedus deſcriptus a LINN. S. N. XII. p. 561. n. 6. tanquam inſectum germanicum, altera nondum
p. 222. deſcripta: *Piceus* ater, glaber, ſtriatus, antennis, abdomine et pedibus piceis. Exhibetur figura. *Cerui* varietatem β. LINN. aſſerit ſexu differre nam ſaepius in coitu reperit, et nullibi ceruus habetur, vbi non ſit etiam illa varietas.

p. 224. XI. GUSTAV. PAIKULL deſcribit *nouam Phalaenam*, cui nomen: Tinea Grandaeuella. Laruam 8 Maii 1784 in quercu putri reperit, eſt: 16 poda, griſea, ſubpiloſa, capite ferrugineo, primo vltimoque ſegmento corneo ſubfuſco. Longitudine tunc erat linearum digiti Suecici decimalium 5. Nutriuit fruſtulis putribus quercinis; ex magnitudine laruae collegit, vixiſſe non ſaltim hyeme, quae praeceſſerat, ſed etiam parte aeſtatis anterioris. Perrexit autem veſci ligno, per totam hiemem ſequentem, et initio Martii 1785 longitudine erat 6 linearum, ex quo incremento adeo lento colligit, forte annum et plus vixiſſe, antequam eſſet reperta. Die 9. Maii abierat in pupam, conicam fuſcam, nihil memorabilis oſtendentem niſi quod vix dimidium repleret cavi, quod larua in fruſto ligni effoderat; vtrumque extremum adhaerebat ligno paucis filis griſeis, ceterum nihil texturae. Maii 29 exiit: Phalaena Tineae, alis ſuperioribus fuſco flaueſcentibus, linea curua, maculaque ouata, ſulphurea verſus apicem, inferioribus cinereis. *Grandaeuellam* vocat, quod tam diu larua vixerit.

p. 228. XII. IOH. L. ODHELIUS agit de *ſedi acris vſu externo*. Plantam recentem intra lapides comminutam, impoſuit vlceribus ſcorbuticis, eo effectu, vt non vlterius ſe extenderent, et ſuppuratione ad ſanationem praepararentur, idoneis remediis internis ſimul adhibitis. Inprimis hoc epithema ſedi acris profuit in tumoribus illis duris, ad genua, in

cruri-

cruribus et ſuris, qui ſcorbuti characterem principem conſtituunt huc vſque difficulter ſanabiles.

XIII. CAR. M. BLOM deſcribit *Tetraonem Tetricem feminam* L., quae colore a vulgaribus differt. Eſt princeps color ſuper totum corpus griſeus in albidum flexus (*lichtgrau*), fere vt columbarum ſylveſtrium, niſi quod magis albidus ſit. p. 230.

XIV. A. IO. HAGSTRÖM deſcribit *cariem in maxilla inferiore* quae feminae contigit ſine dubio ab obſtructione menſium. Separata eſt ſuppuratione, margo inferior maxillae inferioris cum eius labio interno et externo, ab vno maxillae angulo ad alterum, perimetro $5\frac{1}{4}$ digiti, latitudine $\frac{1}{2}$ dig. craſſitie partis decimae digiti. Vulnus ſanatum eſt, reſidua cicatrice non adeo magna. Nec vlla hinc difficultas, aperiendi os, attollendi os hyoides, et deglutiendi. p. 233.

XV. A. BIARKMANN plurium annorum obſervationes edit, de tempore, *quo glacies in mari* ſoluitur, ad litora parochiae *Ofvanſiö;* item quando *Cyprinus Brama propagationi operam dat.* Quod quidem his contingit, prima vice, cum glacies ſolvitur, altera, cum aqua puluere flauo tegitur, ſine dubio antherarum. p. 234.

Trimeſtre quartum.

I. LEIJONMARK de radicibus *aequationum biquadraticarum.* p. 239.

II. ERIC. PROSPERIN; 1775 egerat de *cometarum minima ab orbita terrae diſtantia*, et theoriam cometis tum ſatis cognitis applicauerat. Iam pergit eadem definire *pro cometis, qui decennio ſequente apparuerunt*, quorum vltimus eſt anni 1785, ſeptuageſimus primus eorum, quorum orbitae definitae ſunt. Simul agit de orbita eius, qui 1779 obſeruatus eſt. p. 274.

III.

p. 285. III. THOMAS BUGGE ex obſeruationibus, Hafniae Decembri 1783 inſtitutis, *Martis nodum adſcendentem* definit, et poſitum, quem obſeruationes oſtendunt, cum tabulis confert.

p. 290. IV. IO. CAR. WILKE *Preſterum* (*Waſſerhoſen, Wolkenzüge*) phaenomena quomodo imitetur aqua intra vas cylindrum in vortices acta, 1780 oſtenderat. Haec autem cum non faciant ad ipſa *meteora* explicanda, de horum cauſſis iam agit, et tantum non omnes quos ediderunt ſcriptores, non ſufficere ad phaenomena ſingula explicanda, prolixius monſtrat. Concludit, forte ad electricam vim recurrendum eſſe.

p. 307. V. SAMUEL OEDMANN deſcribit oeconomiam *Mergi Merganſeris*. Vulgare animal tamen non ſatis noſcitur. Syſtematici *Sexuum* diſcrimina in *ſpecies* diuiſerunt. OEDMAN has agnoſcit:

1) *Mergus Merganſer*, cuius femina eſt M. *Caſtor*; 2) M. *Serrator*; 3) M. *Cucullatus*; 4) M. *Albellus* cuius femina eſt M. *Minutus* LINN. Iam primae ſpeciei hos edit characteres. *Mas* cap. atrouiridi nitente, vix criſtato, collo niueo, dorſo cinereo, rectricibus niueis, remigibus anticis atris, pectore abdomineque flaueſcente, pedibus ruberrimis. *Fem.* Cinerea, c. criſtato rufeſcente, gula alba, alis ſpeculo albo, linea nigra diuiſo, pectore et abdomine flaueſcente, pedibus pallidis. Aliae harum auium oua in lapidibus ponunt, aliae in quercubus annoſis cauis. Oua interdum 14 edunt, plura, ſi caute aliqua ſubtrahantur. Pullos vix excluſos, nocte ex nido in quercubus, ad litus maris ſatis remotum portant, quod fieri cum obſeruatione conſtat, nemo tamen vidit, quomodo mater pullos teneros ita prehendat, vt roſtro dentibus armato non laedat. Sapor, a pinguedine ſubcutanea ingratiſſimus, ne quidem ablata pinguedine corrigitur, itaque non niſi

niſi plebs illis veſcitur, lautioris conditionis homines integumento pennis ditiſſimo vtuntur. Sapor ſine dubio inde naſcitur quod piſcibus veſcantur, inprimis mucoſis, vt Blennio viuiparo LINN. In mare aliquando OEDMANN reperit anguillam 18 digitos longam. Sine dubio vincendis his piſcibus dentes roſtri deſtinantur. Quae de vſu auium ad piſcaturam exercendam referuntur, vbi habitat noſter comprobata non vidit, et aucta ſaltim narratione exiſtimat.

II.

Diſſertationes medicae Edinburgenſes. Edinburgi apud Balfour et academiae typographos. 1782, 1783, 1784. 8.

Rarius in Germania inueniuntur diſſertationes Edinburgenſes ſingulae, eamque ob rem gratum fore putamus medicis, ſi quam fieri poteſt breviſſime, certiores de iis faciamus, quae in manus noſtras peruenerunt. Sequemur ergo annorum ſeriem:

1782. *Menſ.* (24) *Iun.*

1. *Diſſertatio medica exhibens cogitationes phyſiologicas de vita et viuificatione materiae humanum corpus conſtituentis — auctore* IOANN. THEODORO VAN DER KEMP, *Rotterodamo Batauo*, 24. *Iun. Edinburg. ap. Balfour et Smellie* 1782. 113 *pagg.* Abſoluitur omne opuſculum binis ſectionibus, quarum altera *vitam et principiis hominis praemiſſa generalia* exhibet, altera vero *vitam humani corporis* ſpeciatim ſiſtit. Vtraque variis capitibus complexus auctor eſt. *Cap.* 1. quaeritur *vitae in genere conſideratae notio diſtincta*, et, praeuia explicatione nominum, quid ſit viuens corpus, vita, mors et cadaver, p. 1.

p. 9. ver, *vita* eſſe creditur *facultas exercendi illas actio-*
nes, quae ad vnitatem ſyſtematis vnitatem appetentis
p. 10. *pertinent.* *Cap.* 2. oſtendit Noſter, ad conſtituen-
dum corpus, praeter materiam, requiri quoddam
vinculum, quo cohaereat, i. e. anima moleculas
p. 20. inter ſe copulans, *quae non tantum materiam mole-*
culae ſecundam coërceat, verum etiam pro eſſentiali
ſuo vnitatis appetitu ita organice diſponat, vt tota
molecula quam perfectiſſimum vnum conſtituat; hanc
vero *perfectiſſimam vnitatem* adeſſe ſtatuit, *vbi par-*
tium vires ita fuerint determinatae, vt coniunctae
effectum praeſtent, quo, habita cauſarum externarum
ratione, maior concipi non poteſt. Subiectum eſt
p. 22. cap. 2. *ſcholium, de demonſtranda definita materiae*
corporeae diuiſibilitate in atomos ſimplices et numero
definitas, methodo mathematica, quae medicos
p. 25. non moratur. *Cap.* 3. probatur contra materiali-
ſtas, mentem eſſe rem a materie corporea diuer-
ſam, hominemque viuentem conſiſtere ex corpore
p. 30. ac *principio quodam, quod vis motricis, qua corpus*
concitatur, fons eſt, et ſenſationum receptaculum.
p. 31. *Cap.* 4. ſiſtit triplex viuentis hominis principium,
p. 31. i. e. corpus, animam et animae vehiculum ſ. *ma-*
teriam quandam *corpoream, quae cum anima in ſub-*
ſtantiam multiformem, ne vnitis quidem viribus diſſol-
p. 33. *vendam, concreſcit.* Vnde efficitur *triplex vita cui-*
p. 34. *que propria*, et ſtatuitur, hoc vehiculum eſſe flui-
dum ſubtiliſſimum et mobiliſſimum, vitam vero
animae eſſe eſſentialem, vehiculi ſubſtantialem,
p. 35. corporis accidentalem. Sic tranſitur ad *ſectionem ſe-*
cundam, in qua vita humani corporis, vt effectus
et actionis principium, conſideratur, vt inde pateat,
hos omnes deberi vitae huius virtuti. Explicat er-
p. 37. go Noſter *cap.* 5. cauſam corporis viuentis, eamque
p. 41. a perfectione repetit; *cap.* 6. vitam corporis omnem
p. 59. in irritabilitate ponit; *cap.* 7. docet, materiei corpo-

ris

ris, i. e. ſecundum Noſtrum *ſtupendo numero formarum atomis corporeis nobiliorum*, ineſſe propenſionem quandam ad vitam perpetuandam, eamque contineri reſolutione ac attenuatione molecularum craſſiorum, eſſe vero *nutrimentum* et *ſemen*; *cap.* 8. ſtatuit, cauſam efficientem viuentis corporis eſſe animam, eamque in conſtruendo corpore vehiculo ſuo, tanquam inſtrumento, vti; *cap.* 9. recenſet conditiones, ſub quibus vita materiae humani corporis conciliatur, hucque refert calorem, humiditatem, preſſionem, aëris acceſſum et ſtimulos; *cap.* 10. tractat de effectibus huius vitae in ipſo corpore viuente, eosque dicit *calorem*, *turgeſcentiam*, *mollitiem*, *colorem*, *incorruptibilitatem*, *robur*, *harmoniam*, *ſympathiam* et *inſeparabilitatem a mente*; *cap.* 10. eſt *ſcholium*, quo *de determinanda notione caloris in genere agitur*. In ea opinione Noſter eſt, quod nemo alius ante eum vere definierit calorem. Ecce nouam definitionem! *Calor eſt abſtractum praedicatum corporis calidi, qua talis ſ. principium ſeparandi particulas.* Hactenus Noſter, qui methodum Wolfianam et medicinam Stahlianam, vtramque fere obſoletam, ſecutus eſt.

p. 62. p. 63. p. 65. p. 82. p. 86. p. 112.

2. *Diſſ. med. inaug. de eryſipelate, auctor.* GULIELM. GOURLAY, *Scoto.* 24 *lun.* 40 *pagg.* Collocandum eryſipelas Noſter putat in numero exanthematum, quia intra cutim et cuticulam ſedet, a contagio ſui generis oritur, et epidemice graſſatur, typho ſtipatum. Iam ſequitur *Hiſtoria morbi*, *diagnoſis*, *diſpoſitio*, quo pertinent muliebre corpus, calidum coelum regiones, ad auſtrum ſitae, *cauſae morbum excitantes*, *cauſa proxima*, quae dicitur ex parte eadem eſſe, quae inflammationis, *ſigna*, *morbi euentus*, *ratio medendi*, qua ſuadet Noſter diatheſin phlogiſticam tollere, debilitati occurrere, eamque vna cum putredine remouere. Inprimis laudat ex

p. 1. p. 3.

auctoritate Cl. *Aitken* epithemata calcarea. Cetera ſunt notiſſima.

3. *Diſſ. med. inaug. de melaena* — *auctore* HARPER HALL, *de inſula Barbada, a. d.* 24 *Iun.* 35 *pag.*

p. 8. Praeuia *definitione*, qua *melaena* eſſe dicitur ſanguinis vel materiae fuſcae nigerrimaeue vomitus vel deiectio ſine mariſcarum ſignis, additaque *diagnoſi*, ne quis melaenam cum epiſtaxi, haemoptyſi, vomitu cruento, dyſenteria vel bilioſa deiectione confun-

p. 11. dat, ſequitur *hiſtoria morbi*, qua eius ſigna ſcribuntur, primum appetitus proſtratus, vel faſtidium, flatus et ructus acidus, deinde dolor obtuſus, et oneris in ventriculo ſenſus, cephalalgia et vertigo, palpitatio et anxietas praecordiorum, deglutitio nonnumquam difficilis, ſpaſmi ſtomachi, ſingultus pertinax, nauſea et vomendi cupiditas, dolor ad regionem iecoris et lienis, poſt paroxyſmus frigidus, magna in hypochondrio ſiniſtro ſtrictura, maior anxietas, nauſea et vomitus ſanguinis fluidi vel coagulati, ſimilisque deiectio torminoſa, quantitate varia ad libram et amplius, vnde debilitas, pulſus debilis, frequens, inordinatus, frigus ſummum et pallor, ſudor frigidus, viſcidus, catholicus, haud

p. 14. raro ſyncope et mors, vel hydrops. *Cadauerum ſectiones* docuerunt, affecta eſſe abdominis viſcera, ventriculum, iecur et lienem ſcirrho tentatum, ſtomachum flatu diſtentum, gangraena affectum, cruore coagulato impletum, cuius color in inteſtinis nigrior, odor eſt ingratior et tenaciter manibus inhaerens, venas ventriculi tumidas vel palli-

p. 16. das. *Cauſa proxima*, quae ſub auctore Noſtro non eſt atra bilis veterum, vtpote ficta, (quam vere, viderint alii) nec putrefactio quaedam in liene facta, cum is ſemper reperiatur mollis in defunctis, neque bilis diu ſtagnata, ſed ſanguis in vaſis ventriculi vel inteſtinorum congeſtus, vnde

tan-

tandem fit exitus. *Cauſae remotae* ſunt, quae de- p. 23.
mum cunque res poſſunt debilitare haſce partes,
iisque obnoxiae prae ceteris mulieres ob vitam ſe-
dentariam et menſtruorum defectionem, item me-
lancholici. *Prognoſis* eo redit, vt magis pericli- p. 27.
tentur viri, quam feminae, fauſtior ſit idiopathica
melaena, quam ſymptomatica, facilior recidiua.
Prophylaxis iubet, obſtare principiis, ergo tollere p. 29.
plethorae incrementa quouis modo, ſtagnationem
et ſcirrhum ſubigere. *Methodus medendi* in eo con- p. 31.
ſiſtit, vt caueatur quaeuis actio corporis nimia, os
vaſis claudatur, et ſymptomatis vrgentibus occur-
ratur. Haec quidem recte et praeceptis therapiae
accommodate.

4. *Diſſ. med. inaug. de phthiſi pulmonali — auctore* GULIELMO CORP, *Anglo.* 24 *Iun.* 47 *pagg.* Ver-
ſatur Noſter in natura phthiſeos pulmonum inda-
ganda more ſolito, i. e. antecedunt *cauſae remotae*, p. 6.
hucque referuntur obſtructio et inflammatio, quae
ad gignendam phthiſin neceſſaria (?) ſit, haemoptoë,
pneumonia, catarrhus, exanthemata, ſcrophula,
metaſtaſis puris; (nonne etiam plures memorari et
poterant, et debebant?) Scribitur praeterea *pro-* p. 21.
greſſus morbi i. e. ſtadium triplex inflammationis,
debilitatis, putredinis colliquefacientis, puris ex-
ſcreatio et febris hectica, vere adeſſe phthiſin do-
cent. Explicatur *ratio medendi*, quae ſub primo
ſtadio debet opponi diatheſi phlogiſticae; ſub altero
praeter illam vires fulcire, irritamenta pulmonum
mitigare per emetica, corticem, ſpiritum vitrioli,
opium; ſub tertio putredini reſiſtere, corticis ac
opii liberali vſu, gummi arabico, aëre fixo, coelo
ſudo et ſereno.

5. *Diſſ. inaug. de aëre dephlogiſticato — auctore* IONATHAN. STOKES, *Anglo, a. d.* 24 *Iun.* 40 *pag.*
Siſtit Noſter *tabulam aërum ſynopticam ex diſtribu-* p. 7.

tione chemica, ita quidem vt via per classes fiat. In *classe* 1. sunt aëres salini, i. e. acidi et alcalini, in
p. 8. *classe* 2. aëres inflammabiles, in *cl.* 3. aëres stricte
p. 10. dicti, i. e. noxius et respirabilis, quo etiam pertinet
p. 11. *aër dephlogisticatus*. Huius explicantur synonyma, origo, vires, addita calcinatione metallorum, vt,
p. 0. quae eius vera natura sit, pateat. Iam agitur *de respiratione*, et phaenomena cruoris secutura docentur. Negat Noster, molis diminutionem ab aëris phlogisticati, inflammabilis aut fixi liberatione fieri, colorem sanguinis venosi atro-purpurei ab aëre inflammabili vel fixo deriuari posse, hypotheses de ortu aëris fixi fixas et certas esse, hunc ope cuiusuis inflammabilis ab aëre atmosphaerico praecipitari, certum esse eius ortum ab bronchiorum superficie, sanguine vel aëre atmosphaerico, portionem aëris phlogisticati e sanguine extricari, cum maxima pars in aëre atmosphaerico reperiatur; con-
p. 34. tendit vero, probabilius dici, aërem dephlogisticatum a sanguine ipso inter respirandum sorberi, simulque portionem aëris phlogisticati et fixi fere aequalem e sanguine vel superficie bronchiorum liberatam esse. Hinc repetit ab aëre dephlogisticato
p. 38. sorpto colorem sanguinis arterioſi coccineum, hunc-que valentissimum ad excitandam submersorum vel suffocatorum vitam remedium existimat. Pauca
p. 39. subiiciuntur *de vegetatione plantarum*, quae in aëre phlogisticato et impuro crescunt. Hinc quo plus aëris planta consumit, eo purior animalibus fit aër, et quo frequentior spiratio animantis, eo vberior cibus vegetabilium.

6. *Diss. med. inaug. de typho grauiore petechiali — auctore* GEORG. PATON, *Scoto, a. d.* 24 *Iun.* 38 *pagg.*
p. 2. Exprimuntur *Historia morbi*, *diagnosis*, quae intra
p. 5. signa boni vel mali euentus continetur, *causae remotae*
p. 7. i. e. effluuia corporum, contagia, aër humidus et cali-

calidus transſpiratio ſuppreſſa, *cauſa proxima*, quam occultam eſſe ſtatuit, *quorundam ſignorum ratio*, i. e. explicatio breuis doloris capitis, affectionum viſus et auditus, peticularum, delirii, diarrhoeae ac haemorrhagiarum, *prophylaxis*, quae ſuadet cauere, ne contagio in corpus recipiatur, et nocere poſſit; *ratio medendi*, qua debet arceri ſpaſmus vaſorum extremorum; impetus ſanguinis minui, vigor corporis conſeruari, putredo humorum corrigi, idque primum generatim, deinde ſingulatim docetur, quin ipſum opium commendatur. p. 9. p. 10. p. 12. p. 14.

7. *Diſſ. med. inaug. quaedam de morbis mammarum complectens* — *auctore* EDUARD. HART, *Hiberno a. d.* 24 *Iun.* 36 *pagg.* Conſtat opella ſeptem capitibus, de ſtructura mammarum, lactis ſecretione poſt partum, cura mulierum, quae prolem lactare velint, vel nolint, abſceſſibus poſt partum, ſcirrho et cancro mammarum, denique de cura papillarum. Sterilis ager eſt, quem Noſter aravit, certe melius excolendus, niſi caſſus labor eſſe debeat.

8. *Diſſ. med. inaug. de plethora* — auctore RADULPHO FENWICK, *Anglo, a. d.* 24 *Iun.* 23 *pag.* Deſcripſit Noſter primo capite, quid ſit plethora, altero dedit cauſas, tertio effectus recenſuit, ſed ruditer omnia, falſe multa, ieiune plurima.

9. *Diſſ. med. inaug. de menorrhagia* — auctore ANDREA SAYERS, *Hiberno*, *a. d.* 24 *Iun.* 32 *pagg.* Exhibetur definitio menorrhagiae, i. e. copioſi ſanguinis e genitalibus fluoris, hiſtoria, diagnoſis, cauſae praediſponentes et occaſionales, cauſa proxima, quae ab laxitate vel debilitate vaſorum vteri repetitur, prognoſis, methodus medendi, qua ſanguinis fluor praeſens ſiſti, futurus prohiberi debet.

1782.

10. *Diſſ. med. inaug. de tuenda ſalute militum* — auctore ANDREA MARSHALL, *Scoto, a. d.* 12 *Sept.* 52 *pagg.* Videtur Noſter multis voluiſſe explicare, quae ad valetudinem militis conſeruandam pertinent, ideoque agit *cap.* 1. *de victu cohortis*, ac more ſolito quaedam alimentorum genera multis memorauit, at vero progreſſus ad pag. 48. inſperato ſermonem abrupit, cauſatus, ſe fragmentum, non opus integrum tentaſſe. Bellus mehercle homo eſt. Sub finem laudat, ne forte, cum materies ſcribendi deeſſet, plagulae vacuae eſſent, inſtitutum ſanitatis cohortis Glaſguenſis, laudat *Cullenum, Io. Stedmanum, Io. Hope, Iacob. Gregoryum, Dav. Pitcarnium, Guil. Cruikſhankium* et *Io. Hunterum*. Gratus et liberalis homo eſt!

p. 4.

p. 49.

11. *Diſſ. med inaug. de catarrho* — auctore HENRICO GARDE, *Hiberno, a. d.* 12 *Sept.* 28 *pagg.* Deſcribit Noſter ſub hoc nomine *catarrhum inflammatorium, applicatione frigoris ortum et vulgarem*, modo hac in academia ſueto et recepto, i. e. ſcribuntur *hiſtoria morbi, definitio*, ſecundum *Cullenium, diagnoſis*, qua diſcerni morbus a phthiſi debet, (hinc etiam *Darwini* experimenta repetita) et a pertuſſi, *cauſae remotae, cauſa proxima, ratio ſymptomatum, prognoſis, ratio medendi*, quae in eo ponitur, vt diatheſis phlogiſtica tollatur, aditus humorum ad partes internas prohibeatur, ſymptomata vrgentia mitigentur. In his nihil memorabile nobis viſum eſt, niſi hoc, quod ad exemplum Cl. HOPE cucurbitulas cruentas pectori dolenti ſuperhaberi iubet.

12. *Diſſ. med. inaug. de mutatione febrium e tempore Sydenhami et curatione earum idonea*, — auctore IACOBO HUTCHINSON, *Britanno, a. d.* 12 *Sept.* 46 *pagg.* Non male rem ſuam perfecit, vtpote curio-

curioſam et ſcitu dignam, cum, experientia magiſtra, multae res poſſint efficere, vt morbi vel novi incidant, vel veteres quodammodo immutentur. Conſtat ſcriptio docta binis capitibus, *primo* memorantur *febres*, quales *tempore* SYDENHAMI *fue-* p. 7.
runt, ad ductum epidemicarum conſtitutionum. Ex hoc recenſu colligitur, febres priſtini ſeculi longe alias fuiſſe, ac nunc in Britannia, quippe illae erant omnes omnino inflammatoriae, ſine notis debilitatis, animi deliquii, peticularum, haemorrhagiae putridae, flatus et excretionis foetidae, idque ob conſtitutionem corporis longe firmiorem. Subduntur ſimiliter *febres*, *quales hodie ſunt*, vnde pa- p. 13.
tet, *ſynocham inflammatoriam* et rarius fieri, et cum paucioribus inflammationis ſignis copulari, et ſine ſanguinis detractione fere auferri; crebrius incidere apud Britannos *ſynochum*, qui ſub initio inflamma- p. 14.
tionem mentitur, et paucis diebus interiectis, typum typhi aemulatur, praeterea *typhum febremue* p. 15.
neruoſam, quae hic curate deſcribitur, et liquando ſigna putredinis oſtendit. Tunc *febris putrida* p. 17.
appellatur. Erant ergo febres illorum temporum p. 18.
ſine contagione, at quae hodie fiunt, vt plurimum cum contagione. Illae ſine notis debilitatis et putredinis, hae vero quam maxime; Illae ceſſerunt vacuantibus, hae vero ſic exacerbantur. Praeterea explicantur *cauſae*, *quibus mutatio debet tribui*, p. 19.
nominanturque potus theae et coffeae, vſus nicotianae varius, liquoris ſpirituoſi abuſus, victus vegetabilis, amplitudo et multitudo oppidorum, et luxuria communis, ſed plurimum contuliſſe, ſub auctore Noſtro, videtur theae et coffeae infuſio. Quibus praemiſſis, *cap.* 2. docetur breuiter *curatio* p. 39.
febrium idonea, nimirum ſynochae, ſynochi et typhi.

13. *Diſſ. med. inaug. de pneumonia* — auctore IACOBO FORSYTHE, *Hiberno, a. d.* 12 *Sept.* 28 *pagg.* Notatur hoc nomine, vt ex praefixa Cl. CULLEN definitione patet, quisque dolor pectoris febrilis, et deſcribitur more ſolito, i. e. adferendo hiſtoriam morbi, diagnoſin, cauſas remotas, locales praediſponentes, quo refert Noſter anguſtiam thoracis et ſcirrhos pulmonis, tandem occaſionales, et proxi-
p. 16. mam, quam dicit ſpaſmum externarum arteriarum, actionem auctam ſuſtinentem, fines, puta per reſolutionem, ſuppurationem, gangraenam et ſanguinis effuſionem, prognoſin et curationem. In quibus nihil eſt, quod memorabile vel inauditum in Germania putemus.

14. *Diſſ. med. inaug. pauca de mente et eius in corpus effectibus exponens — auctore* PHILIPPO HOLLAND, *Anglo, d.* 12 *Sept.* 35 *pagg.* Percenſet Noſter breuiſſimis *cap.* 1. ſenſus effectus, *cap.* 2. effectus ex intellectus exercitio oriundos, *cap.* 3. effectus variarum voluntatis modificationum, i. e. ſpem, cupiditatem, timorem et deſperationem. Sed quia haec Noſter ipſe tribuit Cl. CULLENIO, non attinet res notas repetere.

15. *Diſſ. med. inaug. de febre puerperarum — auctore* THOM. EVORY, *Hiberno, a. d.* 12 *Sept.* 46 *pagg.* Siſtuntur *hiſtoria morbi* et *ſectiones cadaverum*, vnde confirmatur notiſſima morbi ad omentum, inteſtina et peritonaeum ſedes, *cauſae remotae*, i. e. grauiditas et partus, *natura morbi*, i. e. memorando cauſas, quae paſſim noxas attulerunt, nempe lochia ſuppreſſa, lactis depoſitionem, vterum inflammatum, contagionem ſui generis, quam Cl. YOUNG aſſumit, aërem putridum et rem putridam nominat, eryſipelas, *Hulmii* et *Whitii* opinionem,
p. 31. ita tamen, vt potior Noſtro videatur vltima. Statuit enim, compoſiturus litem, febris naturam non

non ſemper eandem eſſe, modo ſynocham, modo typhum, dolorem vero abdominis ab inflammatione cuiusque partis ortum pro ſigno idiopathico habendum. Iam exhibetur *ratio ſymptomatum*, i. e. p. 34. abdominis tumor, quem ab lympha ſtagnante repetit Noſter, vomitus ſubuiridis materiae, quem huic febri minime proprium eſſe cenſet, ſpiratio difficilis, quae debetur dolori abdominis, vires ſubito collapſae, ob inflammationem et foedam colluuiem ſcilicet, dolor ceſſans, ob gangraenam; *diagnoſis*, quae facilis eſt, *prognoſis*, qua plu- p. 37. rimae feminae morbo oppreſſae dicuntur, denique *medendi ratio*, quae ad dolorem et ſympto- p. 39. mata valet. In his reiiciuntur venae ſectio, epiſpaſtica, camphora, commendantur cathartica, refrigerantia, vinum, cortex, opium, emetica et cataplaſmata cenſentur media, ad vomitum poſt purgationem ventriculi laudatur mixtura Riverii, ad diarrhoeam rebellem lotio alui ex amylo, aëre fixo vel aqua tepida.

16. *Diſſ. med. inaug. de cynanche typho*, — *auctore* GEORGIO DANIELL, *Anglo*, *a. d.* 12 *Sept.* 40 *pagg.* Curate pingitur diri et contagioſi morbi facies ad exemplum *Mercati* et *Fothergillii*, memorantur *cauſae remotae*, eaeque notae, vna cum reprobatione dierum decretoriorum, ſed argumenta eius non ſatis certa ſunt, *prognoſis* et *curatio*, quam febri et viribus augendis accommodat. Diſſuadet tamen acida ſumenda, lotionem corporis acidam damnat, vt inanem et noxiam, laudat vinum, potionem e ſaccharo tenuem, corticem, prae ceteris aethera, relinquit in medio camphoram. Quae vero an noua et inaudita in noſtris terris ſint, vt Noſtro videtur, valde dubitamus.

17. *Diſſ. med. inaug. de affectibus animi* — *auctore* DAN. BRYAN, *Hiberno*, *a. d.* 12 *Sept.*

38 *pagg.* Argumentum hoc de motibus animi
p. 9. duabus partibus continetur. Agit prima *de effectibus, quos affectus animi in corpus humanum edunt*, i. e. docet, quaenam ſit ſingularum perturbationum
p. 32. in corpus vis et poteſtas; altera vero oſtendit, *quatenus in morbis inferendis vel tollendis valeant animi affectus*, i. e. ratione ac vſu confirmatur commodum vel incommodum, exinde in corpus redundaturum.

18. *Diſſ. med. inaug. de ſyncope* — *auctore* IACOBO HARE, *Scoto, a. d.* 12 *Sept.* 56 *pagg.* Non mediocriter in hac materie verſatus eſt Noſter, et parum reliquit, quod ſcitu vel memoratu dignum videretur. Anteit *ſyncopes* triſtis, ſed fida *imago*; quam
p. 8. 9. *ſynonyma* excipiunt; ſequitur *diagnoſis*, vt in pri-
p. 11. mis a ſpaſmodicis morbis internoſcatur; *cauſa proxima*, quam in corde latere negat, magis in cerebro ait, cum phaenomena morbi hoc ſatis doceant;
p. 15. *ratio ſymptomatum*, i. e. explicatio ſudoris, vomitus, palloris, anxietatis, cardialgiae, palpitatio-
p. 19. nis; *cauſae excitantes*, quo refertur, quicquid nervos vehementer afficit, ergo et contagio, res putridae, narcotica, animi motus, irritamenta, inprimis ventriculi ac inteſtinorum, languor et fames,
p. 35. vacuatio nimia, turbata cordis actio, *cauſae praediſponentes*, i. e. debilitas et mobilitas neruorum;
p. 37. *prognoſis*, quae cauſis et effectibus rite aptatur, ſed dubia relinquitur, negante tamen Noſtro coagulum ſanguinis ſub ſyncope, vtpote contrarium
p. 40. *Hewſoni* experimentis; *methodus medendi*, qua tolli morbus praeſens debet, futurus auerti. In his re-
p. 44. mediis eminet frictio, aduerſa eſt venae ſectio; *prophylaxis*, quae fit euitando cauſas excitantes, corrigendo praediſponentes. Sub calcem leguntur
p. 48. *notae*, quibus quaedam ante dicta contra aliter ſentientes defenduntur. Negat Noſter contra SAU-

VAGE-

VAGESIUM, ſyncopen ſpaſmorum numero habendam eſſe, hiſtoriam, quae in *Obſ. Med. Lond. T. I.* reperitur, aliter explicari et poſſe, et debere, quamcunque materiem, vaſis abſorbentibus vel lacteis receptam, cor poſſe afficere, dubiam eſſe, immo inutilem quaeſtionem, quomodo fibrae muſculorum relaxatae agant in vi cerebri imminuenda, neruos cordis compreſſos poſſe idem efficere, theoriam *Whyttii* magis probabilem, quam veram eſſe, concretiones ſanguinis poſt mortem demum videri ortas, prodeſſe lotiones alui ex aromaticis vel cardiacis, ſperni debere eas, quae ex fumo tabaci conſtant, frigus in auferenda ſyncope ſtimulando agere, minime adſtringendo.

19. *Tentamen inaug. quosdam aëris in corpus humanum effectus amplectens — auctore* SAMUEL DE BUTTS, *Hiberno, a. d.* 12 *Sept.* 41 *pagg.* Eſt bona repetitio phyſicarum aëris dotum, puta grauitatis, elateris, qualitatum, et leuis quaedam ad pathologiam applicatio.

20. *Diſſ. med. inaug. de rheumatiſmo — auctore* RICARDO VAUGHAN, *Anglo, a. d.* 12 *Sept.* 27 *pag.* Siſtit fidam rheumatiſmi adumbrationem, ſub forma huic ſcholae propria, ſecundum Cl. CULLENII praecepta. Nam plurimae diſputationes Edinburgenſes ſiſtunt meram notiſſimarum rerum compilationem.

1783. *Menſe* (12) *Iunio.*

1. *Tentamen philoſophico-medicum de electricitate — auctore* ABRAHAM WITKINSON, *Britanno, 61 pagg.* Opuſculum doctum, etſi ſola compilatione conſtat, duabus abſoluitur partibus, quarum prima explicat *phaenomena electricitatis et naturam*, p. 7. ex placitis optimorum ſcriptorum, altera exhibet

p. 43. *electricitatem medicam*, i. e. recenſum morborum, quos ſic curatos eſſe viri ſummi contendunt; ſunt vero hoc ex numero febres intermittentes, amauroſis, ophthalmia, fiſtula lacrumalis, angina, rheumatiſmus, ſciatica, odontalgia, podagra, paralyſis, tremor, tetanus, chorea ſ. Viti, triſmus, iſchuria, amenorrhoea, dyſphagia, contractiones muſculorum, excretio taeniae, raucedo, contuſiones et diſtenſiones artuum, tandem tumores cancroſi, et narrantur omnia ex fide auctorum.

2. *Diſſ. med. inaug. de tetano — auctore* GULIELMO MUNRO, *Scoto*, 66 *pagg.* Congeſſit Noſter quidquid hoc de morbo vndiquaque dictum et ſcriptum eſt. Laudat ad vim morbi ſpiritum aethereum vitrioli ex teſtimonio Cl. GILPIN, medici Grenadenſis, piſſelaeum Barbadenſe, binis horis per cochlearia datum, ex ore CULLENII, cicutam ex fide IOANNIS HUNTERI. Ergo mera eſt compilatio.

3. *Diſſ. med. inaug. de malo hypochondriaco — auctore* IOANNE STARK, *Fifano*, 55 *pagg.* Definit Noſter hypochondriaſin ſub magiſtro CULLENIO per *dyſpepſiam cum anxietate, moeſtitia et metu ex rebus parum valentibus, plerumque in temperamento melancholico*, et explicat morbum more illinc re-
p. 8. cepto. Putat, eum interdum per periodos venire
p. 12. ac decedere, ſemperque copulatum cum melan-
p. 27. cholia (?) eſſe, torporem habendum pro cauſa proxima, at vero medendi ratio, quam ſcribit, non ſufficit explanandis et tollendis ſymptomatis.

4. *Diſſ. med. inaug. de amenorrhoea — auctore* ROBERTO HARDING, *Hiberno*, 43 *pagg.* Expreſſit Noſter imaginem huius morbi fideliter, ſed
p. 19. parum eſt, quod inde excerpamus. Statuit, ob-
p. 23. ſtructionem menſium oriri ab impedita ouarii ſecre-
p. 33. tione per ſpaſmos extremorum vteri vaſorum, epilepſiam vero ab neruorum cerebri mobilitate, venae

ſectio-

sectionem caute quidem et in brachio adhibendam, p. 34.
vesicas calida aqua et furfure repletas inguinibus su- p. 37.
perhabendas ex GUIL. HUNTERI consilio, reiicien- p. 38.
dum emeticum, opium etiam, nisi ab animi motu sit p. 40.
suppressio, negligendas cantharidas, mercurium p. 42.
aliquot diebus ante, quam fluor venire debuit, exhibendum, spernenda emmenagoga et ipsum melampodium, commendandam haud raro *venerem*, sed tunc, sub auctore Nostro, *medico iubenti largo opus est capillamento, ingenti baculo, aureaque tabaci theca*, quae iuueni (puto) desunt. Ecce decorum medici Edinburgensis.

5. *Diss. med. inaug. de iis, quae ad sanitatem conseruandam plurimum conferre videntur* — *auctore* CHRISTOPHORO STANGER, *Anglo*, 37 *pagg.* Recensentur quaedam alimentorum genera, potus, exercitatio, aër, affectus animi, secretio, somnus, vestitus, mundities, consuetudo, et quid quaeque res valeat ad valetudinem vel conseruandam, vel prosternendam, breuiter explicatur.

6. *Diss. med. inaug. de contagione* — auctore HUG. OWEN, *Cambro-Britanno*, 47 *pagg.* Hoc sibi sumsit Noster, vt causas febris fictas refellat, verioremque aliam tradere aggrediatur. Negat p. 6.
ergo, talem febris causam esse frigus, quia potius p. 10.
aduersatur, defatigationem, cibum et potum ni- p. 11.
mium, venerem immoderatam, motus animi, at- p. 13.
mosphaerae mutationem et miasmata palustria, re- p. 15.
linquit ergo solam *potestatem nociuam*, i. e. *contagionem specificam, ab corporibus hominum proficiscentem, quae sanis applicata similem morbum progignit.* Scribuntur ergo notae febris a contagione, quod p. 16.
crebrius incidat ab commercio sanorum cum infectis, vtplurimum affectet eos, qui sese inuicem inuisunt, vel gregatim veniunt, vagetur in iis locis, vbi in angusto spatio multa hominum turba est, vel in naui-

nauibus hominum copia nobilibus, et vberius exem-
p. 22. plis confirmantur. Hinc fit concluſio, hanc cauſam eſſe fontem febris continuae communem, ce-
p. 23. teras vero fictas. Iam inquiritur in originem contagionis, negaturque, hanc fieri ab putredine vel
p. 31. effluuiis humanis (?), ſed vbi quaeritur, *qua ratione ac vnde in noſtrum terrarum orbem peruenerit*, reſpondet Noſter, *opificem rerum omnipotentem et ſapientem originem eius tenebris inacceſſis obtexiſſe, generatam fuiſſe hanc vel ab ortu mundi, vel ſaltem ante actorum annales*. Hem, quam bene ac docte! Ergo caſſa Noſtri opera eſt, qui, promiſſoris magni more, multa pollicetur, ſed nihil praeſtare poteſt.
p. 32. Ex his concluditur, facillimo negotio poſſe febrem in exilium mitti, peſtilentiam ab Europa arceri, noſocomia et naues a contagio liberari, modo infecti non recipiantur. Hem, quam noue ac ſapien-
p. 32. ter! Sequitur modus, quo contagionis progreſſus declinetur, contineturque ille quidem aëre, contactu rerum vel hominum infectorum, et fomite.
p. 38. Sub calcem iterum negatur, ſeminia febrilia debilitate non conſiſtere.

7. *Diſſ. med. inaug. de menſibus paucisque morborum ab eorum vitiis pendentium* — auctore IACOBO
p. 9. FRID. MARTLEY, *Hiberno*, 42 *pagg.* Contendit Noſter, cauſas menſium, adhuc ab auctoribus memoratas, nequaquam ſufficere ad rem explicandam.
p. 13. In his paullo inſolentior ea eſt, quam Cl. EMMET propoſuit, nempe ſanguis ab turgeſcentia ſub coi-
p. 19. tus appetitu ſtagnans in vtero. Refert etiam Noſter tres menſium impeditorum ſpecies, emanſionem, ſuppreſſionem et fluorem difficilem, ſymptomata cuiusque, remedia, cauſae. Sed haec lippis et tonſoribus noſtris ſatis nota.

8. *Diſſ. med. inaug. de ictero* — auctore IOANNE MURPHY, *Hiberno*, 38 *pagg.* Perſecutus eſt Noſter

ſter icterum, more tyronum Edinburgenſium, hiſtoriam morbi, cauſam proximam, cauſas remotas, ſymptomata, diagnoſin, prognoſin et medendi rationem memorans, ſed nihil ſcripſit, quod memorabile videatur.

9. *Diſſ. inaug. med. de ſcorbuto* — auctore RICHARDO KIERNAN, 35 *pagg.* Diſtribuit Noſter ſcorbutum in tria ſtadia, quorum primum nobilitatur laſſitudine inſolita et debilitate, tumore ac pruritu gingiuarum liuidarum, ſpongioſarum et fungoſarum, halitu graueolente, maculis cutis, praeſertim tibiae ac cruris, liuidis; alterum tumoribus membrorum, cum maxime genuum, liuidis et dolentibus, dolore pectoris ingraueſcente, motu corporis difficili; tertium haemorrhagiis oris, narium, ani, dentium caſu, veteris vlceris apertura foeda, ſungorum prouentu, clauſula vitae per hydropem, icterum vel phthiſin, poſt mortem vero ſolutione epiphyſium et cartilaginum, effuſione ſanguinis in tela celluloſa, muſculorum rigiditate ac putredine ſolita. Iam ſcribuntur *definitio morbi, diagnoſis, cauſae remotae*, i. e. debilitas et triſtitia, cauſae excitantes, i. e. cibi inopia, vel prauitas, frigus et humidum, deſidia, animi motus ſubito deprimentes, tandem *curatio* his tollendis apta. Subiicitur *cauſa proxima*, quam Noſter in totius corporis, praeſertim ventriculi, debilitate ponit, indeque repetit ſymptomata, variis in ſtadiis obſeruata; *prognoſis* et *curatio*, ſed haec iterum lippis et tonſoribus nota. p. 2. p. 6. p. 24.

10. *Tentamen med. inaug. de typho* — auctore THOMA WALLER, *Britanno*, 36 *pagg.* Explicat Noſter typhum, ſed vulgariter, theoriam febris ex CULLENII praeceptis ſcribit, inter remedia memorat corticem rubrum; cetera centies recocta ſunt. p. 32.

11. *Diſſ.*

11. *Diſſ. med. inaug. de aſcite* — auctore IACOBO
p. 1. NASMYTH, *Scoto*, 20 *pagg.* Credit Noſter, aſci-
p. 8. ten eſſe progeniem vitiorum ſeculi et vix ſanabilem,
p. 14. cauſam proximam ſtatuit exhalationem auctam vel ſorptionem imminutam, et medendi viam eam commendat, quae vires tonumue corpori reddat, humoremque vacuet. Prius faciunt cortex et mars, vinum, exercitatio, poſterius vero cathartica, diuretica, diaphoretica, emetica.

Menſe (12) *Septembri.*

12. *Diſſ. phyſico medica de ſonis et auditu*, auctore EDMUNDO SOMERS, *Hiberno*, 35 *pagg.* Conſtat diſſertatio quatuor capitibus. Primum agit *de ſono eiusque propagatione* (phyſice), alterum *de auris humanae ſtructura* (anatomice, ſed imperfecte), tertium *de auditu vel modo, quo ſoni a nobis percipiuntur*, (breuiter, ita tamen, vt aquae labyrinthi vim attribuat vltimam neruulos feriendi ac tremulum motum ad cerebrum vſque prouehendi, immo vero doctam diiudicandarum fidium aurem ab magnitudine et figura labyrinthi diuerſa repetit); quartum *de quibusdam auditus vitiis*, ſed ieiune.

13. *Tentamen med. inaug. de ſomno* — auctore
p. 1. STEPHANO DICKSON, *Hiberno*, 37 *pagg.* Verſatur Noſter vnice in ſomno naturali, ſed ita, vt meminiſſe videatur illius Ciceroniani, fronte libelli affixi: *Quid melius, quam in mediis vitae laboribus*
p. 6. *obdormiſcere?* Scribendi genus enim tam horridum eſt, vt *auctori doleat haſce paginas* tam *feſtinato ſcri-*
p. 25. *ptas, confeſtim publici iuris facere.* Sequuntur ad calcem *notae probationibus ſtabilientes quaedam in praecedente tentamine affirmata*, ſed quae melius erat omittere. Noſter enim variis tentaminibus ſcilicet certior factus eſt, pulſum dormientium eſſe len-

lentiorem, negat, corpus aut animum in perfecto ſomno et in perfecta apoplexia a voluntate regi, ait, calorem minui etc. Sit ergo Noſtro poſt gradum Doctoris ſemper ſomnus facilis!

14. *Diſſ. med. inaug. amplectens quaedam de vtero grauido* — auctore BENIAMINO KISSAM, *Americano*, 35 *pagg.* In anatomica partium deſcriptione ineſt parum de circuitu directo inter matrem et fetum, de grauiditatis ſequelis, de cura grauidae, ſed deſiderantur, quae iure ineſſe putes. Eſt ergo haec ſcriptio vna ex pluribus. p. 1. p. 21. p. 29

15. *Diſſ. med. inaug de ſomno* — auctore ROBERTO CLEGHORN, *Scoto*, 51 *pagg.* Haud levis de ſomno libellus eſt, qui quatuor capitibus conſtat. 1. *Phaenomena ſomni.* Imago fideliter expreſſa. 2. *Cauſae ſomni.* Memorantur impreſſiones nullae vel leues, deſideria expleta dolorque decedens, relaxantia quaeque. 3. *Effectus ſomni.* Dicuntur in eo conſiſtere, quod ſenſus res externas fere non capiant, mobilitas muſculorum minuatur, et quaeuis ſecretio etc. 4. *Cauſa proxima ſomni.* Hanc Noſter ex CULLENII auctoritate collapſum vel immobilitatem ſumendam ſuadet. Sub finem adduntur pauca et manca *de ſomniis*, quae definiri non poſſe et ſperni debere creduntur. p. 3. p. 6. p. 16. p. 27. p. 33.

16. *Diſſ. med. inaug. de hydrope* — auctore ARTHURO GRANT ROBERTSON, *Antiguenſi*, 33 *pagg.* Dicit Noſter, *hoc ſumma feſtinatione finitum opuſculum*, et recte: Nam nihil intus eſt, quod memorabile putes. Praeſtabat ergo, honores ſine feſtinata opella ambire. p. 33.

17. *Tentamen phyſicum inaug. quaedam de euaporatione complectens*, auctore IACOBO PATERSON, *Britanno*, 52 *pagg.* Abſoluitur libellus tribus capitibus. Primum agit *de euaporationis theoriis diverſis*, puta NIEUWENTYTI, WALLISI, CARTESII, p. 7.

SII, DESAGULIERI, HALLAEI et BLACKII, ſubiuncta quadam ſententia propria, qua vaporatio dicitur eſſe proceſſus duplex, ad ſolutionem aquae
p. 34. in aëre neceſſarius. Alterum caput inſcribitur *de quantitate aquae in aërem exhalata*, quae immenſa eſſe dicitur, et nos in oceano viuere videmur, ſi auctori credimus. Tertium verſatur in explican-
p. 38. dis *quibusdam euaporationis effectibus*. Sunt vero frigoris notabilis generatio, ebullitio, nubium formatura, grandinem, nebulas, ros, pruinam et fluminum ortum complexa.

18. *Diſſ. med inaug. de hyſteria* — auctore ROBERTO GROAT, *Britanno*, 49 *pagg.* Decurrit commodo diſputatio per definitionem, hiſtoriam morbi, diagnoſin, ſeminia, noxas, cauſam proxi-
p. 24. mam, quam *in affectu canalis alimentarii ſpaſmodico, a ſtatu certo forſitan partium genitalium proficiſcente*, item *in motu antiperiſtaltico auctio et admodum magna ſyſtematis neruoſi irritabilitate* ponendam eſſe cenſet; per euentum morbi et rationem medendi. Haec iubet in ſubſidium vocare ſpiritum aethereum vitriolicum, ſub hiſtrionum principe ac coryphaeo, *Grahamo*, electricitatem, alcali volatile, aſam foetidam, opium, artemiſiam, pediluuia, et fomenta, ſpernere contra moſchum, camphoram, hyoſcyamum, cicutam, valerianam, caſtoreum, his etiam ex vſu Cl. GREGORII addere acetum largius ſumtum. Tan-
p. 36. dem coronidis loco ſcribitur *conſilium de impediendo reditu*, ſuadendo regimen idoneum, aërem purum et frigidum, exercitationem, balneum frigidum, oblectationes et medicamenta tonica, et ſingulatim quaeuis explicando.

19. *Diſſ. med. inaug. de ictero* — auctore DIONYSIO KEOGH, *Hiberno*, 35 *pagg.* Sterilis eſt diſputatio; falleris, lector, ſi qua noua quaeris.

Nam

Nam nec origo icteri a vaſorum lymphaticorum ſorbentium vitio auctori nota eſt.

20. *Diſſ. phyſica inaug. de viſu* — auctore IONATHAN DUDLEY, *Hiberno*, 33 *pagg.* Memorantur *quaedam de lumine*, *de oculo*, *de videndi methodo* (phyſice), *de viſus vitiis quibusdam*, (medice, ſed parum de myopia et presbyopia); ieiuna ergo eſt ſcriptio, et, vt plurimae harum diſputationum, ex praelectionibus profeſſorum facta compilatio.

21. *Diſſ. med. inaug. de febribus intermittentibus medendo* — auctore FRANCISCO BUCHANAN, *Scoto*, 80 *pagg.* Continet ſe auctor intra notiſſima huc pertinentia praecepta, ſed vere diiudicat omnia, nec omiſſa quidem nupera de cortice peruuiano rubro diſputatione.

22. *Diſſ. med. inaug. de ſcarlatina cynanchica* — auctore ANDREA COVENTRY, *Scoto*, 55 *pagg.* Curatius et vſui accommodate deſcribitur haec febris contagioſa, ſed iterum repetenda eſt noſtra confeſſio, nihil noui haec ſcriptio apportat ſcilicet.

23. *Diſſ. med. inaug. de hydrothorace* — auctore CAROLO HILL, *Hiberno*, 35 *pagg.* Definit Noſter morbum ſecundum Cl. CULLENUM, qui fallit ſub ſpecie catarrhi, ſi ab thorace incipit, contra ſub ſpecie hydropis, ſi aliunde venit; poſt *diagnoſin* p. 15. exhibetur *theoria morbi*, qui ab exhalatione ac ſorptione impedita repetitur; *ratio ſymptomatum* i. e. p. 23. dyſpnoeae, tuſſis, difficilis decubitus, palpitationis, ſomni cito abituri, vrinae parcae et ſitis, item ſtuporis brachii; *prognoſis*, vtpote plerumque in- p. 27. fauſta; *methodus medendi*, quae intra notiſſima prae- p. 28. cepta conſiſtit.

24. *Tentamen med. inaug. de variolis* — auctore P. GULIELMO FERGUS, *Hiberno*, 29 *pagg.* Eſt leuis variolae benignae et malignae adumbratio, et Noſter videtur hanc ſoli febri inflammatoriae et

putridae accommodare. Quam vere, huius loci non eſt multis anquirere.

25. *Tractatus med. inaug. quaedam de diaeta ſeu materia diaetetica ipſiusque in corpus et in mentem effectibus complectens* — auctore THOMA BELL, *Hiberno*, 48 *pagg.* Non ſpernenda quidem opella iſthaec eſt, cum praecepta victus ordinandi potiora plane ac perſpicue tradantur, etſi noua non adfe-
p. 10. rat. Conſtat *tribus partibus*. Prima eſt *de victu ſolido*. Praeuia quaeſtione, vtrum homo animal carniuorum ſit appellandus, nec ne, et quae ſit victus ex animantibus et vegetabilibus diuerſitas, explicantur dotes lactis, piſcium, varia variorum ciborum conditio in ventriculo et inteſtinis, et diverſi victus in ſanguinem effectus, diuerſa nutrimenti quantitas, manducatio et ciborum coctura (quidni haec poſteriora primum locum occupant?)
p. 36. Secunda eſt *de potu*. Huc referuntur aqua, liquores fermentati, ſpiritus deſtillatus, theae et coffeae infuſum et decoctum ex cacao nucleo. Tertia eſt
p. 44 *de cibi diuerſi in mentem effectibus*. Per exempla quam breuiſſime docetur, victum animalem feciſſe nationes feroces et bellicoſas, victum vero vegetabilem mites et manſuetas, diuerſum victum, ſiue ſpectes qualitatem, ſiue quantitatem, valere plurimum ad intelligentiam et phantaſiam vel excitandam, vel deprimendam.

1784. *Menſe* (24) *Iunio.*

1. *Diſſ. med. inaug. de leucophlegmatia* — auctore IOANNE UNTHANK, *Hiberno*, 82 *pagg.* Orditur
p. 7. Noſter ab *ſignorum enarratione*, eaque ſatis accu-
p. 14. rata, et ſubdit *definitionem*, vtrumque morbum, i. e. leucophlegmatiam et anaſarcam, eundem profeſ-
p. 19. ſus; *theoriam*, i. e. cauſam proximam ſolidorum laxatio-

laxationem et humidorum intemperiem; *remotas* p. 27.
cauſas, ex quarum numero ſunt aër frigidus et humidus, cibus leuis vel tenacis materiae, frigida vel immodica potio, crebra vel nimia ſanguinis detractio, morbi praegreſſi, excretio cohibita, triſtes animi motus, abuſus liquorum ſpirituoſorum; *prognoſin* p. 39.
ſtadio morbi adaptatam; *curationem*, quae p. 41.
in eo conſiſtit, vt *diatheſis leucophlegmatica corrigatur*, leuando cauſas et reſtituendo tonum, *vt effuſus humor euacuetur* vel per *vias naturales*, i. e. emeticis, catharticis, diureticis, diaphoreticis et ſialagogis, vel per *emiſſaria noua*, i. e. veſicantibus, inciſionibus, fonticulis, attrahentibus; *vt effuſi humoris ſorptio promoueatur*, idque fit ſtimulantibus, frictione, electricae materiae appulſione ac mercurio; *vt recidiuus morbus auertatur*, adhibendo auxilia tonica et balneum frigidum. Haec quidem ſingulatim percenſentur, ſed copioſa repetitione non egent, quia nota cuiuis medico ſunt. Quaeritur ſub finem, *an potus liberaliter dandus ſit?* et reſpondetur, p. 78.
potiones ſaepe idoneas, aliquando neceſſarias eſſe.

2. *Diſſ. med. inaug. de morbo venereo* — auctore IOANNE MURDOCH LOGAN, *Ciue Boſtonienſi Americano*, 50 *pagg.* Repetit Noſter primas luis venereae origines ab 1493. ex fide hiſtorica, quae potior eſt Cl. HENSLERI coniectura, et contra DUNCANUM et TODIUM hanc et gonorrhoeam eundem morbum eſſe profitetur. Breuiter hoc probaturus, p. 3.
exemplis docet, eandem feminam impuram alii gonorrhoeam, alii luem impertiiſſe, virus, vrethrae admotum, illam generaſſe, vtrumque morbum, ipſum bubonem et faucium vlcerationem in locum alterius ſucceſſiſſe, et cum haec adfuerit, luem inueteratam a gonorrhoea excitatam eſſe, hanc ſuſcitare poſſe luem ſine bubone, non ſemper in gonorrhoea reperiri vlcus, bubonem vero non fa-

cile fieri ſine vlcere, notas vlceris erodentis in pene demonſtraſſe Cl. MONROUM, hocque adeſſe poſſe ſine veſtigiis relictis. Haec quidem omnino repugnant dictis Cl. TODII, audacter contrarium
p. 6. defendentis. In *hiſtoria morbi* apte deſcribitur gonorrhoea et ipſa lues. Sorptionem per glandulas lymphaticas fieri affirmatur cum et ſine roſione, etſi
p. 14. hoc rarius, virus ad naturam materiae contagioſae multiplicari, cutem vitium prodere primum circa radices capillorum ſub forma macularum ſubrubra-
p. 17. rum vel purpurearum. *Signa, quae hunc morbum ab aliis ſecernunt.* Difficile eſt, gonorrhoeam a leucorrhoea ſub initio diſtinguere, ſub progreſſu
p. 20. difficilius. *Bubones venerei* cognoſcuntur eo, quod glandulae inguinum ſuperiores occupantur, aliquando duritie vaſculorum lymphaticorum a pene
p. 22. vſque ad inguen ſummum. *Modus, quo contagio ſyſtema ingreditur, et cauſae morbi.* Negat Noſter, morbum hunc foedum ſine coitu olim ortum, iam vero natum ait contactu, praeſertim vaſculorum
p. 23. abſorbentium lymphaticorum oſculis ingredi. Gonorrhoea vna via coitus implantatur, lues vero vel parentum miniſterio, vel a contactu, v. c. ab oſcu-
p. 24. latione. Procliuitas forte eſt in maiore abſorbendi
p. 25. poteſtate quaerenda. Acrimonia virus venerei eſt cauſa proxima. *Nonnullorum e ſignis explicatio.* Virus in extrema glande muco miſtum reponitur,
p. 33. et ſenſim proſerpit. *Euentus.* Non adeo malus
p. 34. eſt. *Ratio medendi.* Poſt praecepta gonorrhoeae prophylactica, in quibus eſt aqua calida cum ſapone miſta, item alcali cauſticum, non, niſi ex plurima aqua exhibitum, iubet Noſter, inflammationem tollere vel minuere, tonum reſtituere, ſigna fortuita remouere. Primum ſcopum faciunt venaeſectio, cathartica lenia, diuretica, lotio calida partium affectarum; ſecundum cortex, balneum fri-

frigidum, alumen, balſamum copaiuae, extrinſecus iniectio ex albo vitriolo, ſaccharo ſaturni, aerugine aeris (?), opium; tertium remedia accommodata ſymptomatis, v. c. phimoſi, tentigini, teſtium tumori etc. Praeter haec ſuadet, ſemper aliquid mercurii ſumendum, ne qua miaſmatis pars abſorbeatur. Quod ad *luem* attinet, ſolus iuuat p. 44. mercurius. Ad vlcuſcula commendat Noſter merc. praecipit. rubrum, hortatur, vt bubo ſemper diſcutiatur, et praefert ſub curatione luis mercurium ore hauſtum. Quin Cl. CLARE methodum laudat et probat, ceteris vero anteponit pilulas caeruleas Edinb. Cetera non ſunt memorabilia.

3. *Diſſ. phyſ. med. inaug. de pathematibus animi eorumque in corpus humanum effectibus* — auctore GRAEMIO MERCER, *Scoto*, 45 *pagg.* Quinque capitibus complexus eſt Noſter potiora praecepta de natura et cauſis affectuum, de rebus excitantibus et deprimentibus, de ſignis externis, de virtute pellendi vel efficiendi morbos, ſed nihil intus eſt, quod memoratu dignum putes.

4. *Diſſ. med. inaug. de phthiſi pulmonali idiopathica*, — auctore RICARDO KENTISH, *Anglo*, 45 *pagg.* Praefatus eſt Noſter de hoc morbo Britannorum endemio, qui ſingulis annis 4000 — 5000 incolas rapit. Modus tractandi, vt in reliquis diſputationibus huius academiae. Memorabilia ſunto. Singulare vitium eſt, quod tunicae ad- p. 6. natae vaſa rubra euaneſcunt, et albeſcit membrana margaritae in ſimilitudinem. Pus ſorptum non eſt p. 8. cauſa febris hecticae, nec materia noxia retenta, vt Cl. REID ſtatuit, poteſt exacerbationes quotidianas ſuſcitare. Repetendae ergo ab irritabilitate illae p. 11. ſunt. Inter cauſas praediſponentes refertur venu p. 14. ſtas quaedam, cum ſenſu ponderis ad praecordia copulata. Albedo dentium ſignum eſt phthiſeos, p. 15.

ſed fere iuncta cum macula lactea in centro, eaque oriri videtur ab actione materiae ſalinae ori inſidentis. Cauſa proxima eſt debilitas. Tubercula pulmonum ſunt vaſa bronchiorum lympha coagulabili referta. Expectoratio eſt omnium ſignorum fallaciſſimum. (Hic quaedam *de natura puris* Noſter narrat, et diſtinctionem inter pus et mucum ſuperfluam putat.). Neque periculoſa puris eſt reiectio, niſi ſit etiam copioſa, foetida. Lac non eſt proficuum phthiſicis. Balſama non ſunt omnino reiicienda.

p. 19. p. 23. p. 24. p. 25. p. 27. p. 34. p. 42.

5. *Diſſ. med. inaug. de vermibus inteſtinorum* — auctore THOMA WALLIS, *Hiberno*, 53 *pagg.* Continet ſe Noſter intra explicationem vermium communium, taeniae, aſcaridis et lumbrici. Mucum negat eſſe cauſam, oriri eos ait ex ouis, quae vna cum cibo animalia ingrediuntur. Signa vermium, praeter excretionem, dubia ſunt et ancipitia. Dubius etiam tumor oedematoſus ad narium alas, quem Cl. HOME memorauit. Difficilius eſt, hydrocephalum internum incipientem a vermibus diſtinguere propter ſigna quaedam communia. Symptomata ſatis produnt, ventriculum et inteſtina turbari vermibus, hinc digeſtionem impediri. Medici eſt, eiicere vermes, et effectis inde ſequentibus obſiſtere. Puluis ſtanni mechanice agit; arena deuorata interdum profuit: Dolichos pruriens, mole gr. ii — viii ſub forma boli vel electuarii ſumta, mire iuuit. Oleum nocet iis, quibus ſpiracula ſunt. Minus certa aqua calcis deglutita vel iniecta eſt. Calomelas iuuat. Vitriolum viride inter obſoleta eſt. Spigelia Marylandica laudabilis. Etiam radix filicis. Cortex *Geoffraeae Iamaicenſis inermis*, Angl. *Cabbagetree bark*, ſub forma decocti, ſyrupi, pulueris et extracti, exhibetur tuto et ſalutariter.

p. 10. p. 15. p. 20. p. 21. p. 23. p. 27. p. 30. p. 31. p. 33. p. 34. p. 35. p. 42.

Cata-

Cataplaſmata parum proficere poſſunt, enemata non p. 50.
niſi ad aſcarides. p. 51.

6. *Diſſ. med. inaug. quaedam de ſedentariae vitae malis amplectens* — auctore IOANNE POTTER, *Anglo*, 56 *pagg.* De ſedentariae vitae malis acturus Noſter praemiſit. *Part. I. pauca de hiſtoria et* p. 9.
cauſis morborum in variis aetatibus ex ſedentaria vita, vere quidem, ſed non noue; *Part. II.* ſcripſit *de* p. 28.
exercitationis in corpus humanum effectibus; Part. III. p. 34.
de vſu exercitationis ad ſanitatem tuendam et morbos leuandos. Commendatur ad tollendam vel minuendam amenorrhoeam, dyſpepſiam, ſcrophulam, phthiſin pulmonum, icterum, epilepſiam et hyſteriam, menorrhagiam et leucorrhoeam, hypochondriaſin, podagram, anaſarcam et aſciten, congeſtionem ſanguinis, vnaque optat Noſter, vt gymnaſtice veterum denuo redintegretur.

7. *Diſſ. phyſico-med. inaug. de voce humana* — auctore EDUARDO LONG FOX, *Britanno*, 47 *pagg.* Bona diſſertatio, quae lucidum ordinem ac diligentiam multam prodit. Continetur *cap. I. Pars anatomica* p. 3.
i. e. deſcriptio partium, quibus vox abſoluitur. *Cap. 2. quorundam experimentorum hiſtoria*, i. e. euen- p. 11.
tus trium experimentorum, vnde patet, ab ſectione nullam mutationem in cartilagine thyroide, ſiue ſpectes contractionem, ſiue dilatationem, eſſe obſeruatam. *Cap. 3. quaedam obſeruationes de ſonis*, p. 15.
i. e. explicatio conditionum ſonus. *Cap. 4. De* p. 18.
vocis ſpeciebus et cauſis. Docetur ſedes et cauſa vo p. 25.
cis, et negatur, labia glottidis eodem modo, quo fides contentae, vibrare, ſed tremere, vt arundines inſtrumenti, quod *clarinet* dicitur; Explicantur etiam p. 27.
vox grauis et acuta, quarum haec fit per aperturam glottidis contractam, illa per dilatationem; *vox for-* p. 30.
tis et debilis; ita, vt vigor eius a quantitate ac im-

p. 33. p. 49. petu aëris deriuetur; *vocis differentiae, mutatio vocis tempore pubertatis, vocis vitia*, i. e. paraphonia, aphonia, pertuſſis, vox clangoſa in cynanche tracheali, quae breuiter percenſentur.

8. *Diſſ. therapeutica inaug. quaedam de ſudore complectens*, auctore HENRICO BROUNCKER WILSON, *de inſula Sancti Chriſtophori*, 38 *pagg.* Praeuia doctrina exhalationis, agit Noſter de ſudorificis, confutando aliorum ſententias, addendo ſuam meliorem, vt putat, nempe ſudorem fieri ab ſero ſanguinis, ſed magis ab aqua, in ventriculum recepta, diuturnum vero ab ipſis corporis fluidis. p. 16. p. 17. Deinde diuidit ſudorifica in relaxantia et ſtimulantia, eaque ſingulatim percenſet. Poſt explicat *diaphoreticorum vſum*, ad mutationes in circuitu ſanguinis tollendas, et vacuandum humorem, addendo quasdam Cl. HAMILTONI obſeruationes. p. 23.

9. *Diſſ. med. inaug. de raphania* — auctore MICHAELE RYAN, *Hiberno*, 41 *pagg.* Repetuntur communia praecepta ſine proprio vſu et experientia. Id vnum exemplum, ſi verum et certum eſt, memorare lubet, raphaniam ſemel ortam eſſe ex plethora ob omiſſam venaeſectionem.

10. *Diſſ. med. inaug. de inflammatione*, auctore IO. BARCLAY, *Scoto*, 39 *pagg.* Scripta et compilata eſt ex decretis Cl. CULLENI.

11. *Diſſ. med. inaug. quaedam de cancro complectens*, — auctore IONATHAN CLERKE, *Hiberno*, 32 *pagg.* Orſus Noſter a ſcirrho, ad cancrum inde ortum progreditur, cui ſubiungit eum, qui ſine ſcirrho venit. Sed pauca ſunt, quae ſcire intereſt. p. 16. Cancrum haereditarium dari credit. Cauſam proximam dicit propriam vaſorum partis affectae actionem, qua tetrum liquorem ſecernit glandula, et conferre aliquid putat fermentationem. Curando cancro prae ceteris valere creditur mercurius. p. 22. p. 23. p. 26.

De notis

notis remediis quaedam monentur in tranſitu, exſtirpatio laudatur.

12. *Diſſ. med. inaug. de morbo pſoadico*, auctore RAIO BECKWITH, *Anglo*, 38 *pagg.* Complexus Noſter ſub hoc nomine eſt *lumbaginem pſoadicam ſ. apoſtematoſam* Sauvag. *phthiſin cellularum* Haen. Poſt definitionem mali, deſcribuntur partes affectae i. e. pſoas maior, ſiſtitur imago doloris poſt inflammationem in ſuppurationem et mortem abituri. Cadauerum ſectio oſtendit ingentes abſceſſus ſub muſculo pſoade. Sub initio mentitur rheumatiſmum. Cauſa proxima eſt communis inflammationum, exitus plerumque infauſtus, medendi via notiſſima.

13. *Diſſ. med. inaug. de aſthmate ſpaſmodico* — auctore THOMA RYAN, *Hiberno*, 39 *pagg.* Nihil noui adfert Noſter. Caſſus ergo labor eſt.

14. *Diſſ. med. inaug. de opio quaedam complectens*, auctore EDUARDO HARRISON, *Anglo*, 47 *pagg.* Bona compilatio, cuius auctor collegit, quicquid inde *de opio* dictum vel ſcriptum eſt. Narratur *cap.* 1. *opii naturalis hiſtoria eiusque in vetere medicina exiſtimatio, analyſis et praeparatio*; *Cap.* 2. explicatur *effectus opii*, nempe concitando pulſum, exhilarando animum, obtundendo ſenſum, reprimendo virtutem ſtomachi et inteſtinorum, cohibendo egeſtiones, ſedando motum voluntarium, et alliciendo ſomnum, citando vel retardando ſpiritus reciprocationem; Cap. 3. ſcribuntur *morbi, in quibus medici opio vtuntur*, nempe febres intermittentes, febris continua typhodes, phlegmaſiae, variolae, rubeola, haemorrhagiae, catarrhus, dyſenteria, ſed haec ex aliorum auctoritate, praeſertim TRALLESII, teſtis minus idonei, vtpote ſemper meticuloſi. Sub finem hortatur Noſter, vt, ſi quando nimia copia hauſtum ſit opium, ad

p. 2

p. 7.

p. 24.

p. 47.

exemplum Cl. MONROI tubulo aqua larga infundatur oeſophago, deinde per fiſtulam pneumaticam (Syringe dicitur) exantletur iterum atque iterum liquor, donec probe eluatur ſtomachus.

1784. *Menſe* (13) *Septembri.*

15. *Diſſ. phyſico-chemica inaug. de principio ſorbili ſiue communi mutationum chemicarum cauſa, quaeſtionem, an phlogiſton ſit ſubſtantia, an qualitas agitans, et alteram ignis theoriam complectens*, auctore RICARDO LUBBOCK, *Anglo-Britanno*, 137 *pagg.* Perdiligenter verſatus Noſter eſt in hoc argumento
p. 1. non leui quidem, ſed ſcitu digno. Agit *pars pri-*
p. 6. *ma de phlogiſto.* Docetur multis, quod *nullo modo principii corporibus communis infirmet exiſtentiam,*
p. 10. *quia idem aliis ſeiunctum obuerſari nequeat*, item *quod phlogiſti, vt principii exiſtentiae, veriſſimae ratiocinandi aduerſentur leges.*
p. 12. Hic etiam diſquiritur, *num phlogiſton ſit leuitatis principium ſiue grauitatis cauſa.* Hanc ſententiam nuper deſeruit Cl. BLACK, et duo-
p. 15. bis experimentis reprobat Noſter. *Num aëris phlo-*
p. 16. *giſti ope imminui poſſit elater?* Negatur. *Num acidum aëreum ab aëre, phlogiſti aduentu, deiiciatur?* Negatur etiam, quia in aëre, quo nullum prehendi poteſt acidi indicium, idem molis decrementum manifeſtatur, et experimento quodam clarius fit.
p. 18. *Num aëris moles vel lucis, vel caloris aufugio imm-*
p. 19. *nuatur?* Damnatur iterum. *Num aër ex acido aëreo progenerato molis imminutionem accipiat?* Hanc ſententiam BLACKII et KIRWANI veram eſſe negat, quia in nullo experimento, niſi materies ex animalibus vel plantis ſumta fuerit, acidum aëreum progene-
p. 23. rari poteſt. *Pars ſecunda* agit *de principio ſorbili.* Putat Noſter, praeſtare aërem dephlogiſticatum no-
p. 33. minare aërem purum; Negat, hunc eſſe acidum nitroſum ſolum, vel ex parte maxima eſſe acidum,

ait

ait vero, principium ſorbile facere corpora ponderoſiora, quae, vbi hoc deeſt, leuiora fiunt. Examinantur etiam *theoriae corporum combuſtibilium et combuſtionis*. Impar videtur Cl. CRAWFORD theoria explicandis combuſtionis phaenomenis, idque Noſter argumentis aptis oſtendit. His praemiſſis, p. 42.
docet, principio ſorbili ſulphuris combuſtione detracto, aëris vel atmoſphaerici, vel puri reſolui compagem, at vero eiusdem principii cum ſulphure nexu acidum efformari vitriolicum. Similiter, p. 49.
principio ſorbili phoſphori combuſtione detracto, aëris vel atmoſphaerici vel puri reſolui compagem, at eius cum phoſphoro nexu acidum efformari phoſphoricum; Haec experimentis vberius confirmantur. Idem fieri putat Noſter a carbonum com- p. 55.
buſtione, contra ab nexu horum et principii acidum aëreum. Ex his ſumtionibus concluduntur, falſam eſſe p. 61.
STAHLII ſententiam de corporum combuſtibilium compoſitione, acida vero illa conſtare aëre ac parte materiae combuſtibilis. Hinc multis deſcribitur p. 70.
ſubſtantiae ante et poſt combuſtionem, et, confirmata attractione vnice electiua, quae in combuſtione exercetur, formula, paucis explicat *princi-* p. 80.
pium ſorbile, i. e. *iſtud principium, quod in combuſtione a lucis et caloris principio, attractione corporis combuſtibilis validiore diuellitur*; docet, combuſtibi- p. 81.
lia corpora ſubſtantias eſſe reuera ſimplices, quae nullum phlogiſto affine vel ſimile ſua compage continent principium, lucis et caloris materiam eſſe p. 83.
principium aëris proprium, lucis et caloris phaeno- p. 89.
mena ab vno eodemque principio pendere, muta- p. 108.
tionem, quae et aëri, et corporibus combuſtibilibus ambuſtione contingit, ab illa mutatione, quae acida et metalla, dum haec in illis ſoluuntur, inſignit, et quae ſolutio audit, nihilo diſcrepare. Iam tranſitur ad *aërem phlogiſticatum*. Negat, ve- p. 110.
ram

ram esse receptam vtramque sententiam de huius aëris natura, et his praemissis, demonstrantur se-
p. 115. quentes positiones. 1) Aër metalli cuiusuis actione resoluitur, et calx, compositum ex principio
p. 116. sorbili et metallo oriundum, efformatur. 2) Metalla acidum nitrosum, dum in eo soluuntur, resoluunt, principium acido proprium aufugere cogunt, et compositam vel calcium induunt formam.
p. 116. 3) Metalla aquam, quae in acido vel vitriolico vel muriatico deliteſcit, dum in his acidis immerguntur, resoluunt, principium aquae proprium aufugere efficiunt, et compositam sibi adipiscuntur for-
p. 118. mam. 4) Aër vel plantarum fermentatione, vel
p. 120. animalium putredine resoluitur. 5) Aër anima-
p. 121. lium respiratione resoluitur. 6) Fluidum electricum et aëre, et alia, principium sorbile attrahen-
p. 122. do, resoluit. 7) Ista corpora, quae phosphorescentia dicuntur, aëra resoluendo, principium aëri pro-
p. 125. prium sub lucis habitu euoluunt. Sub calcem leguntur *notae*, quibus vel omissa adduntur, vel me-
p. 136. morata magis confirmantur, et concluditur, *corpora omnia combustibilia, metallica aliaque, siue ex plantis, siue animalibus desumta, in alia tantum, principium sorbile siue commune attrahendo, agere posse, et his solis admissis, principium hoc ob imperium suum in chemia fere vniuersum, summam mereri cognitionem.*

16. *Diss. pathologica inaug. de sanguinis per corpus viuum circulantis putredine* — auctore SAMUELE FERRIS, *Anglo Britanno*, 122 *pagg.* Recte Noster iam in prooemio statuit, eos valde errare, qui morbos ab solis neruis, vel solidis, vel humidis repetunt, quoniam alterum sine altero consistere non potest. Deinde aggreditur arduam *de putredine humorum circumfluentium* quaestionem. Prima est,
p. 4. *num sanguis, corpore viuo, putrescere possit?* Potest, quia

quia ſanguis particeps non eſt virtutis vitalis, quae per neruos ex cerebro propagatur, ergo etiam morbidus fieri, et in putredinem quodammodo inclinare. (Hac occaſione Noſter multus eſt et diſertus in confutando Cl. MILMAN et LINDIO quoad ſcorbutum, quem a putredine ſanguinis fieri contendit.) Iam vtitur exemplis peſtis et typhi ad ſententiam ſuam confirmandam, quod quidam putredinis gradus, viuo homine, poſſit infeſtare ſanguinem. Melius et aptius haec quaeſtio agitari debuit.

17. *Diſſ. inaug. de humorum in morbis contagioſis aſſimilatione, in tentamine de variolae natura et ſede indagata* — auctore IACOBO CURRY, *Hiberno*, 33 *pagg.* Negat Noſter, variolam ex ſanguine fieri, ait vero, dari tres infectionis vias, primum per inſitionem, deinde vbi materia varioloſa recta ad ſanguinem defertur, v. c. in fetu vel poſt voratas cruſtas, tandem per naturalem modum, et ſolis deberi neruis, varioloſam materiam ab extremorum in ſummo vaſorum actione pendere; rationem, quare ſemel variolae hominem affectent, quaerendam eſſe in quadam neruoſi generis mutatione, vt eadem poteſtas iterum nequeat afficere.

18. *Tentamen med. inaug. quaedam de febribus intermittentibus complectens* — auctore IACOBO COLLIER, *Britanno*, 39 *pagg.* Praemiſſa hiſtoria febris intermittentis, inquirit Noſter in *cauſam proximam*, eamque credit, duce Cl. CULLENO, vaſorum extremorum atoniam demum efficere ſpaſmum, *remotam* vero paludum miaſma vel putridum effluvium eſſe dubitat. *Diuerſas ſpecies* ſtatuit habere vnum genus, i. e. tertianam, diuturnitate paroxyſmorum et diuerſitate interuallorum tantum variantem. Id quod ex natura ſymptomatum elicitur et demonſtratur. Quoad *curationem*, maxime verſatur

p. 5.
p. 11.
p. 20.
p. 29.

p. 37. tur Noſter in definiendo vſu corticis, (ſed haec quidem notiſſima) et apud Batauos cum tartaro emetico, repetito aliquot horas ante acceſſionem vel ſub ipſum frigoris tempus dato, paroxyſmos et breviores et leniores ſe feciſſe profitetur. Neque haec medendi via noua eſt.

19. *Tentamen inaug. de pulſu arteriarum quaedam complectens* — auctore ALEXANDRO PELISSIER, *Hiberno*, 29 *pagg.* Siſtit Noſter breuem, at
p. 2. non perfectam de pulſu doctrinam. Agit *pars I. de pulſu naturali*, ita, vt explicetur, quid in variando pulſu valeat aetas, ſexus et corporum natura, vt doceatur, pulſum naturalem, quoad ictus, fere quouis mane conuenire, veſperi et ſub ſomni ingreſſu paullum minui numerum, matutinum ſedatum eſſe, in vigilantibus et conualeſcentibus poſt ſomnum paullo frequentiorem, ſub noctis initium octo vel plures ſuperaccedere; (hinc febrium exacerbatio veſpertina) ſubiecta eſt tabula, quam ROBINSON ſcripſit, pulſus matutini et pomeridiani, vt differentia melius perſpiciatur. Curioſus ſcrutator facile animaduertet, pulſum quouis die bis increſcere, bis decreſcere, (hinc duplex febrium continuarum exacerbatio intelligenda) theae infuſum ſem-
p. 10. per eum retardare. *Pars II.* complectitur vitia *pulſus*, i. e. explicationem pulſus magni et parui, pleni, i. e. qui fit a nimio ſanguine, validi et debilis, duri et mollis, frequentis et rari, celeris et tardi, inaequalis, dicroti, incidui, intermittentis, ſed nihil reperimus, quod proprium auctori ſit.
p. 25. *Pars III.* verſatur in *explorando pulſu*, i. e. in praeceptis memorabilibus, ne quis fallatur. Horologium non adhibendum ſuadet, quia ſic ceterae pulſus conditiones praeteruiſuntur, ferendum putat in acutis, negligendum in longis, bonum et exercitatum medicum hoc carere poſſe. (Sunt et in Germa-

nia

nia medici vaniloqui, qui ex horologio mortem ad menſem reſtringere audent, etſi malo cum augurio. Decent talia hiſtrionem, non medicum, cum pauci ſint medici, qui rite ſciant pulſum aeſtimare.)

20. *Tentamen inaug. anatomicum et phyſiologicum de differentiis inter fetum et adultum, harum vſus, et mutationes, quae in prioris corpore poſt partum fiunt, recenſens*, auctore IACOBO GERARD, *Anglo*, 49 *pagg.* Siſtitur *tabula*, vnde pateant *differentiae generales* et *ſpeciales*, deinde ſingulatim percurruntur.

21. *Diſſ. de febre puerperarum* — auctore THOMA FULHAME, *Hiberno*, 12 *pagg.* Poſt morbi hiſtoriam ſequuntur *cauſae remotae*, quas ſub debilitate ac diatheſi phlogiſtica latere putat; *natura morbi*, quam anteceſſores ignoraſſe Noſter credit, eamque variam putat pro aegrae habitu et cauſis, nihil huic morbo eſſe proprium, praeter omenti et inteſtinorum affectionem localem, poſt partum ſecuturam, raro ſimplicem, ſaepius compoſitam; *diagnoſis, prognoſis et prophylaxis*, et *conſilia medendi*, quae continentur, ſi ſynocha adeſt, regimine antiphlogiſtico, ſanguinis miſſione, purgantibus mitioribus, emeticis; contra ſi cum typho incidit, roborantibus, vino rubro, victu nutriente.

p. 4. p. 5. p. 8. p. 10.

22. *Diſſ. phyſiologica de cute et tactu*, auctore LAURENTIO WALSH, *Hiberno*, 40 *pagg.* Orditur Noſter ab *epidermidis ſtructura et origine, ac vſu*, deinde *cutim* explicat, poſt agit *de tactu et eius cum reliquis ſenſibus affinitate*, *de ſenſu tactus exercendo*, ſed ita, vt nihil inde noui diſcant lectores, plura ſuperſint, quae melius dici et ſcribi poterant, ſi exterorum ſcripta legiſſet.

p. 5. p. 28. p. 35.

23. *Diſſ.*

23. *Diſſ. de ſubmerſis* — auctore IACOBO M. DONNELI, *Hiberno*, 52 *pagg.* Conſtat opuſculum
p. 5. quinque capitibus. I. *Phaenomenorum deſcriptio.*
p. 15. Nota ſymptomata. II. *Noſologia.* Negat Noſter, hanc ad apoplexiam pertinere, nec ad ſyncopen,
p. 24. ſed eandem cum ſtrangulatione eſſe. III. *Prognoſis.* Cum vita non conſiſtat in ſenſu, ſpiritu, vel qualibet alia functione, ſed in ſtimuli ſuſcipiendi facultate, fallax omne mortis ſignum eſt. Aqua, pulmonem vel ventriculum occupans, prope ex-
p. 33. hauſtam vim vitalem denunciat. IV. *De cauſis et earum in ſymptomatibus faciendis opere.* Cauſam
p. 47. proximam ſtatuit debilitatem communem. V. *De medendi ratione.* Faciunt eam quique ſtimuli, aër, calor et electricitas.

24. *Diſſ. med. inaug. de amenorrhoea* — auctore
p. 28. THOMA SPENS, *Edinburg*, 33 *pagg.* Nihil nobis memorabile viſum eſt, niſi hoc, quod radicem rubiae tinctorum, patris ad exemplum, vt aperientem, commendauit.

25. *Diſſ. med. inaug. de vita marina et de varietatibus et morbis eius in diuerſis regionibus, nec non de effectibus et conſeruatione eiusdem* — auctore GULIELMO HENDERSON, *Britanno*, 57 *pagg.* Appellat
p. 8. Noſter propriam experientiam. Deſcribit ergo *vitam marinam in portu, inter nauigandum, in nauibus maioribus vel minoribus, in latitudinibus frigidis et calidis, ſub tempeſtatibus*, lectu iucundam iis, qui e longinquo vident et audiunt maris ſtrepitus; dein-
p. 31. de agit *de effectibus generalibus vitae marinae.* Sunt quidem nauſea, raro per medicamenta fuganda, et plethora ad vaſa, congeſtio ad caput, ſcorbutus,
p. 37. aluus adſtricta; poſt tractat *de vitae marinae incom-*
p. 40. *modis* generaliter, *de morborum praeuentione et ſalutis conſeruatione inter nauigandum* ſpeciatim, ſic, vt primo de febribus et fluxibus auertendis loquatur,

tur, deinde de praeseruatione scorbuti. Scribit etiam regulas *de victus administratione idonea*, et iu- p. 49.
bet sorberi mane infusum theae, edi brassicam acidam, panem, et id genus apta alimenta. Ergo iterum dapes veteres et sordentes, siue, quod aiunt multi, compilationem!

25. *Diss. med. inaug. quaedam complectens de haemorrhagia pulmonum* — auctore IACOBO DONOVAN, *Hiberno*, 22 *pagg.* Est vulgaris haemoptyseos adumbratio, praetereaque nihil.

26. *Tentamen med. inaug. quaedam de phrenitide vera complectens* — auctore ANDREA BERRY, *Scoto*, 35 *pagg.* Describitur phrenitis idiopathica, curatur iis, quae sanguinis impetum minuunt.

27. *Tentamen chymico-medicum de aëre fixo siue acido aëreo* — auctore THOMA ADDIS EMMET, *Hiberno*, 60 *pagg.* Negat Noster Cl. KIRWANI p. 15.
decretum de natura aëris fixi, et experimentis propriis refellere studet. Subiicit quaedam *de acidi* p. 46.
aërei in medicina vsibus, et candide profitetur, hoc interdum profuisse, at non semper. Nominat morbos, puta vlcera vetusta et rebellia, gangraenam, vitia ventriculi, calculum vesicae (sed dubitanter) typhum putridum, forte et pestem, anginam malignam, variolas confluentes et morbillos putridi generis, phthisin pulmonalem, dysenteriam, (hic ex iudicio Nostri quam maxime iuuat), scorbutum, in hoc tamen putat aërem magis esse prophylaxin, quam medicinam.

III.

Dissertation sur l'importance des évacuans dans la cure des playes récentes simples ou graves, suivie d'observations raisonnées sur la

complication du vice vénérien et ſcorbutique, par M. LOMBARD, *Correſpondant de l'Académie royale de Chirurgie, ancien Chirurgien-major employé en cette qualité à l'armée de Normandie, Chirurgien-major en chef de l'Hopital militaire de Strasbourg, et premier Chirurgien de la Cour de S. A. S. Monſeigneur le Duc de Schleswig-Holſtein-Limbourg.* A Strasbourg, de l'Imprimerie de Lewault. MDCCLXXXII. 8. mai. pagg. 160. ſine dedicatione;

et

IV.

Diſſertation ſur l'utilité des évacuans, dans la cure des tumeurs, des playes anciennes, des ulceres, etc. précédée d'un Supplément à une première Diſſertation ſur l'importance des évacuans dans la cure des playes récentes, par M. LOMBARD, *Maître en chirurgie de la ville de Dole, Chirurgien-major en Chef de l'Hôpital royal et militaire de Strasbourg, Membre de pluſieurs Académies, etc. etc* A Strasbourg, MDCCLXXXIII. 8. mai. p. 240.

i. e.

Diſſertatio ſuper pretio euacuantium in curatione vulnerum recentium ſimplicium aut grauium, cui accedunt obſeruationes ampliores de complicatione conſtitutionis venereae et ſcorbuticae, auctore Cl. LOMBARD;

et

Diſſertatio ſuper vtilitate euacuantium in curatione tumorum, vulnerum inueteratorum, vlce-

vlcerum caet. praemiſſo ſupplemento ad diſſertationem priorem, auctore EODEM.

Primo loco de neceſſitate euacuantium in vulneribus recentibus generatim diſſerit Cl. Auctor, conqueſtus, in plurimis libris elementaribus plane negligi diſquiſitionem ſtatus, in quo corpus laeſi, eius humores, digeſtionis viae et negotium fuerint; inde neque diagnoſin, neque indicationes bene formari; ſanguinis miſſionem orgaſmo ex vitiis primarum viarum exorto perperam opponi, imo magis officere. Diaetam rigoroſiorem, niſi euacuationes praeceſſerint vel interponantur, non corrigere peruerſitatem humorum, ſed extenuando corpus debilitatem inducere. De ſuppuratione per vſum euacuantium aut promouenda aut emendanda, ſi corpus humidum aut cacochymicum; et de eadem iisdem auxiliis moderanda, ſi nimia fuerit, et de cautionibus hoc in caſu adhibendis. Teſtimonia chirurgorum prioris aeui de neceſſitate horum remediorum. Quantum inprimis in noſocomiis militaribus momentum ponendum ſit in conſideratione conditionis aegri, in qua vulnus acceperit; inter quinquaginta milites duello inter ſe dimicantes vix duos inueniri, qui ſine incenſis a potu ſpirituoſo animi paſſionibus pugnam exorſi fuerint; et tamen raro praegreſſae ebrietatis, ſed vix non ſemper tantum vulneris rationem haberi. p. 15. p. 26. p. 29. p. 41.

In altera parte ſpecialius momenta quaedam pertractantur, quae euacuantium vſum neceſſarium reddunt. Vbi humores ad certum gradum commoti fuerunt, ad praecauendos effectus concuſſionis euacuandum eſt, praemiſſis tamen, ſi caloris aut ſiccitatis ſuſpicio eſt, attenuantibus et relaxantibus, ne euacuantia ſtimulo noxam inferant; optima ex his erunt ex claſſe antiphlogiſticorum cum nitro, pro re nata diluenda et iteranda. De neceſſitate euacuan- p. 43.

cuantium, vbi primae viae alimentis repletae ſunt. De debilitate per ſanguinis miſſiones inducta, licet eodem auxilio infarctus inflammatorius praeuertatur:
p. 50. fruſtra exſpectari reſorptionem humoris extra vaſa miſſi, ſi ſolida nimis debilitata fuerint, praecipue in cerebro; inde opus eſſe, vt actio ſolidorum ſti-
p. 56. mulo per euacuantia admoto reſuſcitetur. Exempla vulnerum capitis, quae periculoſiora viſa, praemiſſis parcioribus ſanguinis miſſionibus, potiſſimum euacuantibus ſanata ſunt, et aliorum, quae, licet trepanum adhiberetur, lethalia euadebant, ſectio-
p. 76. ne nullam laeſionem cerebri oſtendente. Digreſſio de ſuppoſita neceſſitate trepani ad euitandam preſſionem calli recens enati; hunc metum vel ideo vanum putandum eſſe, quoniam ipſa trepanatione ſpatium maius effici oporteat callo deinde replendum, qui multo maiorem poſtea preſſionem eſſet effecturus; neque tamen hoc ipſum fieri, in calua ex muſeo Cl. LOBSTEIN cognouit Auctor, in qua cicatrices ab ictibus acinacis aliquot ante mortem annis inflictis exterius inaequales, interius autem
p. 82. planae, licet non plenarie coalitae erant. Noxae emeticorum in extrauaſatione a diſrupto vaſe ma-
p. 90. iori cerebri. Diſſenſus auctorum conciliatus. De vſu euacuantium in vulneribus pectoris et abdominis. Denique, vbi locus iis ſit in vulneribus ſclopetorum, potiſſimum ex Cl. LOUBET *), ita tamen, vt eius praecepta non illuſtrentur tantum, ſed etiam corrigantur, inprimis, quatenus purgantibus ſub ſtadio ſuppurationis vtendum ſit.
p. 109. Progredimur ad obſeruationes de complicatione acrimoniae venereae cum ſcorbutica. De malo venereo cum aliis morbis complicato in genere. Difficultates ab eiusdem complicatione cum ſcorbuto.

*) Traité des playes d'armes à feu. à Paris 1753. 12.

buto. Differentiae ſcorbuti ex Cl. LIND **). In- p. 118.
ter plus quam octoginta milites praeſidii Argento-
ratenſis, qui anno 1781 morbo hoc complicato la-
borarunt, vix quatuor a bubonibus exemti fuerunt.
Symptomata huius morbi. Mortis ſubitaneae cauſ- p. 122.
ſam potiorem non ab haemorrhagia interna cum
Cl. LIND **), ſed potius a gangraena et putrefactione
viſcerum, pari ratione atque in herniis gangraeno-
ſis, deriuat Cl. Auctor. De dubia diagnoſi vtriuſ-
que morbi inter ſe complicati, indeque profecta
indicatione remediorum adhibendorum: de damno
a mercurialibus metuendo. Bubones venerei cum p. 128.
ſcorbuto complicati tum in initio tum ſub incre-
mento maxime dolent, quamquam palleant, nec ad-
motae manui caloris ſenſum imprimant; incremen-
tum autem adepti dolore carent, ſed ſunt plani,
lati, inaequales; raro reſoluuntur, et ſuppuratio
nonniſi lenta, difficilis et imperfecta ſequitur; in-
terdum ſerum ſanguine remixtum effundunt, mar-
ginesque offerunt flaccidos, pallidos et decolores;
interdum circulo liuido cinctos, quo in caſu fun-
dus vlceris ſordidus eſt; parietes eiusdem obdu-
cuntur materia alba floccoſa foetida, praecurſore
gangraenae velociſſime progreſſurae nulloque mo-
do ſiſtendae. Exempla quaedam inaequalis euen-
tus. Ex antiſcorbuticis ſuccus citri in caſibus qui- p. 134.
busdam exſtinguendo calorem internum mire pro-
fuit. De remediis aduerſus vlcera venerea, ne- p. 147.
ceſſaria eorumdem variatione, caet. De curatione p. 151.
bubonum venereorum: inciſione opus eſt, quum
vera inflammatio praeceſſit, quum bubo mediocris
voluminis aut in vicinia neruorum, arteriarum aut
venarum maiorum ſitus eſt; eſcharotico e contrario

*) Comm. noſtr. Vol. IV. p. 148.
**) l. c. p. 249.

(lapidem cauſticum reliquis praefert Cl. Auctor), ſi bubo inſignis magnitudinis eſt, ſuppuratione lentius procedente, nec niſi maturantibus ſtimulantibus adhibitis promouenda; tunc ſolutione cauſtici excitatur inflammatio febrisque localis, obſtructa
p. 157. reſoluens et in pus conuertens. Glandulis, quae humorem vitiatum ſtagnantem continent, adhuc quodammodo duris, relaxantia ob inde inductam debilitatem non conueniunt; licet enim tela cellulosa eas cingens fluida eorum applicatione allecta euacuet, tamen ſubſtantia ipſa non liberatur. Praeſtant igitur irritantia. Digeſtiua, ſi per longius temporis ſpatium applicentur, nocent; vlcere bene ſuppurante praeſtant lintea carpta ſubtiliora vnguentis. Saepe etiam fundus vlceris curationem retardat, qui duritiem ſeruat et ſaniem acrem ac rodentem plorat; tunc topicis opus eſt, quae moderatam inflammationem excitent et ſuppuratione, quod reſtat, conſumant. Quem in finem ſaepe oleum eſſentiale terebinthinae, tepidum plumaceolo exceptum, ſufficit. Nec alia detergentia reiicit Cl. Auctor, ſed cautionem in eorum vſu commendat. Vlcere deterſo vinum mellitum ſeu balſamum ſamaritanum melius conducit vnguentis aliisque pinguibus.

In libro ſecundo primo loco ſe offert ſupplementum prioris, in quo indicando breuioribus eſſe nobis licebit. In eo nimirum verſatur Cl. Auctor, vt diſſertationem priorem ab iniquioribus cenſuris quibusdam, quas non opus eſt fuſius allegare, vindicet, demonſtrans recentioribusque obſeruationibus comprobans, venae ſectionem non ſemper in vulneribus requiri, quin praeſentibus impuritatibus primarum viarum, ſpaſmorum caet. cauſſis, ſaepius officere, aut ſaltem curationem retardare; ſimilem eſſe mentem antiquiorum aeque ac noſtri temporis chi-

chirurgorum praeſtantiſſimorum, et quae reliqua.

Iam igitur in prima ſectione operis ipſius primo tumores inflammatorios pertractat, et neceſſitatem euacuantium in iis, qui a cauſſis internis oriuntur, demonſtrare ſatagit, innixus iudicio Cl. BOUTEILLE *) (an diſtinguendo ſatis diſpoſitionem inflammatoriam a bilioſa? vti iam monitum eſt in recenſione tractationis viri huius Cl.); euacuantia, ſi ſuppuratio auerti nequeat, eamdem moderari. Copioſe de eorum vſu in eryſipelate (vbiuis, vt opinamur, cognito) ſanguinis miſſionibus praeferendo, praeter id genus, vbi caput affectum eſt, in herpete et anthrace, vbi certe, ſi vmquam, depuratis demum primis viis, ſanguis mittendus eſt; de noxa venae ſectionis in vulneribus corporum cacochymicorum. Tunc progreditur ad tumores frigidos, obſtructiones glandularum inprimis venereas et ſcrophuloſas (vbi in tranſitu familiae illuſtrioris in Alſatia meminit, in qua per plus quam tria ſaecula malum arthriticum haereditate propagatum obſervare liceat, ita vt ab auo ad nepotem tranſeat, quadrageſimo demum anno ſe euoluens et plerumque ante quinquageſimum trucidans **),) et in his magis adſtipulatur Cl. BORDEU, quam Cl. FAVRE, in vſu continuato euacuantium ***). De bronchocele, cuius aliam ſpeciem calidam conſtituit, cuius cognitionem ſe Cel. LOUIS debere gratus fatetur, quae ab infarctu vaſorum, praegreſſa ſuppreſſione fluxus menſtrui aut haemorrhoidalis, exiſtat, et venae

p. 67. p. 77. p. 87. p. 93. p. 111. p. 120.

*) Comm. noſtr. Vol. IX. p. 451.

**) Simile propemodum exemplum vid. in b. LUDWIGII aduerſ. med. pract. Vol. II. p. 6. Comm. noſtr. Vol. XIX. p. 104.

***) Comm. noſtr. Vol. IX. p. 62 ſeqq.

nae ſectione, iunctis aliis remediis cauſſae cognitae oppoſitis, indigeat; aliam frigidam, ſeu reſoluentibus et euacuantibus, ſeu ſola exſtirpatione tollendam. De ſymptomatibus dentitionis difficilis, euacuantium vſu tollendis. De curatione ranulae per phlegmagoga, a Cl. SOULIER praeſtita *). De decubitu lacteo. Quatenus ab euacuantibus aliquid ſperare liceat in tumoribus frigidis ad articulos. De ſpina ventoſa et paedarthrocace. De tumoribus flatulentis. De herniis. Denique de expulſione corporum peregrinorum deglutitorum, ope purgantium praeſtanda.

p. 139. In ſectione ſecunda primo de diſcrimine inter vulnus et vlcus diſputat, et ex huius deſcriptione tranſitum ſibi parat ad ſuppurationem vulnerum, in qua miratur Cel. PETIT non prius quam vigeſimo ſe-

p. 151. cundo die, euacuantia praeſcribere. Horum vſus indicatur, ſi conſtitutio phlegmatica materiam purulentam nimis auget, ſi circa vulnus infarctus duriores paſſim exiſtunt, ſi tela celluloſa vicina inflatur, ſi fungoſa caro excreſcit, ipſiusque vulneris margines cum duritie eleuantur. De effectibus purgantium in reſorptione puris, ductis ſimul in vſum topicis emollientibus et relaxantibus. De indole puris peruerſa, quatenus purgantia requirat, nec ne. Plus iis, inprimis in corporibus pituitoſis, praeſtari, ad imminuendam nimiam puris copiam,

p. 162. quam ipſa diaeta. De ſymptomatibus in vulneribus inueteratis et vlceribus ab acrimonia humorum profectis, quae ſignis manifeſtis in primis viis ſe prodit, et copioſe admodum de eiusdem genera-

p. 175. tione, diuerſis gradibus, caet. Exempla duo gangraenae, leuiſſimis vulnuſculis in corporibus ſanis viſis ſuperuenientis et tertio die lethalis. De reſtrin-

*) Comm. noſtr. Vol. IX. p. 453 ſeqq.

ſtringendo euacuantium vſu in putredine humorum. De contuſionibus et inde metuenda gangraena: diſcrimen inter topica, a conditione corporis ipſius, caet. p. 186.

Tandem ſubiuncta eſt epiſtola Cl. CHAUSSIER ad Auctorem noſtrum, in qua primo errorem civibus ſuis adeo familiarem perſtringit, venae ſectionem in omnibus laeſionibus primum et omnium maxime neceſſarium auxilium eſſe oportere, et quantum inde damni oriri queat, exemplo feminae docet, quae curru deiecta leuiſſimam in capite laeſionem acceperat, et poſt iteratam demum ſanguinis miſſionem funeſta ſymptomata experiebatur, trepanoque adeo admoto ſexto die exſpirabat; ſectio poſt mortem inſtituta nec effuſionem nec infarctum in cerebro oſtendebat, vt adeo omnes triſtes ſequelae lapſus huius a ſolis ſpaſmis deriuandae viderentur. p. 201.

Cenſura Cl. POTT *) in vulneribus capitis venae ſectionem ſolam tamquam certiſſimum auxilium praedicantis, et commendatio opiatorum ad mentem Cl. BROMFIELD **), ſubiuncto exemplo viri iunioris, qui lapſus varia ſymptomata ſpaſtica oſtendebat, nec ſanguinis miſſionibus, nec purgantibus, nec liquori anodyno, ſed laudano liquido cedentia. p. 211.

Sententia Cl. DEASE ***), in laeſionibus capitis inflammationem nonniſi localem exiſtere, quae vniuerſo ſyſtemati ſanguifero adſcribenda non ſit, ideoque perperam eiusdem euacuationem ope crebriorum venae ſectionum poſtulet, quibus adeo obſtructio in finibus extremis arteriarum magis confirmetur, et caet. p. 214.

In carceribus Diuiodunenſibus (et certe plurium aliarum vrbium!) p. 223.

*) Comm. noſtr. Vol. XVII. p. 659.
**) Comm. noſtr. Vol. XX. p. 405.
***) On wounds of the head, London 1776.

bium!) ob impurum aërem vulnerati ſuppurationibus malae indolis ſubiiciuntur, et ſi venae ſectionibus opus fuerit, Cl. Auctor conualeſcentes ſcorbuto, oedemate pedum et faciei vexatos vidit, imo interdum aſcitem accedere: quare ſub ſtatu convaleſcentiae decocta ſudorifera cum lacte et purgantia exhibet.

p. 226. In primis poſt acceptum vulnus momentis terror, ira, animi affectus plus minus viuaces, aut ſolus dolor, oeconomiam animalem turbando accidentia grauiora producunt, quam laeſio ipſa; ſaepe etiam eo ipſo tempore ventriculus aſſumtis alimentis eſt repletus, quod frequentiſſimum eſt in aegris in noſocomia delatis: vnde praecellentia euacuan-
p. 238. tium prae ſanguinis miſſione patet. Tandem de infarctu inflammatorio medullae ſpinalis in regione colli, quam ignotus quidam pro ſede rabiei a morſu canis venditauerat; hunc autem non niſi effectum vltimarum conuulſionum eſſe Cl. Auctor ex diſſectione cadauerum didicit.

V.

Iournal de médecine, chirurgie, pharmacie, etc. dédié a Monſieur FRERE DU ROI. Tome LXI. 1784. 662 pagg. Tome LXII. 672 pagg. 1784. in 8.

i. e.

Diarii ad medicinam, chirurgiam, pharmaciam facientis anni 1784. tomi duo.

Tomo LXI. notanda maxime haec inſunt:

CHEVILLARD de pulmonari phthiſi humani lactis vſu ſanata obſeruatio. Phthiſis a decubitu acrium humo-

humorum in pulmones ortum duxerat. Morbo iam ad extremum vitae periculum ducto humanum lac, adhibitis medicinis compluribus aliis, praesentaneum leuamen attulit.

SEGRETAIN *in retentionis vrinae a nobiliſſ. viris,* WANTERS *et* DESGRANGES *obſeruatae hiſtorias meditationes vberiores.* Dubitatur, num ab vteri inuerſione vrinae retentio ortum ducere queat. Plura alia in prolixa admodum tractatione adducuntur, quae morbis his magnam lucem haud afferunt.

Obſeruationes uariae, auctore FORT. Notabi- p. 155.
les ſatis ſunt, et ſubrarae, Teſticulorum a lapſu ſauciorum hiſtoria. Seruatus alter teſticulus eſt, quamuis admodum contuſus, altero decedente. Caetera omnia optime ſucceſſerunt.

Pueri cui catulus teſticulum et mentulae partem deuorauerat, hiſtoria. Parentes tenerum puellum cum catulo in conclaue incluſerunt. Catulus fame forte allectus, lacerato ſcroto dentibus ſuis teſticulum ſiniſtrum deuorauit, dextrum ſpermaticum funiculum lacerauit mentulamque ad glandem vſque morſibus variis laeſit. Seruatus ſedula arte ſuperſtes teſticulus eſt, licet admodum laeſus, et ſanatio admodum proſpere ſucceſſit. Hiſtoriae exempla plura adnexa ſunt puerorum a beſtiarum cum ipſis incluſarum morſibus aut laeſorum admodum, aut necatorum.

Opthalmiae fictae, in qua viſus defecit, ſanatae hiſtoria, auctore LEAUTAUD.

ENGUIN *de equorum gemellorum partu, quorum mater grauiditatem fuerat perpeſſa ſuetum terminum duorum menſium ſpatio ſuperantem.*

BRILLHOUET *meditationes in* SUTTONI *annotata in hiſtoriam ab ipſo deſcriptam varioloſi morbi et medi-*

medicinarum in illo adhibitarum. Rixae ſunt ad ipſam rem illuſtrandam parum facientes.

p. 225. *Obſeruationes de peſte, auctore* LE ROUX DES TILLETS. Epitomen libri conſtituunt a Cl. viro SAMOILOWIZ de hoc diro morbo conſcripti. Additae ſunt obſeruationes Cl^um^ virorum DE MERTENS et PARIS.

Apoplexiae febri intermittenti ſuperuenientis hiſtoria, auctore LAIOIE. Nouus morbus aegrum tempore ab inſultu febrili vacuo inuaſit. Sanatus eſt medicinis emeticis, purgantibus et veſicantibus collo impoſitis.

CHIFOLIAU *hiſtoria efficaciae electricitatis in paralyſi adhibitae.* In vetula muliere poſt ſuppreſſas inconſulto vnguenti repellentis ope haemorrhoides, hemiplegia oborta eſt. Eam perfecte depulit diu continuatus electricitatis vſus.

p. 258. BEAUHIER *literae ad editorem datae, hiſtoriam morbi atrocis, quem ipſe ſuſtinuit, exhibentes.* Digitum leuiter acu vulnerauit, quum cadauer incideret. Vulnus vix conſpicuum in initio, nec dolorem vllum excitans dolores nocturnos intenſiſſimos, inflammationem gangraenoſam, digitos omnes, palmam, brachium vſque ad humerum occupantem excitauit, cum ſummo periculo. Reſoluta tamen inflammatio et mortuae partes ſeparatae die vigeſimo quinto morbi ſunt. Difficilior manus tam dire affectae mobilitas reſtitit. Clarum eſt, morbum panaritii naturam, vt quidam putauerant, non habuiſſe.

PASCAL *obſeruationes de moxae Sinenſium aut cylindri goſſypini ſecundum mentem* Cl^mi^ POUTEAU *adhibiti vſu.* Vlcus rebelle hac moxa artificiali exuſtum, cruſta decidua, ſtatim coaluit. Viro, a capitis vulneribus variis amentia et ſtupore affecto irritis aliis medicamentis, eadem artificialis moxa futurae

turae ſagittali impoſita, et caput mediante ea exuſtum eſt. Vſtionem conuulſiones excepere, at his diſcuſſis ſtatim aegro mens rediit.

LORRY, chirurgi, *de vtero ſciſſo obſeruatio.* p. 274
Sciſſura tam ampla erat, et partus doloribus vtero admodum obliquo et a medico circumforaneo male tractato inducta, vt foetus per eam in abdominis cauum elaberetur. Inciſo cadauere foetus putridus in abdomine ſeſe obtulit, vterus vacuus in ſiniſtra parte ampliſſimam ſciſſuram paſſus.

EPISAUD *obſeruationes de cataractarum membranacearum extractione.* Adiunctus fuit in aliquot cataractae caſibus lenti cryſtallinae turbidae membranae lentis talis ſtatus, vt luminis radios non transmitteret. Hinc et haec membrana cum exoptato ſucceſſu extracta eſt.

DELAPLANCHE, artis pharmaceuticae magiſtri, p. 280.
de aethere minerali tractatio, in conſeſſu collegii pharmaceutici recitata. Experimenta fuſe exponuntur, quibus tandem eo deuenit, vt modo a BAUMÉ propoſito aetherem ſalis communis obtineret.

DEMATHIIS *de medicamento quodam ad hydro-* p. 365.
phobiam ſanandam. Quum admodum exaltetur vitale principium in hydrophobiae morbo, Cl. vir ALPHONSUS LE ROI putauit, fore, vt hydrophobia non aliter ſanetur, quam imminuto, et ſuſpenſo fere vitali principio. Quem in finem DEMATHIIS V. Cl. canem rabidum et vere hydrophobum viperae morſu ab aquae metu perfecte liberauit: ob communicatum autem ipſi viperae venenum, aqua copioſe hauſta, mortuus eſt. Cum viperini morſus alcalino ſali volatili ſanari poſſit, putat Noſter, hydrophobia affectos ex tali morſu curationem atrocis morbi certo exſpectare poſſe.

SUMEI-

SUMEIRE *de emeticorum in his casibus vsu, vbi nulla eorum indicatio est.* Vomitum cum maximo successu concitauit in colica diuturna, siti nulla arte restinguenda, vertigine caduca.

ARCHIER *de puerperarum febre obseruationes.* Ipecacuanham sueto recentiorum more dedit.

EIUSDEM *de phthisi pulmonali sanata obseruatio.* Cochlearum terrestrium decoctione aeger phthisi pulmonali ex decubitu humorum serosorum laborans sanatus est.

P. 380. EIUSDEM *historia febris tertianae continuae biliosae cum pleuroperipneumonia coniunctae.*

P. 450. *Literae de herpetis natura, effectibus, curatione* RUSSELII *ad* DUMANGIN *datae.* Taxauerat DUMANGIN RUSSELII de herpete tractationem. Hae literae eorum confutationem continent, quae DUMANGIN taxauerat.

HOUDRY *de oedematosa angina aegrum paene suffocante.* Tumor aquosus enormis internas oris externasque colli partes occupauerat. Antiphlogistica methodus quum parum aut nihil proficeret, increscente tumore et suffocationis metu, incisus cum summo successu variis in locis externus colli tumor statimque spiratio liberior et deglutitio, penitus intercepta antea, facilior facta est.

DEMERRET *lactis in corpore oberrantis historia.* Abscessus puerperae in crure sinistro natus incisusque puris lactei insignem quantitatem reddidit. Postea sinistra mamma suppurata puris admodum foetentis libras duas demisit. Deinde in ore sinistro natus tumor pus lacteum, grumosum continuit. Panaritio tandem in manus dextrae digito oborto sanatoque aegra a morbo suo penitus liberata est.

P. 491. *Historia morborum a tinea capitis retropulsa natorum, cum extispiciis, auctore* LE CONTE DE PRE-VAL. Febris, verminosam referens tineam excepit

pit cum tympanitide. In pectore nullus dolor. Tamen inciso cadauere pus in pectore effusum, intestina flatu admodum distenta sese obtulerunt. Conclusio ex his Nostro est nullum etiam a paracentesi abdominis leuamen exspectandum fuisse.

LAMBOIRE *et* MOREAU *obseruationes in cadauere inciso factae.* Morbo a scrophulis inducto, lethali, puella XI. annos nata laborauerat. Inciſum cadauer pulmones admodum infarctos, praegrandes, tuberculis obsessos, hepar hydatidibus obsessum, in inferiori parte induratum, bilem admodum alteratam continens, mesenterium glandulis duris et scirrhosis obsessum, pylorum admodum contractum et intestina flatibus distenta exhibuit.

GENY *de ossium cranii fractura, cum dura et pia matre laceratis, cerebri suppuratione, obseruatio.* Aeger XI annos natus conualuit. p. 498.

Historia abscessus in rene sinistro, auctore CASSAGNE. Ictero, pedum oedemate, diarrhoea pertinaci aeger laborauit. Tandem tumor in lumbari regione sinistra obortus pus laudabile quidem reddidit, aeger autem ob virium imbecillitatem inde ortam mortuus est. Inciso cadauere, ren sinister massam calculorum insignem continuit.

DU LOU *historia tumoris carnei cultro recisi.*

DE LA ROCHE *ad editorem* literae, quibus censuram libri sui de puerperarum febre diario insertam illustrat. Literae additae sunt TISSOTI, quibus mentem suam de febris puerperarum natura exponit. Eam pro putrida febre habet, et, cautus licet in laudandis medicamentis admodum, ipecacuanham tamen, XXV annorum vsu comprobatam, in hac febre maxime laudat. p. 559.

TARANGET *atrophiae vniuersalis historia.* Cadauer inciſum pulmones inflammatos, cor a tabe tantopere consumtum, vt vix cognosci posset, pylorum p. 582.

lorum cartilagineum, admodum anguſtum, ventriculum contractum, humorem nigrum continentem, internam inteſtinalis tubi tunicam craſſam praeter naturam, carneam, inteſtina admodum anguſtantem, omentum, paucreas penitus fere conſumta, vterum carneam informem maſſam referentem, omnia denique caetera viſcera tabe atrociſſima conſumta exhibuit.

MOREAU *hiſtoria morborum in vrbe Vitry le François obſeruatorum, nec non leucophlegmatiae vniverſalis naturae conaminibus propugnatae.* Aeſtus inſolitus anni MDCCLXXXIII. febres tertianas et remittentes bilioſas tam frequentes induxit, vt paene omnes iis corriperentur. Hos morbos in plerisque hydropes varii excepere, pectoris inprimis, compluribus lethales.

Continuatio obſeruationum de vſu moxae Sinenſium, aut cylindri goſſypini, ad mentem Cl^mi POUTEAU, *auctore* PASCAL. Carioſum poſt retropulſam ſcabiem tibiae vlcus, moxa hac vſtum et ſanatum eſt. Eidem medicamento iſchiadicus dolor inueteratus ceſſit.

Partus laborioſi hiſtoria, quem fluxio in pectore excepit, auctore MOREAU.

De fulminis effectibus, auctore HAZARD, medico veterinario Pariſino. Mulieri ex leuiſſimo fulmine tonitruque colicae ſuperueniunt.

EIUSDEM *de equi mentula cancroſis vlceribus obſeſſa reciſaque obſeruatio.*

Numerus eorum, qui ab anno MDCCLXIV. *vſque ad annum* MDCCLXXXII, XIX. *itaque annorum ſpatio, Caleti mortui ſunt.* Incolarum numerus ſex millia vix excedit. Ex his annorum dicto ſpatio mortui ſunt 3022.

Tomo LXII. haec insunt:

MOREAU *epilepsiae persanatae historia*, nihil insoliti continens.

HATTE' *de balneorum tepidorum in febribus malignis vtilitate obseruationes.* Delirium phreniticum aegrum inuasit, data antea vomitoria medicina et diluente copioso potu. Tepidum balneum delirium, incantamenti instar, sopiuit, iteratusque balnei vsus tendinum subsultus sedauit. Postea vesicantibus et commodis medicinis aliis pristina aegro sanitas restituta est. Tandem de venaesectionis, Gallis vsitatissimae in quacunque febre, noxis in febribus ad biliosarum genus pertinentibus agitur.

TOUQUET *asthmatis historia.* Methodo simplicissima, inprimis sedula perspirationis conseruatione, mulier hoc morbo laborans sanata est.

BOUFFEY *obseruatio de periculo, quod bufones, cancro exulcerato, topicae instar medicinae impositi, adferunt.* Vetula virgo impositis quinquies bufonibus viuis exulcerato in mamma cancro mortua est, dolores ab ambiguo hoc auxilio atrocissimos experta. Putat Noster, venenum bufonibus inesse, indeque non impune talia animalia his vlceribus imposita mori et in putredinem liquari; resorptis enim putridis his humoribus putredinem et gangraenam internam humoribus inferri. Nec vnquam boni quid hoc auxilium cancro attulisse.

SUTTONI *in meditationes* Cl^mi BRILLOUET *responsio* absoluitur. p. 143.

Anonymi de puerperio infelici ad editorem literae, cum notis et epicrisi Cl^mi viri ALPHONSI LEROY. Quinque historiae narrantur parturientium, aut in partus doloribus, aut instituta caesarea sectione mortuarum, quum foetus brachium offerret. Quibus motus obseruationibus hunc situm foetus No-

ſter admodum periculoſum et lethiferum puerperae eſſe putat, quoniam ſaepe non liceat obſtetricanti omni data opera manu ſua ad pedes foetus peruenire, eosque, vt obſtetricantes praecipiunt, extrahere: at ALPHONSUS LEROY, vir in obſtetricia ſcientia peritiſſimus nec vlli facile ſecundus, errores auctoris noſtri confutat, neque, omnibus rite adhibitis auxiliis, talem partum adeo difficilem habet. Quod et hiſtoria ab ipſo adiecta praeclare docet.

p. 244. SUMEIRE *obſeruationes et meditationes de tuſſi ſicca et rebelli frigidi aëris et frigidi potus vſu ſanata.* Si ex dilatatis nimis oſculis vaſorum acris materies pulmones irritans deſtillat, optimum in frigidis medicinis praeſidium eſſe adſeritur.

FERRIERE *oedematoſae anginae hiſtoriae duae.* Aegrotus alter, quum ori inſpiciendo Noſter operam daret, ſuffocatus eſt, alteri bronchotomia inſtituta vitam, ſpiritu per vulnus arte inflictum facilius ducto, ſeruauit. Adſeritur, aſperae arteriae inciſionem in his caſibus tutiſſimam eſſe.

Febris quartanae ſaliuationis ope ſanatae hiſtoria auctore SOUVILLE. Aegra iam ante febris inſultum pituitam copioſe per os reddiderat. Reſtituta mercurii ope ſaliuatione febris ſiluit, ſanitas priſtina aegrae reſtituta eſt.

p. 256. DOURLEN *hiſtoria partus difficilis ob capitis paragomphoſin, mediante tamen vectе Roonhuyſiano feliciter peracto.* Epicriſi addita monet experientiſſimus vir ALPHONSUS LEROY, vt medici in deſcribendis partus difficilis hiſtoriis ſtatum rerum iuſte debiteque, nec generaliter nimis, exhibeant.

TERRAS *de lintei carpti proprietatibus et vſu in vulneribus et vlceribus ſanandis tractatio.* Initia tractationis ſunt admodum copioſae, nec ad finem cito perducendae. Ipſe Noſter, qui vulnerum tractandorum

dorum et ſanandorum occaſionem copioſiſſimam habuit, vnguentis et emplaſtris rariſſime vſus eſt, tam feliciter ſuccedente curatione, vt ſola quiete, regimine debito et lintei carpti vſu, vulnere ſimplici quodam emplaſtro tecto, vlcera maxime rebellia et inſanabilia paene feliciter ad cicatricem perducerentur. Quum autem localis huius medicinae vſus tam late pateat, Noſter, proprietatibus pertractatis, modoque linteum carptum applicandi, ipſa vulnera vlceraque, ad quae haec medicina inprimis valet, pertractat. Vulnerum autem vlcerumque omnium ſanatio quum naturae opera perficiatur, nec in chirurgo praeter obſtaculorum remotionem quid ſitum ſit, ad haec obſtacula carptum linteum inprimis valet, vulnera quippe contra aëris externi acceſſum muniens, blande et molliter fouens, acredinem abſorbens. Methodus tandem linteum carptum debite applicandi exponitur.

IOURDAIN *de maxillis artificialibus.* Icone a nobiliſſimo et in dentium morbis peritiſſimo viro propoſita illuſtrantur.

Sequuntur quaedam, at non magni admodum momenti, de magnetiſmo animali. p. 291.

GAULMIN DESGRANGES *hiſtoria epidemici morbi, qui in parochia Tronget exeunte Martio* MDCCLXXXIV. *graſſatus eſt.* Morbi epidemici in hac Galliae particula frequentiſſime et diriſſime ſaeviunt. Epidemico morbo, quem Noſter deſcribit, a Martio menſe exeunte vſque ad diem 23. menſis Aprilis XLIII. homines affecti ſunt, ex iisque vix quatuor aut quinque ſuperſtites euaſere. Peripneumonia bilioſo putrida et catarrhalis maligna febris morbum conſtituit. Morbum venaeſectiones lethiferum reddiderunt. In euacuantibus, vomitum inprimis concitantibus, plurimum praeſidii erat p. 351.

positum. Caeteris indicationibus corticis Peruuiani et vesicatoriorum vsus satisfecit.

Capitis doloris inueterati singulari accidente sanati historia. Saltu sanatus morbus est, concusso capite vehementer, et exanthematibus cutaneis in lumbari regione obortis, suppurantibus, quibus omnis dolor ablatus est.

SERRIES *vsus methodi medendi lenientis et refrigerantis in vteri conuulsiua contractione exemplo confirmatus.*

Historia nephriticorum dolorum retentioni vrinae adiunctorum ab antiquis excrescentiis carneis vrethrae canalem obstruentibus inductorum, auctore LEAUTAUD.

p. 371. NIEL *vulneris in pectoris cauum penetrantis historia.* Sanguinis parca admodum quantitas aegro detracta est, qui tamen, adhibitis internis medicinis pectoralibus, aluoque purgata, conualuit.

POTHONIER *historia vlceris alcali volatilis externo vsu consolidati.* Vlceri locus is erat, vbi Achillis tendo tarso immittitur. Sanatum est alcali volatili aqua copiosa diluto.

Tractatio de globularia, *auctore* RAMEL. Globularia alpium LINN. vim purgantem, et ob insignem amaritiem simul tonicam habet. Foliorum cum aqua decoctio purgat aluum et tonum mire instaurat: hinc omnes virtutes corticis Peruuiani rhabarbaro admixti habet. Hortatur Noster, propriis, vt videtur, destitutus obseruationibus, medicos, vt in febribus intermittentibus hac vegetabili medicina vtantur.

Continuatio tractationis Cl^mi TERRAS *de linteo carpti ad vulnera et vlcera sananda vsu.* Enarrantur modi, quibus natura ad vulnera consolidanda vtitur. Linteum carptum ad vulnera qualiacunque laudatur et enixe commendatur.

SECRETAIN *literae ad* DESGRANGES de vrinae in grauidis retentione veram cauſſam in hac vteri obliquitate habente, vt fundus vteri tertio quartoue grauiditatis menſe aut anteriores, aut poſteriores partes praeter naturam petat. p. 403.

Relatio eorum, quibus ex facultate Medicorum Pariſinorum et ex regia ſcientiarum ſocietate Rex magnetiſmi animalis examen accuratius demandauerat. Praeclara ex omni parte experimenta ſunt, quibus ſummi hi viri ad magnetiſmi animalis futilitatem probandam vſi ſunt: quum vero ipſe magnetiſmus in Gallia ipſa iam exploſus paene ſit ac ab omnibus repudiatus, non eſt, quod enumerandis experimentis his inſidemus. p. 449.

Experimentorum copioſa ratio regis iuſſu ab his ad magnetiſmi animalis naturam et efficaciam eruendam inſtitutorum, quibus ex regia ſcientiarum academia rex hoc negotium demandauerat, nempe ab Illuſtribus viris FRANKLIN, LE ROY de BORY, LAVOISIER et BAILLY. Egregia pariter ſunt et acumen ingenii virorum et hanc ob cauſſam meritiſſimorum produnt, quod magneticum furorem iſtum de Gallorum pectore efficaciter depulerint. Conſtat enim, Meſmerum cum rebus ſuis ab eo inde tempore cecidiſſe, quo experimenta academiae regiae ſcientiarum, ſocietatis regiae medicinae et facultatis medicae Pariſinae publicata ſunt. p. 561.

Pueri, cuius cor pectus externum occupabat, hiſtoria, auctore TOURTELLE. Gemellus alter, poſtremo natus, maſſam in pectore externo carnoſam habuit, quam adſtantes mulierculae pro naeuo habuerunt: at obſtupuit plane Noſter, quum pulſare hunc tumorem, formarique a corde, pericardio ſuo orbato, conſpiceret. Cor enim per inferiorem pectoris regionem tranſierat, ſciſſuraque inter coſtas facta, ad vmbilicum paene vſque pertingebat. p. 579.

Caruit pectus ſterno, mediaſtino et verarum coſtarum portione ſternocoſtali, integra tantum exiſtente prima ſupernaque coſta. Infimi ventris muſculi nudati nec cute tecti erant, niſi in laterali abdominis parte. Muſculi adeo abdominales ipſi in ſuperna abdominis parte defecerunt. Caeterum labium leporinum os pueri dehoneſtabat, quod altero etiam oculo caruit. Motus cordis admodum conſpicuus fuit. Sub quacunque ventriculorum contractione apex, longitudine cordis diminuta, contractus eſt arteriaeque pulmonales et aorta dilatatae ſunt. Contractiones attactu crebriores longe euaſerunt. Puer elapſo XXII. poſt partum horarum ſpatio mortuus eſt. Inciſo cadauere, praeter iam notata, ſana caeterum omnia, niſi quod palpebra inferior oculum, qui deeſſe videbatur, abſconderet.

p. 582. *Obſeruationes circa putridum quendam morbum, auctore* TARANGET. Aeger, die XXIV. morbi mortuus, putredinis in corpore animali viuo conſummatiſſimae ſymptomata exhibuit, nulla, nec efficaciſſima medicina interna (forte tamen balneis putredini aduerſis ex BILGUERI mente) coërcendae. Morbi phaenomena et medicamentorum effectus ſatis appoſite a Cl^mo auctore, obſeruatore ſedulo et ſagaci, explicantur.

Hydrophobiae alcali volatilis et vaporum aceti vini bullientis ope ſanatae hiſtoria, auctore HERVET. Elapſis octo a morſu canis rabidi admodum diebus hydrophobia aeger correptus eſt omnibus ſuis diriſſimis ſymptomatibus coniuncta. Medicinae, quarum in hiſtoriae titulo mentio facta eſt, copioſe adhibitae et adminiſtratae conuulſiones ſtatim ſedarunt, pulſum fortem reddiderunt, anxietatem profligarunt, verbo dirum morbum perfecte, in ſanitatem priſtinam reſtituto aegro, depulerunt.

De

De his, quae vini emetici vſum difficilem et non p. 609.
conuenientem ſatis reddunt obſeruationes, auctore CHEVILLARD. Virtus certe huic vino, ex antimonii hepate parato, non eadem ſemper eſt, quoniam albo vino, quod ſecundum codicem pharmaceuticum Pariſinum ad id parandum requiritur, par et aequale acidum non ineſt. Praeferendus itaque ex omni parte tartarus ſtibiatus codicis pharmaceutici Pariſini eſt.

Obſeruationes de arcani duplicati in morbis partum excipientibus abuſu, nec non de aquae frigidae clyſteris forma in affectibus flatulentis applicatae praeſtantia, auctore SOBAUX. Excepere arcani duplicati parcis admodum doſibus dati vſum ſpaſmi tonici in infernis, tonicique inſupernis articulis emulſionibus mitigandi. Alia aegra dolores abdominales et vrinae ſuppreſſionem poſt eandem medicinam ſumtam perpeſſa eſt, in aliis colicum dolorem, cum abdominis inflatione, excitauit. (Suſpectus certe is de duobus ſal eſt, quem Noſter adhibuit; ſed ob cuprum forte ſuſpectus; nos enim, qui eundem ſalem copioſe, et pulueris magis concentrata et ad nocendum apta forma dare conſueuimus, bonos complures, malos nullos, eo dato effectus obſeruauimus.)

Vrinae retentionis ſymptomatibus diriſſimis ſtipatae hiſtoria, auctore GENY. Frigido balneo et glacie perinaeo et abdomini impoſita morbus a violentia externa inductus ſanatus eſt.

Depreſſi occipitalis oſſis hiſtoria, anonymo auctore. Particulae fracti oſſis cum ſalute aegri reciſae ſunt.

VI.

Methodus formulas medicas conſcribendi. In vſum praelectionum academicarum edidit IO. FR. CHRIST. PICHLER. M. Dr. et collegii medicorum Argentorati ſocius. Argentorati, in bibliopolio Amandi König. 1785. in 8. cum permiſſu ſuperiorum.

Propoſitum fuit auctori noſtro, quum neque GAUBIUS, neque GRUNERUS, metam in libris ſuis de formulis conſcribendis attigerint, libro hoc in vſum academicum conſcripto partim nouas formularum medicinalium conſcribendarum regulas tradere, partim a GRUNERO V. Ill. dicta illuſtrare, reſcindere, partim additis medicamentorum formulis ſelectis lectoribus formularum ipſi in praxi familiarium ſpecimina exhibere.

Haec paene omnia in praefatiuncula magno quodam ſuetoque promiſſoribus hiatu proponuntur: librum vero ipſum inſpicientes, dictaque in eo conferentes cum iis, quae GRUNERUS in libro ſuo de formulis medicis propoſuit, mirati ſumus magnopere impudentiam hominis, non ſuffeciſſe ſibi a GRUNERO propoſita palam et effrena fronte dicentis, et tamen plurima, quae GRUNERUS tradiderat, in librum ſuum, mutato tantummodo aliquo modo paragraphorum et rerum pertractatarum ordine, transſcribentis.

Quae quidem omnia a GRUNERO, V. Ill. iam in praeclaro libro: *Almanach für Aerzte und Nichtärzte*, anno 1786. iam notata ſunt, exemplis tamen atrocis plagii non datis, dictisque in hoc libro motus PICHLERUS, in appendice ad GRUNERI librum mox citatum conſcripto, titulo: *Anhang zu Herrn*

Hrn. Profeſſor Gruners Almanach für Aerzte und Nichtärzte auf das Iahr 1786. von Dr. Ioh. Friedr. Chriſt. Pichler — Argentorati 1786. edito, omnem lapidem mouit, vt plagii crimen a ſe auerteret, exemplis adeo datis, non vero admodum copioſis, quibus oſtendere conatur, quantopere dicta ſua ab his, quae GRUNERUS de eadem re propoſuerat, diſcedant. Nos autem licet non negemus, in communi materie rerum ſcribendarum communem etiam auctorum diuerſorum ſententiam eſſe debere, librum tamen GRUNERI, cum eo quem PICHLERUS edidit, diligenter conferentes, paene omnia in eo dicta conſentientia perfecte quoad materiem et verborum adeo vſum geniumque dictionis, cum dictis a GRUNERO inuenimus, adeo, vt, quaecunque moliatur PICHLERUS ad plagii crimen a ſe amouendum, res ipſa ſcriptaeque literae perſpicue probent, PICHLERUM librum ſuum EX GRUNERIANO confeciſſe, et in mutandis quibusdam tam parum cautum fuiſſe, vt, qui libri eius origines veras non videat, in ipſo ſole coecutiat.

Si omnia turpis plagii exempla exhibere luberet, opus foret, vt PICHLERI librum penitus in commentarios noſtros transſcriberemus. Hinc quaedam tantum notanda duximus: vt aequi lectores cognoſcant, quam impudenter PICHLERUS egerit.

GRUNERUS.	PICHLERUS.
§. 2. Dicitur ea conſignatio, qua pharmacopoeum volumus materiem, menſuram et formam cuiusque rei adſumendae ordinare, formula. — Ea vero medicinae pars, quae praecepta huius conſignationis tradit,	§. 1. Formula vocatur medicis ea conſignatio, qua pharmacopoeo materiem, menſuram et formam cuiusque rei adſumendae atque exhibendae indicamus. Illa autem medicinae pars, quae praecepta huius conſigna-

GRUNERUS.

methodus formulas conſcribendi, *das Formulare.*

§. 3. Sunt vero quaecunque formulae aut *officinales*, aut *magiſtrales*, ſ. extemporaneae. Illae proſtant in pharmacopoliis ex auctoritate publica et norma qualiscunque diſpenſatorii — hae vero ex tempore et natura morbi nec non conditione aegri apparantur, caet.

§. 4. Ex his conficitur, formulas tales non, niſi eum ſcribere poſſe, qui therapiae generalis praeceptis ſatis imbutus ſit, beneque intelligat, vtrum ex indicatione aliquid aegro dandum ſit, nec ne, quale, quo tempore ac ordine, qua menſura — deinde qui cognitam perſpectamque habeat materiam medicam et pharmaciam, quoniam inde ſumi debent eae res, quibus tanquam inſtrumentis valetudo labeſcens firmatur et amiſſa redditur, neque vero vllo modo ordinate adhiberi poterunt,

PICHLERUS.

tionis tradit, methodus audit conſcribendi formulas, *das Formulare.*

§. 3. Sunt vero quaecunque formulae aut officinales, aut magiſtrales. Illae in officinis pharmaceuticis in vſum futurum paratae aſſeruantur; hae vero ex tempore, pro natura morbi, nec non pro aegri conditione parantur, hac ex ratione extemporaneae quoque appellantur.

§. 4. Quicunque formulas tales ſcribere vult

1) illum therapiae generalis praeceptis ſatis imbutum eſſe oportet, vt bene intelligat, an, quid, quo tempore ac ordine, qua menſura, caet. aegro aliquid propinandum atque exhibendum ſit.

2) materiam medicam perſpectam habeat, quoniam illa ingredientias formulis ſubminiſtrat. Tandem

3) pharmaciam et chemiam vt calleat neceſſe eſt, quae operandi modos atque effectus docent.

GRUNERUS.

runt, niſi medicamenta tam ſimplicia, quam compoſita, quoad indolem et apparatum, item regionum et locorum, vbi ars exercetur, rationem, et officinarum qualitatem curate norit. —

Caeterum in prooemio GRUNERI §. 5. cum PICHLERI §. 5. §. 6 cum PICHLERI §. 6. exacte conueniunt, contractis tantum quibusdam a GRUNERO dictis paululum et exemplis quibusdam additis, §. 7. cum §. PICHLERI 7. §. 8. cum PICHLERI §. 8. §. 10 et 11. cum PICHLERI §. 10. verbo omnia cum dictis a GRUNERO, quoad ipſa verba, vtplurimum perfecte conueniunt. Adiecit tantum PICHLERUS ſigna medicamentorum in officinis pharmaceuticis recepta a GRUNERO conſulto omiſſa.

Sed haec forte excuſari poſſent, quum generaliora artis cuiusque rudimenta eadem ſemper ſint, nec ii valde taxandi ſint, qui in exponendis iis virum ſequuntur, qui omnia breuiſſime et ſermone vere latino tradidit: ſed PICHLERUS noſter GRUNERUM non ſolum in introductione, ſed in vniuerſo libro tam preſſe ſequutus eſt, vt in qualicunque pagina, mutato tamen conſulto paragraphorum numero et ordine, plagia nequiſſima turpiſſimaque obuia ſint. En exempla quaedam!

GRUNERUS.

§. 24. Orſi a puluere ſimplici, videamus, quae obſeruandae in apparando regulae ſint. Hae eo redeunt:

PICHLERUS.

§. 21. Regulae in praeſcribendo puluere hae ſunt:

1) aptum

GRUNERUS.

1) aptum eſt, quidquid ſiccum natura ſua eſt, et in minutulas moleculas redigi poteſt. —

2) minus commoda ſunt, quae, vbi comminuuntur, rudem indigeſtamque molem dant, vel adfuſo quodam liquore — intumeſcunt, v. c. cortices et radices lignoſi. Tunc enim praeferamus infuſionem vel decoctionem.

3) neque idonea ſunt duriora quaeque, gummata, reſinae, mucilagines, odoratu vel guſtatu grauia, acria, alcalina fixa et volatilia, ſiue ſola ſint, ſiue cum acri quodam mixta. In his enim coniunctio aut fieri nullo modo poteſt, aut certe nauſeoſa fit conglutinatio. Quae ſi forma alia dantur, magis placebunt.

6. Nefas eſt puluerem exigere, vbi deglutitio difficulter fit, v. c. in

PICHLERUS.

1) ſi ad vſum internum deſtinetur, ſemper ſubtiliſſimus eſt adhibendus. —

2) ad pulueris interni formam minus commodae ſunt ſubſtantiae, quae vel adfuſo quodam liquore multum intumeſcunt, vel non niſi magna doſi effectum praeſtant. Tunc enim infuſio vel decoctio praeferenda.

3) neque idonea ad hanc formam ſunt, quae vel ſub aſſumtione per ſalivam aut vehiculum diſſoluta facile lenteſcunt, v. c. gummata ſtricte ſic dicta, vel conglutinantur, e. g. gummata reſinoſa. Idem valet de iis, quae odoratu aut guſtatu grauia, acria, volatilia: nauſeabunda ſunt enim ſub hac forma, et partes conſtitutiuae volatiles in auras facile diſperguntur, his ex rationibus forma pilulari propinanda ſunt.

6. In morbis difficili deglutitione concomitatis, e. g. angina, hyſterica-

rum

GRUNERUS.

angina, hyſtericarum acceſſione, ſyncope caet. Tunc praeſtabilior forma liquida eſt.

7. Doſis pulueris ore adſumendi fere eſt ſcrupulus vnus, drachma ſemis vel vna, rarius augeſcit, niſi vbi ex indicatione fit, vel ſalibus conſtat, quae vehiculo largiori diſſoluuntur v. c. ſal Ebſomenſe — tandem nunquam doſis increſcit, vbi puluis ex corticibus vel radicibus componitur.

8. Per ſubſcriptionem finiri debet, in quot partes molem omnem velis diuidi — — Docemus etiam per ſubſcriptionem:

a) *modum praeparationis*, v. g. M. F. triturando puluis groſſior, vel ſi ſubtiliſſimus eſſe debet,

PICHLERUS.

rum acceſſione, ſyncope, catarrho ſuffocatiuo, caet. pulueris forma non idonea eſt, tunc praeſtabilior forma liquida.

7) Doſis pulueris interni eſt a ſcrupulo ad drachmam, rariſſime vltra adſcenditur. Satius eſt repetere identidem, quam quantitatem nimis augere.

8) Non raro pondere non determinato praeſcribitur doſis, v. c. ad cochleare — ſi vero exactiſſime ad pondus definita requiritur, pharmacopoei potius induſtriae diuiſio eſt committenda —

10. Iubemus per ſubſcriptionem

a) modum praeparationis, v. c. M. f. *pulu. ſubtiliſſimus* — groſſus. — Si vero in deſigna-

GRUNERUS.

interdum additur M.F. alcohol.

b) *Tempus*, quam diu triturationi partium in pulverem redigendarum continuanda sit, v. c. *triturentur aequabiliter per quadrantem horae.*

c) instrumentum, quo haec fieri volumus, v. c. M. *soluantur mortario tecto, vitreo, lapideo.*

d) *partitionem massae* in tot partes, quot nobis placuit, vel quot medicina ipsa desiderat, v. c. *div. in VI. part. aeq.*

PICHLERUS.

signatione puluerulenta iam praescripsimus, tunc ponitur *M. exactissime.*

b) Repetitionem aut partitionem massae, in tot partes, quot in animo est, vel quot quantitas generalis postulat, e. gr. M. *f. pulv. pro dosi, dentur tales no. VI. aut misce exactissime, diuidantur in VI. partes aequales.*

Taedet plura plagii turpissimi exempla adducere; vt autem lectores sciant, totum paene librum hoc modo conflatum esse, loca succincte adducere placet, quibus PICHLERUS a GRUNERO *V. Ill.* dicta pro suis vendidit.

GRUNERUS.			PICHLERUS.
§. 2.	—	—	§. 1.
§. 3.	—	—	§. 3.
§. 4.	—	—	§. 4.
§. 5.	—	—	§. 5.
§. 6.	—	—	§. 6.

§. 8.

GRUNERUS.	PICHLERUS.
§. 8.	§. 8.
§. 10. 11.	§. 10.
§. 12.	§. 11.
§. 13 et 14.	§. 13.
§. 17 — 20.	§. 14.
§. 24.	§. 21.
§. 26. n. 2. 4.	§. 26. 2. 4.
§. 42.	§. 27.
§. 43. n. 1. 2. caet.	§. 28. 1. 2. caet.
§. 50.	§. 43.
§. 57.	§. 45.
§. 32. n. 1. caet.	§. 49.
§. 83.	§. 58.
§. 49. n. 1. 2.	§. 65. 1. 2.
§. 79. n. 1. 2.	§. 72. 1. 2.
§. 84.	§. 88.
§. 65. 3.	§. 93. 3.
§. 91. 1. 2.	§. 95. 1. 2.
§. 92.	§. 100.
§. 99.	§. 102.
§. 102. n. 3.	§. 103. 3.
§. 101. 1.	§. 104. 1. 2.

Loca transimus silentio plura alia, imo in tam angusto pagellarum numero vix memoranda, quibus mutato rerum pertractatarum ordine, et mox explicitis magis mox contractis GRUNERI, *V. Ill.* dictis, formularum conscribendarum rationem persequutus PICHLERUS est, adeo vt, si turpiter spoliata et nequiter aliis erepta excipias, liber parum admodum proprii habeat. Eamque ob caussam mirati eo magis sumus viri impudentiam inuectiuas in GRUNERUM acerrimas, in libello supra citato *Anhang in Gruner's Almanach*, conscribentis, quum tamen omnia, quae GRUNERUS in eum scripserat,

tat, veriſſima, αὐτοψία probante ſint, nec in rebus ad doctrinam literasque pertinentibus crimen paene vllum plagio maius ſit.

VII.

OPPIANI Poëmata de Venatione et Piſcatione cum interpretatione latina et Scholiis. Acceſſit Eutechnii Paraphraſis Ixeuticon et Marcelli Sidetae Fragmentum de Piſcibus. Tomus I. Cynegetica ad quatuor Codicum MSS. fidem recenſuit et ſuis auxit animaduerſionibus IAC. NIC. BELLIN DE BALLU, Inhalliae Monetarum curia Senator. Argentorati Sumtibus Bibliopolii Academici 1786. (forma octaua.)

Ante hos ipſos decem annos in eadem vrbe prodierat noua *Oppiani* editio a viro docto Germano procurata, quam auctor nouiſſimae ita fere inſequitur, vel potius inſectatur, vt ſi quis lector annotationes nouiſſimi Editoris ipſumque poëtam recte intelligere vbique velit, vtraque ſimul editione opus habeat. Non inficiamur quidem, multas Gallum ex collatione Codicis Vaticani, Veneti et Regii Pariſini vtriusque attuliſſe egregias lectiones, quibus multa Oppiani loca paſſim deprauata in integrum ſenſum reſtitui poſſunt; verum aut nullae aut paucae admodum ſunt lectiones, quae diſciplinam ipſam hiſtoriamque naturalem adiuuent, illuſtrentque. Verſus autem iſte, qui nunc primum ex Codice ſcripto prodiit, lacunam quidem praeclare ſupplevit in ſerie orationis, ſed ad hiſtoriam naturalem non pertinet. Maius igitur exſpectari debebat auxilium ab eruditione Editoris, qui hos libros interpre-

pretandos ſuſcepit. Verum is, quod ex animadverſionibus eius exiſtimare potuimus, in hiſtoria naturali plane hospes, per aliquod tantum temporis ſpatium in egregiis illuſtris BUFFONI libris habitaſſe videtur, vnde, quicquid ad rem ſuam facere putabat, fideliter excerpſit. Nec illi in mentem veniſſe videtur, multo maiore ac diuturna exercitatione cum in diſciplina critica, tum in hiſtoria naturali opus eſſe ei, qui veterum auctorum fabuloſa ſaepe et obſcura de rebus naturalibus ſcripta interpretari aggreditur. Verſionem latinam *Turnebi* ſub textu appoſitam emendaſſe quidem ſe iactat Gallus; verum in plurimis locis ſequi eam comperimus veterem lectionem, cum longe alia in textu poſita conſpiciatur. Nec poteſt multum auxilii exſpectari ab ea verſione, quae ſit ab homine docto quidem illo, ſed harum rerum plane ignaro, profecta. Optamus igitur, licet ſperare id vix audeamus, vt meliorem viam ingreſſus ſit Gallus noſter in verſione gallica, quam ſaepius in notis laudauit, nos vero nondum vidimus. Deſiderium tamen eius legendae mouit nobis, quod in Notis p. 336 refertur ex animalium hiſtoria Arabis *Eldemir* multa loca ab alio viro docto *Sylueſtre de Lacy* excerpta verſioni gallicae adiecta legi. Nos interim de virtutibus et vitiis huius nouae editionis ad lectores noſtros referemus, ſed ea tantum excerpemus, quae diſciplinam noſtram attingunt.

Libri primi verſu 295 equos Libycos ita deſcribit ex lectione Codicis Regii recepta a Gallo: μείζονες εἰσιδέειν — ἀλλὰ δέμας δολιχοί· πλευρῇσι γὰρ ἀμφὶς ἔχυσι τῶν ἄλλων πλεῦνες σπαθίην, κτένα τ' ἄνευθεν εἰσι πάσσονες εἰσιδέειν, καὶ κρείσσονες εὐθὺς ἐρύειν: quae verſio TURNEBIANA a Gallo immutata ſic interpretatur: *maiores adſpectu — corpore longi; lateribus enim ſuperant alios ſpatula, coſtarum pecti-*

ne, quocirca ſunt ampliores ſpecie, et meliores contra irruere. Quis vero hanc barbariem capiat! In notula textui ſubiecta amandat nos Gallus ad animadverſiones ſuas; ibi vero iocoſus homo vulgatam lectionem: τῶν ἄλλων πλευρὰ, σπαθίην κτένα θ', ὄνεκεν εἰσὶ et cet. explicat, et in extremo addit: *Sed hunc verſum e codice aliter dedimus.* Sed videamus, qua ratione homo perſpicaciſſimus vulgatam lectionem explicet. Rem, inquit, ſimpliciter explicabo, πλευρῇσι ἀμφὶς ἔχασι τῶν ἄλλων eſt, *illi equi* omnes alios lateribus vincunt. Nam ἀμφέχειν et ἀμφιγενέσθαι cum genitiuo ſignificat, vt omnes ſciunt, *vincere, ſuperare.* Quomodo autem lateribus vincunt? *quia maiores viſu ſunt latere,* (κατὰ πλευρὰ) *coſtae latitudine et ordine et diſtantia coſtarum.* σπαθίη et σπαθὴ eſt os coſtarum, coſta ipſa, ad cuius ſimilitudinem effecta eſt medicorum vel pharmacopolarum ſpathula, qua pharmaca miſcent. κτεὶς pectinem ſignificat et ordinem coſtarum. Hactenus Gallus. Sed in his deſcribendis riſum vix tenebamus. Quae enim eſſe poteſt ſpatulae medicorum cum coſta equi ſimilitudo? Quis deinde illi dixit, ἀμφέχειν ſignificare *vincere?* Etſi vero putat vir doctiſſimus, omnes hoc ſcire, nos quidem ignorantiam noſtram plane profitemur. Quidni exemplum aliquod apponebat ex copia ſua? Sed abeat, aliisque illudat. Nobis ridere licebit barbarum πλεῦνες et particulam moneta ſenatoris monetarii percuſſam ὄνεκεν, qua locupletauit litteras graecas.

Equos OPPIANO ὤρυγγας dictos verſu 317. de Zebra interpretandos cenſet, nec animaduertit, duo eorum genera OPPIANO poni; quorum alterius taenias comparat cum tigrium maculis oblongis, alterius maculis pardalis rotundis. Denique, quod rem conficit, vtrumque genus artificio humano

mano pictum affirmat poeta; igitur de Zebra non cogitabat.

Canes Agaſſaeos e Britannia verſu 468 deſcriptos interpretatur gallice *Baſſets à iambe torſe.* Addimus Celeb. PENNANT in Zoologia Britannica Quadrup. p. 22 aſſeuerare, de cane paruo ſagaci Anglis BEAGLE dicto hunc locum intelligi debere. Nobis non licet affirmare aliquid; dubia enim eſt ſignificatio verbi γυρὸς, quo OPPIANUS verſu 474 vtitur, quodque in verſione *curuum* eſt. Sed vox λασιότριχον aperte pugnat contra Galli opinionem.

Libro II. in recenſione variorum generum boum miramur ad verſum 84 de boue Aegyptio non afferri locum *Achillis Tatii* Lib. II. c. 16. verum tanto copioſior eſt Gallus in bobus Aoniis verſus 96 illuſtrandis. Verum aliis iudicandum relinquimus, quid viro docto in tota illa annotatione conſilii fuerit, et quid coniectando effecerit. Nos enim diuinare opinionem eius in tam confuſa et inepta oratione non poſſumus. Quod vero in extremo adiecit locum longum ex *Tzetzae* Chiliad. V. v. 398 ſumtum de venatione ferae fabuloſae, Monocerotis, quod ſuſpicabatur eum ex quinto OPPIANI libro deperdito deriuatum eſſe, in eo fallitur. Eandem enim narrationem plures olim ſcriptores frequentarunt, ex quibus eam repetierunt *Euſtathius* Antiochenus, in Hexaëm. p. 40 et *Petrus* Damianus L. II. Epiſt. 18. Facile tamen hodie his lautitiis caremus.

Boues Syriacos verſ. 100 et ſeqq. eosdem ac Caeſaris Vros et noſtros *Bufflas* cenſendos putat, donec firmiſſimis argumentis diuerſa opinio probetur. Haec poſuimus ipſa Galli verba. Sed tam facile negotium hoc tranſigi non poteſt, quam putabat. Aperte etiam eius opinioni refragatur color ab Oppiano proditus verſu 103 (αἰθωνες) ful-

vus; deinde, quod cornu valentes (κερασλκίες) dicuntur. Quod si vero Gallus popularis sui, illustris BUFFONI opinionem, Buffalum nostrum Graecis ignotum fuisse asserentis, impugnare volebat, vti debebat loco planissimo *Aristotelis* H. A. II. c. 1. quem tamen ipse iam illustris BUFFON alio postea loco laudauit, sententiamque suam retractauit. Hinc efficitur, vt credamus, non adeo diu in praeclaro popularis sui opere, nedum in ipsa rerum natura contemplanda, Gallicum *Oppiani* Interpretem habitasse.

Disputatio satis longa de Bisonte *Oppiani* vers. 160 seqq. satis monstrat, harum virium non esse de re tam difficili et summorum virorum dubitationibus iactata certi aliquid statuere. Forma cornuum plerosque interpretes impedit; hanc vero ita expedit Gallus, vt φοίνια κέντρα ὕπτια πρὸς αἰθέρα interpretetur cornua *in frontem supina* et mucrones curuos (hami instar) et in coelum euectos. Ita enim, addit, quicquid de misso capite animal ferierit, mucrones cornuum, vt hami, attollent, quod tradit *Oppianus*. Verum huic opinioni refragatur plane vsus loquendi, qui vult, vt cornua in frontem deflexa πρηνῆ, in dorsum vero reflexa ὕπτια dicantur. Eiusdem pretii est annotatio, qua πυρίγλωχινες ἀκωκαὶ versu 166 de cornibus bisontis ita explicat, vt mucrones istos cornuum reflexos igneis linguis similes dicat. En cor Zenonis! Hoc est sapere. In narratione de genere ceruino ostendit primum ad ὑτιδανὴν δειρὴν i. e. *tenuem ceruicem* versu 180. Igitur in animaduersione ad h. l. posuit: quo sensu sit nihili ceruorum collum, quod satis amplum et longum nouimus, non video: Igitur emendat μηκεδανῆ i. e. *procerum collum*. Specie quidem veri non caret haec correctio; sed in *Oppiano* verborum proprietas non adeo quaerenda est, vt persua-

perſuaſit ſibi Gallus. qui eum inter elegantiſſimos poetas collocat et fere Homero comparat. In quo quidem eum ſenſu et iudicio ſuo frui facile patimur. Praeterea recte animaduertit, nares quadruplices verſu 181 ex errore vulgari poſuiſſe *Oppianum*. Verum fortaſſe ſub errore hoc veri aliquid latet. Porro animaduerſione dignum etiam erat, quod *Oppiano* cerui vbique στικτοὶ, στικτόποδες, et αἰολόνωτοι i. e. *varii*, *pedibus* et *dorſo picti*, dicuntur; quae quidem nota in aetatem tantum iuuenilium ceruorum, *faons* Gallis dictorum, cadere videtur. Num igitur putabimus, ceruos *Oppiano* viſos ſemper fuiſſe variegatos; an aliam ſpeciem cerui ab eo intelligi ſuſpicabimur?

Ἴοχιον verſus 296 putat eſſe Axin *Plinio* dictam feram VIII. c. 21. in quo conſentientem ſibi poſtea reperit poſtremum *Oppiani* Editorem; ſed de bubalo verſ. 300 contra communem virorum doctorum opinionem inſurgit, putatque, cornuum formam bubalo ab *Ariſtotele* et *Oppiano* bubalo tributam plane ei refragari. Verum hic non ſatis poſſumus mirari leuitatem et temeritatem hominis, qui tantorum virorum opinionem impugnare auſus ſit, cum nec rerum naturae ſtudio nec ſeuera litterarum graecarum diſciplina ſatis excultus eſſet. Locus enim, quem adhibet, *Ariſtotelis* de Partibus Animal. III. c. 2 tantum abeſt, vt vulgari de bubalo opinioni obſtet, vt potius eam confirmet. *Quibus vero*, inquit, cornua *prae nimio exceſſu ſuperuacua ſunt, iis alterum auxilium natura adhibuit, vt ceruis velocitatem; grandis enim illa et multifida cornuum magnitudo potius obeſt, quam prodeſt. Bubalis etiam capreisque interdum cornua inutilia ſunt: nam etſi contra nonnulla reſiſtunt et cornibus ſe defendunt, tamen feroces pugnacesque belluas fugiunt.* Vides ergo verba de ceruorum cornubus poſita minime ad bu-

balos et capreas pertinere; et poterat eodem plane iure Gallus etiam capreis cornua multifida affingere ex hoc loco, quae ſimplicia omnes nouimus. In generibus caprarum ouiumque ſilueſtrium conſtituendis et explicandis nihil plane noui attulit Gallus ad verſum 326 et ſequentes, praeter nominum recentiorum varietatem temere poſitam. Ita ex argumento villi caprini putat verſu 377 cues rutilas (in verſione male eſt *rufas* pro ξανθαὶ) eſſe Muſmonas inſulae hodie Sardiniae et Corſicae indigenas. Nos vero ſingula ab *Oppiano* poſita ſigna diligentius diſtincta perſequemur. Αἰγάγρους igitur verſus 338 rupicapras noſtras intelligi putamus, argumento ſinuum cutaneorum, ſed coecorum, quos rupicaprae pone cornua vtrinque ſingulos habent ſolae cornigerorum animalium; de quibus praeter IO. IAC. HADERUM in Apiario p. 55 vide etiam Cel. PALLAS Spicil. zoolog. 1. no. 7. et Spicileg XI. p. 42, quem plane nobiſcum conſentientem habemus. Deinde mentione ouium caprarumque ſilueſtrium contineri etiam Strepſicerotem dictum Graecis plane arguit verſus 329 στρεπτοῖσι κεφαλῇσι κορυσσόμενοι κεράεσσι: quem CONR. GESNERUS olim non ſatis recte de cornibus in dorſum reflexis interpretatus eſt; ea enim cornua Graeci ὕπτια ſeu ſupina dicunt. De Subo verſus 382 ſeqq. nihil coniectando aſſequi licet in tanta OPPIANI breuitate. Monebimus tamen, etiam hic Subo colorem *rufum* in verſione tribui, qui *rutilus* (ξανθὸς) eſt, et ſplendidus. Pili praeterea breues, frons lata, cornua duo Subo ſunt. Quod vero amphibius dicitur ab OPPIANO, intelligendum eſt, vt de ceruis, qui flumina nando cibi cauſa ſaepe traiiciunt. Atque hoc quidem recte monuit Gallus.

De attagene verſ. 405 recte dubitat Gallus, an BELONII Francolinus ab illuſtri BUFFONO ſub nomine

mine Attagenis descriptus intelligi possit. BELONII francolinus inter pulueratrices aues est; ita etiam de attagene suo tradit *Aristoteles* H. A. IX. c. 49. quem scolopaci comparat in colore ibidem c. 26 (et hic quidem locus est, quem ab *Athenaeo* laudatum frustra se quaesiuisse in nostro *Aristotele* queritur Gallus in nota ad h. l.) et scriptor temporum Sullanorum ALEXANDER MYNDIUS apud ATHENAEUM IX. p. 387. Verum ARISTOPHANIS attagen habitat prata et loca paludosa, vt aperte satis indicant loca duo Auium vers. 245. et Vesparum vers. 257. vt adeo miremur, vnde in mentem venerit nupero ARISTOTELIS interpreti Gallico asserere in Comment. p. 112. Scholiasten graecum ARISTOPHANIS solum propter ignorantiam attagenem in pratis et locis paludosis collocare. Igitur statuamus necesse est, Attagenem Atticum a reliquorum Graecorum attagene praeter nomen nihil commune habuisse. Quod quidem exemplo non carere sciunt litteraturae graecae periti. Addimus hoc loco exortum nuper alium Gallum PEIROUSE, qui tetraonem lagopoda Pyrenaeorum montium describens in Mémoires de l'Academie de Toulouse T. I. 1782 asserit, attagena veterum esse gallinam corylorum, contra attagena recentiorum vna cum Lagopode altera PLINII esse Lagopoda plumis aestiuis vestitam. Videtur iam olim CONR. GESNERUS in eam opinionem pronus fuisse, vt attagenem intelligeret gallinam corylorum; verum haec opinio in attagenem ARISTOTELIS et ALEXANDRI Myndii cadere tantum modo possit.

De Otide, cui in descriptione *Oppiani* versu 407 *floret semper pilosissima auris* inepte prorsus exclamat Gallus: fierine potuit, vt feliciori penicillo proprioribusque coloribus Bistarda depingeretur. Sola enim auis est ista, quae a nascente

roſtro vſque ad aurem barbam gerat longam tenuibus plumis tenerae lanuginis ſimilibus formatam. Nos contra vix abſtinemus, quin exclamemus, potuitne clarius indicium fieri, Gallum Biſtardam vulgarem nunquam niſi fortaſſe in pictura aliqua vidiſſe, nec eam ab exterarum regionum generibus diſtinxiſſe. Solis enim peregrinis generibus auris pennis longis eminet, non biſtardae Galliae atque Europae indigenae!

De Oryge verſ. 445. quae traduntur in longa ſatis annotatione, noua quidem ſunt, ſed non vnius aſſis. Interpretatur enim orygem de rupicapra (Chamois); colorem lacteum intelligi putat luteum ſubpallidum; genas porro in ſolis rupicapris nigricare addit, et ſic omnia egregie conuenire in rupicapram, quae *Oppianus* de oryge tradit, praeter magnitudinem rhinocerote paulo inferiorem. Sed hanc comparationem ad emphaſin et hyperbolam poeticam refert. Tu vero, Lector, compara mihi egregiam Cel. PALLASII diſputationem in Spicileg. zoologico XII. qui quidem recte orygem *Oppiani* ab oryge reliquorum ſcriptorum diſtinxit, illumque ex notis poetae pro Leucoryge ſuo habet. (p. 63.). Hunc poſtea pictum exhibuit *Pennant* in Hiſtoria Quadrupedum Lond. 1781. tab. VI. Totus albus in media facie et temporibus maculam rufam praefert. Annotatione praeterea dignum eſt, verſum 454. qui vulgo legebatur ita: ἰοφόροι· κενεὴν δὲ φύσιν κεράεσσι λέγουσι, vt cornua orygis caua eſſe traderentur, nunc ex Codice Vaticano emendatiorem habere: ἰοφόρον κείνοις δὲ φύσιν κεράεσσι λέγουσι, i. e. *venenatam cornibus illis naturam eſſe aiunt*. In verſione tamen adhuc legitur: *caua vero cornua natura eſſe aiunt*. Nobis quidem haec noua lectio admodum blanditur, verum in tanta obſcuritate rei, de qua agitur, nihil plane ſtatuere licet de natura cor-

cornuum animalis, quod ne coniectura quidem assequi licuit.

Quae de elephanto traduntur in annotationibus, trita sunt et vulgaria. Poterat tamen admonere lectorem de diuersitate elephanti Libyci atque Indici, quam praeter *Polybium*, *Strabonem*, *Plinium* et *Philostratum* obiter etiam prodidit *Liuius* Libro XXXVII. c. 40. de bello Romanorum cum Antiocho magno, atque ex eo *Appianus* T. I. p. 582. ne pari quidem numero, inquit, Indicis elephanti Africi resistunt, siue robore animorum vincuntur, siue quia magnitudine; longe enim illi praestant. *Appianus* vero in eandem fere sententiam tradit, Africanos elephantos minores et breuiores esse ita, vt maiores Indicos timeant. Eadem porro differentia patriae et quidem paulo maior versatur in genere rhinocerotum; quae veteres non latuit. *Pausanias* enim et *Martialis* primi rhinocerotis Aethiopici bicornis meminerunt. Verum praeter cornuum diuersitatem et numerum alia etiam in corporis habitu differentia apparet, quam planissime nuper explicauit doctissimus *Camperus* post *Sparrmannum*.

Oppianus Gallo nostro rhinocerota iuniorem descripsisse videtur; quod quidem arguere putat non magnitudinem solum ab *Oppiano* illi tributam, sed macularum etiam mentionem (ita enim interpretatur ἐαθάμιγγας versus 559), quas fronti tantum dorsoque inesse poeta tradit, cum in maiorum et vetustiorum ferarum toto corpore crustae illae et tubera sparsa occurrant, quae illustris BUFFONUS *incrustations ou de tuberosités* appellat. Verum de magnitudine quid sibi velit Gallus, nescimus; eam enim oryge paulo maiorem rhinoceroti tribuit poeta; orygis autem magnitudinem non definiuit. De macularum etiam interpretatione propter colorem earum purpureum in flaua fronte et dorso dubita-

mus tantiſper, dum aliunde meliora edoceamur. Verum illud recte admonuit Gallus, verba καλλικόμοισι μετώποις nullo modo ferae prorſus glabrae, ſparſis tantum hinc inde pilis ſingulis per pellem, conuenire; hinc igitur emendabat πολυτόμοισι de rugis interpretatus frontis, quae tamen non adeo conſpicuae ſunt in fronte, quam in reliquo corpore. Deinde vox πολυτόμος eam ſignificationem, niſi auctore Gallo noſtro, non habet, nec omnino habere poteſt. Denique locum *Strabonis* Libro XVI. p. 533. de rhinocerotis pelle emendatum ſic ponit: ἔχει δὲ καὶ δύο στόλας pro στύλας i. e. habet duo cingula (i. e. ſinus profundos pellis rugis efformatos) tanquam draconis ſpiras a dorſo vſque ad ventrem decurrentia, alterum verſus collum, alterum ad lumbos. Verum nobis locus hic multum adhuc dubitationis habere videtur; neque enim στόλος graece ita dicitur, nec videmus ſimilitudinem cum ſpiris draconum, nec denique quomodo duo tantum eiusmodi cingula nominauerit *Strabo*, cum totum vbique corpus rugis eiusmodi exaratum ſit. Nec meliore fortuna acutiſſimus Britannus *Tyrwhitt* emendabat p. 45. τύλας, quae vox proprie de callo, deinde etiam de tubere calloſo cameli vſurpatur. Nobis hic locus opportunus videtur lectorem de loco *Coſmae Indicopleuſtae* admonere, qui in Topographiae Chriſtianae Libro XI. multa animalia Indiae et Aethiopiae propria deſcripſit. Is igitur etiam de rhinocerote bicorni tradit, quem viuum mortuumque ſaepius in patria contemplatus erat. Nomen Aethiopicum ponit *Aru* vel *Hariſi*, et cornua duo incedentem feram motitare, iratam vero firmiter defigere, infimoque inprimis arbores etiam exſcindere refert. Ex quo apparet, veterem eſſe narrationem, de qua apud Hottentottas inaudiuit *Sparrmannus* p. 412 de mobilitate cornuum, cuius fidem

fidem et veritatem nec *Sparrmanno* in viua beſtia aut comprobare aut reiicere licuit.

De pantheris, quos *Oppianus* verſu 522 obiter cum felibus et aliis animalibus paruis nominat, miram legimus ad h. l. annotationem: Duo tantum in tota ſunt antiquitate ſcriptores, qui de pantheris iſtis loquantur, noſter et *Ariſtoteles* H. A. VI. c. 35. Deinde adſtipulatur illuſtri *Buffono*, qui panthera *Oppiani* putat eſſe thoum ſpeciem minorem, atque omnino eam feram, quam ipſe ſub arabico nomine Adiue deſcripſit. Verum fallitur illuſtris *Buffonus* in eo, quod thoëm minorem eundem putat cum panthere; *Ariſtoteles* enim, qui duplex aut triplex thoum genus ex vulgari traditione prodit, alio loco (quem Gallus laudauit) ſimul panthera et θῶας nominat. *Oppianus* vero ſimpliciter θῶας nominat, nulla plurium generum facta mentione. Praeterea in loco *Ariſtotelis* VI. 35. dubitari poteſt, an ſequentia verba, quae vulgo ad thoas referunt: *Corpore*, inquit, *porrectior vſque ad caudam ſed altitudine minor. Celeritate aeque praeſtat, quamuis crura habeat breuiora; mollis enim et agilis eſt, proſilireque longius ob eam rem poteſt:* potius ad panthera, cuius mentio antea facta eſt, non referenda ſint. Singularis enim numerus ad ὁ πανθὴς redit; thoës vero plurali numero deſignat, quod plura thoum genera ipſe alibi tradiderat. Denique quod nullum ex antiquis ſcriptoribus praeter *Ariſtotelem* atque *Oppianum* pantherum meminiſſe aſſerit Gallus, in eo memoria eum fefellit. Nominabimus hic ſolum *Aelianum* XV. c. 14. qui inter alia dona etiam pantheras cicuratos regi ſuo ab Indis afferri tradit. In loco de echino verſu 597 ſeqq. magnum ſibi lucrum feciſſe videtur Gallus in lectione Codicis Veneti, quae vulgatum μείζονος *maioris* mutat in μείονος i. e. *minoris*. Rationem vero non capimus, quae

quae eum impulit, vt eam mutationem tam auide amplecteretur. De maiore enim, ait, hyſtrice aget poeta in libro tertio. Quo vero argumento docebit, *Oppianum* echinos cum hyſtricibus permutaſſe, quos nomine diſtinxerat? Quodſi id fecit, non videmus, qui ignorantiae, barbariei vel petulantiae crimen recuſare poſſit, qui in tanta nominum diuerſitate lectoribus illuſerit.

Ad Caput de Simiis verſu 605 ne verbulum quidem appoſitum reperimus, quo *trina* ſimiarum genera explicarentur. Videtur autem *Oppianus* tres ſimiarum claſſes conſtituiſſe; de ſpeciebus enim numerus verus eſſe non poteſt, quarum multo maior *Ariſtoteli* iam olim cognitus fuit.

De dente elephanti reperimus in Addendis annotationem ad locum *Oppiani* verſu 507 ſeqq. quam omittere non debemus. Tradit ſcilicet *Oppianus* cum *Pauſania* p. 159. dentes elephantinos aeque ac cornua bouilla igne emollita dilatari in variasque formas duci poſſe; quod quidem artificium nobis hodie incognitum eſt. *Sed veteribus*, inquit Gallus, *artem eburis igne et malleo molliendi innotuiſſe, eo probabilius eſt, quod hodie reperta eſt ars illa et Chymicis quibusdam non eſt ignota, vt nuperrime didici a clariſſimo viro Meunier, Acad. Scient. Pariſinae Socio.* Argumentandi haec ratio valde quidem noua nobisque inaudita eſt; res tamen ipſa propter manifeſtum *Pauſaniae*, artium elegantiorum peritiſſimi viri, teſtimonium certa nobis videtur, et miramur, obſeruationem hanc non animaduertiſſe viros doctos, qui de arte veterum, qua ſtatuas eburneas elaborarunt, ſcribere aggreſſi ſunt.

Procedimus ad librum tertium, vbi ad verſum 35. et ſequentes, quibus *Oppianus* leones Libyae colore caeruleo nigroque mixto, et deinceps leonem Aethiopiae nigrum ore fuluo commemorat, recte

recte admonet, *Plinio* Libr. VIII. c. 17. *leonum in Syria tantum colorem nigrum esse* asserenti fidem vix haberi posse, nisi ex *Oppiano* nomen Libyae pro Syria reponatur. Sed debebat praeterea Gallus differentiam duplicis leonum generis, quod tradit *Oppianus*, Asiatici scilicet et Africani, accuratius explicare, et cum simili prorsus distinctione ab Aristotele primo H. A. IX. 44. deinde ab eius assectis *Plinio* VIII. c. 18. *Aeliano* H. A. IV. c. 34. et *Solino* c. 27. facta comparare, vt, quid veri narrationi insit, lectores intelligere possint. Quamuis enim illustris *Buffon* de hac leonum diuersitate taceat adeoque dubitet, vix tamen huic *Aristotelis Oppianique* consensui omnis abroganda esse fides videtur. Quotam enim hodie Africae partem, indigenarumque eius animalium nouimus? Itaque exspectandum, vt posteritas veterum auctorum narrationi auctoritatem addat; interim tamen sedulo inquirendum erit, quid de hac varietate leonum tradiderint. Singula igitur momenta ex verbis *Oppiani* collecta et definita verbis planis ponemus. Leones Asiaticos, id est, Armeniae, Parthiae Arabiaeque indigenas, iubatos, praegrandi capite crassaque ceruice et imbelles ponit; contra Libycos breui pilo vestitos, sine iuba, colore caeruleo nigroque mixto, aut totos nigros, omnium fortissimos. Sed praeterea in verbis σμερδαλέος δὲ πρόσωπα καὶ αὐχένα, quae vertunt vulgo: *horrendus facie et ceruice:* praeter horroris notionem, quae notam generi leonum diuerso distinguendo satis aptam non praebet, maius aliquid et signum clarius latere putamus. Igitur persuasimus nobis inibi colli capitisque proceritatem et argutiam tradi; qua nota etiam Aristoteles fortius leonum genus distinxerat, vbi ait: τὸ δὲ μακρότερον καὶ εὐθύτριχον ἀνδρειότερον i. e. *genus procerum, breui simplicique villo fortius est.* Contra alterum

alterum genus, cui *Oppianus* collum craſſius et praegrande caput iubamque prolixam tribuit, *Ariſtoteles* στρογγυλώτερον, ὁλοτριχώτερον καὶ δειλότερον appellat; idem *Plinius* compactile et breue, criſpioribus iubis, pauidius; *Aelianus* γυρότερον καὶ συνεστραμμένον καὶ τὴν χαίτην λασιώτερον ſatis bene interpretati ſunt. Vides itaque, lector, tantum abeſſe, vt *Oppianus* a diſciplina *Ariſtotelis* longe abeat, vt potius plane cum ea conſentiat, eamque ſignis atque argumentis clarioribus explicet atque illuſtret. Supereſt tamen, vt notionem longitudinis, quam verbo σμερδαλέος ex conſenſu etiam orationis ipſius tribuimus, auctoritate et exemplis aliorum poetarum confirmemus. Suppeditabit ea nobis *Nicander*; is de aſpide in Theriac. verſu 160 tradit: ἣ καὶ σμερδαλέον μὲν ἔχει δέμας, quod *Eutechnius* in paraphraſi graeca interpretatur: μεγίστη δὲ ὄσα i. e. *longa et magna corpore.*

Ad locum de Onagro verſ. 183 ſeqq. recte illud primum monuit Gallus contra poſtremum Editorem, Onagrum *Oppiani* diuerſum plane a fera Africana hodie Zebra dicta, quam primus *Philoſtorgius* deſcripſit, eſſe onagrum latinis etiam ſcriptoribus dictum, id eſt aſinum ferum, cuius venationem Romani diligenter exercuiſſe videntur, vt genus aſini villaticum et domeſticum coniugio ſilueſtri emendarent, docente inprimis *Columella.* Idem iam olim monuerat illuſtris *Buffon* in hiſtoria Aſini; idem deinde confirmauit egregius *Pallas* noſter in Symbolis Septentrionalibus, vbi onagrum ſibi viſum ſaepius praeclare deſcripſit et viuis coloribus pinxit. Idem vero iam antea in Spicileg. zoolog. XI. p. 5. de aſinis feris bene docuerat. Inſula Caudo in vicinia Cretae inprimis ferax pulcherrimorum onagrorum traditur a *Suida*; eandem inſulam *Plinius* IV. 12. cum *Mela* II. 7. Gaudon appellatam cum

cum Chryſa contra Hierapytnam ſitam ait. Eandem etiam memorat *Callimachus* apud *Strabonem* I. p. 44. Eaedem denique hodieque a Graecis recentioribus propter onagrorum copiam Γαιδαρονῆσοι, *aſinorum inſulae*, appellantur, auctore TOURNEFORT in Itinerario T. II. p. 53. — Sed ſuperſunt tamen quaedam in narratione *Oppiani* loca, quae Gallus praeterire non debebat, quaeque nobis dubitationis multum habere adhuc videntur. Primum verba illa de taenia ſeu faſcia nigra, quae medium dorſum cingit χιονέης ἑκάτερθε περισχομένη στεφάνῃσι, i. e. vt in verſione *Turnebiana* legitur, *niueis vtrinque cincta lineis*, recte quidem Gallus p. 247. de linea nigra dorſi, quae aſſidente vtrinque alba, ſuper humeros anterius deſcendit, crucisque ſpeciem exhibet, in aſino vulgari etiam interpretatur; ſed docere omiſit, quomodo color ἀργύρεος ſeu argenteus onagro conueniat, quem nec *Pallas* noſter in onagris ſuis vidit. Voluit quidem Gallus perſuadere nobis, hunc eſſe colorem argenteum, qui aſininus et κίλλιος Graece dictus fuerit, auctore POLLUCE in Onomaſt. L. VII. ſegm. 56. (quem locum iam olim CONR. GESNERUS adhibuerat) verum nemo ignorat, colorem iſtum a ſano homine non potuiſſe ἀργύρεον dici; Credibile tamen eſt, *Oppiano* aut aliter dici ἀργύρεον, aut aliam, olim fuiſſe huius loci lectionem; nam aliter χιόνεαι illae στεφάναι, lineae illae niueae, in colore argenteo vix poterant diſtingui. Praeterea epitheton ἠερόεις ſatis indicat, quem *Oppianus* colorem Onagro proprium facere voluerit; nempe, vt recte olim CONR. GESNERUS aduertit, ex cinereo ſplendidum, quem ſupra etiam verſu 74 in pardali χροιῇ ἐπὶ παμφανοώσῃ ἠερόεις dixerat. Emendatione verſus 185. a Gallo propoſita, qua vulgatum ὅστε πέλει Φαιδρὸς mutat in ὅσσε πέλει Φαιδρὸς i. e. *oculis eſt hilaris*, non magnum lucrum hiſtoriae natu-

naturali accedit. Quod vero verba ἄρκιος δέμας de apta membrorum compoſitione explicat, illuſtranda erat illa notio exemplis pluribus ex *Oppiano* allatis, qui vſum huius vocis frequentat. Ita de cameiopardali verſu 477. memoratur ἄρκιον ὡς ἐλάφοιο, τέρεν στόμα, vbi verſio *Turnebiana habet: ſatis patulum vt ceruo tenerum os;* nec tamen ibi annotatum aliquid reperimus. Denique hoc loco poterat ab interprete *Oppiani* memorari inſignis aſini nota, quam ex vſu vulgari repetitum ſine dubio tradidit *Antimachus*, poeta *Colophonius*, cum *Callimacho*, Cyrenaeo. Hi enim aſinum optimae notae appellant ἐννεάκυκλον; ſunt vero κύκλοι, auctore HESYCHIO et HERODIANO, αἱ ἐν τοῖς σκέλεσι τῶν ὄνων περιγραφαὶ μέλαιναι i. e. circuli nigri in pedibus aſinorum; qualibus reuera multi etiam noſtratium aſinorum humeros et femora cincta gerunt, vt iam annotatum video in illuſtris BUFFONI hiſtoria animalium.

Locum difficilem verſu 251 ſeqq. de equis Aethiopiae feris, ita feliciter extricaſſe ſibi videtur Gallus, vt equos fluuiatiles intelligi putet, quibus, vt verum fateamur, ſatis bene omnia in *Oppiani* deſcriptione conueniunt, praeter iubam per medium dorſum ad caudam vſque excurrentem, cum *Ariſtoteles* iubam equi ſimpliciter hippopotamo attribuerit. Sed miramur, Gallum non offendiſſe ad locum natalem equis feris aſſignatum ab *Oppiano* ἐπὶ κρημνοῖς ἐπὶ τέρμασιν Αἰθιοπήων, quod verſio *Turnebiana* interpretatur *in praecipitiis vltimis Aethiopum.* Quid enim aliud hippopotamum praecipitiis aſſignare eſt, quam delphinum appingere ſiluis. Verum fortaſſe huic difficultati ita poteſt occurri, vt dicamus, κρημνὸς h. l. eſſe ripas fluminum, aut loca paludoſa; quemadmodum paulo poſt verſu 365 de apro eſt, eum cubilia ponere πυμάτοις ἐπὶ βένθεσι

βένθεσι κεημνῶν, vbi aeque inepte de praecipitiis capiunt. *Pindarus* etiam κεημνὸς ſaepe de fluuiorum, paludum et maris ripis dixit. Quod vero ipſam equi fluuiatilis formam attinet, mirum quantum in ea deſcribenda veteres graeci et latini ſcriptores cum a ſe inuicem tum a recentioribus differunt, vt iam olim monuimus in cenſura Ariſtotelis Gallici. Poſtea hippopotami crocodilum faucibus tenentis imaginem ex gemma antiqua caelata (no. 62.) publicauit *Deſcription des Pierres gravées du Cabinet du Duc d'Orleans* T. II. vbi editor p. 167. de hoc diſſenſu monuit, et doctiſſimi *Aubentonii* diſputationem eadem de re adiunxit. Denique quod deſcriptionem Gallus noſter hippopotami, tanquam vero proximam, raram, et ex auctore manuſcripto et anonymo profectam repetiit ex *Bulengero* de Ludis Circenſibus, in eo egregie falſus eſt. Is enim totus locus, quem *Bulengerus* tanquam ex auctore manuſcripto depromtum poſuit, exſtat hodie longe integrior in *Euſtathii*, Antiocheni, Commentario in Hexaëmeron p. 21. Nobis quidem, ſi credere volumus, *Oppianum* etiam hic cornua cum dentibus nomine tenus permutaſſe, eodem iure coniicere licebit feros Africae equos intelligi animal vernaculo nomine *Gnou* dictum, equo quidem toto corporis habitu admodum ſimile. Sed hoc eſt hariolari! In loco obſcuro de luporum quinque generibus verſ. 293 et ſeqq. explicando nihil attulit Gallus, quod ad ea genera diſtinguenda atque explicanda pertineret, niſi quod recte monuit, genus primum ſagittarium dictum, verſu 295. ξανθὸς πρόπαν εἶδος *rufum*, non vero *flauum*, eſſe interpretandum. De altero genere, accipitre dicto, vulgata lectio verſus 312. arguebat, eum inprimis capras depraedari; ſed lectio Codicis Vaticani habet ἄγρη, quod h. l. praeſtat vulgato αἰγί. Quartum genus vulgata

lectio verſus 327 εὐρύτατον ὤμοισι *latis armis* prodebat; ſed lectio Codicis Vaticani habet νώτοισι, *lato dorſo*. De lectionis veritate nondum decernere licet, quoniam haec genera prorſus ignoramus adhuc. Recepit tamen Gallus lectionem Vaticanam, relictis in verſione *Turnebiana*, quam emendandam ſuſceperat, *latis armis*.

De thoibus verſu 37. recte monuit Gallus, illuſtrem *Buffonum* cum aliis male eos cum lupo aureo, *Chacal* vulgo dicto, permutare, a quo tamen notis quibusdam ab *Oppiano* editis ſatis diſtinguuntur. De thoibus ab *Ariſtotele* dictis res non adeo clara eſt; nimis enim pauca philoſophus de eorum vita, nihil plane de forma prodidit.

Locum de hyſtrice verſ. 393. vbi primum τῶν ἄτοι μέγεθος μὲν ὁποῖα λύκοισι δαφοινοῖς, i. e. *magnitudo quanta luporum*, deinde vero βαιὸν, ὀλιζότερον — δέμας i. e. *paruum et breuius corpus* dicitur, recte quidem Gallus in corruptelae ſuſpicionem adduxit, quod duo iſti verſus recta fronte invicem pugnant; ſed medela ab eo propoſita: τῶν ἄτοι et cet. i. e. *horum magnitudo non tanta eſt quanta luporum, ſed parui et breuiore corpore ſunt*, admodum nobis inepta videtur. Voluit enim ſine dubio poeta docere, cui ferae maxima cum hyſtrice ſimilitudo aut formae aut magnitudinis intercedat, nec intererat lectoris ſcire, cui diſſimilis ſit. Igitur corruptela aut in voce λύκος, aut in ὀλιζότερον, latet. Nihil enim fere hyſtrix cum lupo commune habet.

Narrationem de ichneumone mire corruptam Gallus plane non attigit, niſi quod verſu 437. lectionem Codicis Vaticani poſuit de cauda ichneumonis: ἄκροισι κεφαλὴ δοκέει δ' ἔμεν οἷσι κορύμβοις, ἄντα μελαινομένη, θηρῶν φολίδεσσιν ὁμοίη, quod verſio *Turnebi* a Gallo emendata h. l. interpretatur:

nam

nam cauda ei procera et ſerpentina eſt, ſummis apicibus caput eſſe videtur, contra nigricans. Ad verba ἄντα μελαινομένη adſcripſit Gallus: verte ἄντα ex aduerſo ſpectata, *vue de face.* Verum quo argumento hanc interpretationem lectori approbabit? Deinde nulla poteſt eſſe loci huius iuſta interpretatio, dum aliunde ei medicina facta fuerit. Quid enim monſtrum lectionis a Gallo poſitum auctoritate Codicis Vaticani nos adiuuat? Quae poteſt excogitari caudae ichneumonis cum capite eius ſimilitudo? Scimus caudam eius deſinere in pilos longiores, quos vna cum reliquis caudae pilis contorquet iratus, erigit antrorſum (hinc *Oppianus* recte ἀντία γυρώσας verſu 440.) et melium more grunnit, vt diſcimus ex accurata ichneumonis perſici deſcriptione in Symbolarum Septentrionalium Cel. PALLASII Vol. IV. p. 99. data. Κορύμβης ἄκρης poſſumus pilorum faſciculum in caudae apice prominentem interpretari; ſed quid faciemus illa ſerpentum ſquamis ſimili cauda? quae in ichneumone non ſquamoſa, ſed piloſa eſt. Vides igitur, Gallum non modo lectorem nihil in hac difficultate adiuuaſſe, ſed multo etiam magis aliena intruſa lectione turbaſſe.

Ad verſum 504. legimus hoc Galli decretum: Cuniculos et lepores confudiſſe videtur *Oppianus*; at Xenophon contra, ex cuius libello de Venatione noſter haec cuncta de leporibus deſumſit, rectius in duplicem ſpeciem eos diſtinguit: vide pag. 573. l. 14 et ſeqq. Sed in vtroque fallitur. Nec enim *Oppianum* confundere cuniculos cum leporibus vllo argumento doceri poteſt; nec *Xenophon* vllibi duplicem leporum ſpeciem diſtinguit. Nominat quidem ἰνναίους et δρομαίους lepores, ſed hi moribus, non natura differunt. Praeterea duo quidem genera nominat Cap. V. §. 22. ſed magnitudine et co-

lore tantum distincta, quem in vtroque genere eundem tradit cum *Oppiano*. Attamen facile credimus, *Oppianum* tria leporum Europaeorum genera, colore etiam diuersa, non satis distinxisse, colorisque differentiam omnem ad terrae, cui inhabitant, colorem falso retulisse.

Hae quidem sunt omnes obseruationes viri docti, quae historiam animalium naturalem spectant, quas ex toto libro collectas posuimus, quo melius lectores nostri existimarent, quid noua haec *Oppiani* editio ad augendas scientiae naturalis copias ampliandumque, quicquid de veterum studiis hac in disciplina scimus, vel subsidii vel augmenti contulerit, et quid de noua libri de Piscatione editione porro exspectare liceat.

VIII.

AURELII CORNELII CELSI medicinae libri octo. Ex recensione LEONHARDI TARGAE. Accedunt notae variorum, item quae nunc primum prodeunt, I. L. BIANCONII dissertatio de CELSI aetate et GEORGII MATTHIAE lexicon Celsianum. Lugduni Batauorum, apud Sam. et Io. Luchtmans MDCCLXXXV. praefat. pagg. 56. operis et notarum pagg. 678. lexici Celsiani pagg. 463. in 4to mai.

Ad hanc CORNELII CELSI editionem omnibus fere numeris absolutam et caeteris omnibus longe praestantiorem adornandam bibliopolae frustra in Batauis et alibi virum eruditum quaesiuerunt, qui medicinae studium cum iusta literarum, praesertim latinarum, scientia ita coniungeret, vt editoris

ris partes recte et cum laude in se susciperе potuerit. Hinc ipsi bibliopolae negotium, quod cum plurima sane laude peregerunt, susceperunt, et si dubitatio quaedam in eligendis optimis libris tam impressis quam scriptis subesset, virum doctum et in latinis literis versatum consuluerunt. Ex illius consilio factum est, vt repudiato LINDENII textu manco admodum et ab ipso LINDENIO temere saepius interpolato, (mos enim fuit huic viro, vt, vbicunque difficultatem quandam textus offenderet, subinde corrigendam ex codicibus facile, subinde vero ipsis librorum auctoribus naturalem, suis textui inditis textum temere mutaret, vt adeo, si concinnam commodamque formam, quam editiones suae habent, excipias, parum in iis sit, quod commendationem mereatur) quem ALMELOVEENIUS etiam sequutus erat, CORNELII CELSI illud exemplum nouae huic editioni fundamentum praeberet, quod ex recensione LEONHARDI TARGAE, viri e MORGAGNII disciplina profecti et egregii prorsus, Patauii anno MDCCLXIX. prodiit. TARGA autem textum ad librorum scriptorum veterum fidem, inprimis antiquissimi Medicei, tanta cura, et tam docte recensuit, vt eius editio merito ea dici debeat, qua CELSUS illibatus et ad antiquissimorum librorum fidem integerrimus prodierit. Nouae autem huic editioni compluria accessere illam admodum commendantia et lectoribus interpretationis apparatum quendam cupientibus apprime vtilia. Ediderat scilicet praeclarus vir, IOANNES BAPTISTA BIANCONIUS, dissertationem de CORNELII CELSI aetate doctissimam et omnibus paene numeris absolutam, a summis etiam in Germania viris admodum laudatam. Quod argumentum autem quum BIANCONIUS per epistolas ad TIRABOSCHIUM lingua Italica scriptas late explicuisset, librariorum ro-

gatu totius argumenti ſummam paucioribus pagellis concluſit et amplioris libri epitomen latine ſcriptam librariis paulo ante mortem communicauit. Venit etiam, caſu quodam, in manus librariorum vetuſta CELSI membrana ab aliis nondum collata, ſatis varietatum exhibens, quas huic editioni adiecerunt. Codicem tamen ipſum, qui inſignem varietatum copiam exhibuit, non deſcripſerunt. Adiectae etiam ſunt variorum interpretum in CELSUM notae ex editione, quam celeberrimus et de vniuerſa re medica meritiſſimus in Lipſienſi Academia medicus profeſſor KRAUSIUS praeclarae ſuae et caeteris omnibus hactenus praeſtantiori editioni adiecerat.

Vti autem ſaepius accidit, vt virorum doctiſſimorum lucubrationes, quibus ſedulam admodum manum admouerunt, et quae vtilitatem ſummam omnibus iis vtentibus adferunt, temporum quadam iniuria deliteſcant, nec facile in lucem protrahantur, ita in CELSUM lexicon copioſiſſimum, perfectiſſimum, a viro in CORNELII CELSI lectione maxime verſato et in illuſtrandis explicandisque aliis veterum monumentis medicis feliciſſimo GEORGIO MATTHIAE, in vniuerſitate Gottingenſi quondam profeſſore medico celeberrimo, ſtudio ſummo congeſtum atque elaboratum, apud haeredes eius in tenebris, tineis et blattis expoſitum tam diu iacuit, donec a librariis aere redimeretur, et ſplendidiſſimae huic editioni, ceu ſingulare ornamentum, ſubnecteretur. Quae librariorum cura eo magis laudanda eſt, quum CELSO intelligendo, explicando, ipſiusque adeo latinae purioris linguae theſauro copioſius inſtruendo hoc lexicon inprimis conferat, ſimilemque laborem a ſummo viro IOANNE RHODIO profectum flammae abſumſerint, neque in promiſſis LEONHARDUS ipſe TARGA, eundem laborem pollicitus, ſteterit.

Haec

Haec ſufficient, vt intelligant commentariorum noſtrorum lectores, quid a bibliopolis, ſtudio ſane ex omni parte laudabili, in hac editione adornanda fuerit praeſtitum. Praefationem bibliopolarum, dedicationes et praefationes Cl^um quondam virorum, IOANNIS CAESARII, ROBERTI CONSTANTINI, IOANNIS ANTONIDAE VAN DER LINDEN, THEODORI I. AB ALMELOVEEN, IOANNIS BAPTISTAE VULPII, LEONHARDI TARGAE excipiunt.

Sequuntur librorum ſcriptorum editorumque, p. 35.
qui in CELSI emendatione a TARGA adhibiti ſunt, indices. Antiquiſſimus Mediceus codex ſaeculo XII. ſcriptus eſt et in CELSI lectione recte conſtituenda ſummae vtilitatis. Caeteri Medicei, qui numero ſex ſunt, adeo inter ſe conſentiunt, vt ab vno eodemque exemplari profecti videantur. Scripti omnes ſaeculo XV. ſunt, at tertius paulo antiquior eſt. Vaticani ſeptem codices omnes ſaeculo XIV. aut XV. ſcripti ſunt.

Editorum librorum recenſionem, mancam, nec p. 39.
principes omnes editiones referentem, IOANNIS LUDOVICI BIANCONII *de* CELSI *aetate epiſtola* excipit ad librarios latine data. In ea hoc maxime probatur, quod CELSUS, quem TIBERII AUGUSTI temporibus floruiſſe plurimi auctores perhibent, aureo linguae latinae ſaeculo, primis nempe OCTAVII AUGUSTI temporibus, vixerit. Quod inde potiſſimum probatur, quod QUINCTILIANUS refert CORN. CELSUM artium libros ſuos ante GALLIONEM patrem exaraſſe. Fato autem functus eſt GALLIO MESSALA circa dimidium imperii AUGUSTI. Ex ipſis praeterea CELSI locis variis colligitur, artes ſuas illum concinnaſſe paucis annis a THEMISONIS ex Laodicea, qui Romae medicinam faciebat, interitu; ſiquidem ad eum prouocans non aliter meminit, quam *nuper* THEMISON. Is autem

circa annum V. C. DCC. ſupremum diem obiit, quod inde probatur, quod ASCLEPIADEM praeceptorem habuerit, qui anno V. C. DCLXIII. viuere deſiit. Veroſimile admodum eſt, THEMISONEM annum paene trigeſimum egiſſe, quam ASCLEPIADES, praeceptor ipſius, interiret, et anno aetatis LXXX, anno V. C. DCCX. ſupremum diem obiiſſe. Ex quibus manifeſte patere Noſter putat, CORN. CELSUM non longe poſt annum V. C. DCCX. artium libros elaboraſſe, quod commode primis temporibus, quibus AUGUSTUS ſumma rerum potitus eſt, reſpondet. Accedit his argumentis aliud, quod videlicet CELSUS medicinae hiſtoriam ad THEMISONIS tempora deducat, neque ANTONIUM MUSAM memoret, qui tamen ASCLEPIADIS placita a THEMISONE mutata iterum mutauerat, medicinaque frigida AUGUSTO feliciter adminiſtrata tantam nominis celebritatem nactus erat, vt CELSUS, ſi MUSAM excepiſſet, curationis celeberrimae et placitorum immutatorum mentionem ſiue dubio iniciſſet, inprimis quum in citandis auctoribus admodum copioſus eſſe ſoleat.

Quae omnia coniecturae fidem ſatis magnam ſane conciliant, CORN. CELSUM ante annum V. C. DCCXXXI. artium libros ſuos concinnaſſe, temporibus, quibus VIRGILIUS, HORATIUS aliique aureae aetatis ſcriptores floruere. Ipſe praeterea CELSUS frigida iecinori infeſta putat, quod ſine dubio non ſcripſiſſet, ſi frigidae ad haec affectionum genera laudes vſu ab ANTONIO MUSA et exemplis probatae ad eum peruenisſent. Licet autem CELSUS a COLUMELLA, qui CLAUDII temporibus floruit, temporum ſuorum auctor vocetur, id tamen opinionem Noſtri non admodum infirmat, quoniam COLUMELLA, qui opera ſua ſenex conſcripſit, iuventute florere, declinante AUGUSTI imperio, probe

probe potuit. Ad reliquas CELSI conditiones quod attinet vitamque, non admodum verosimile est eum ad nobilissimam Corneliam Romanam gentem pertinuisse, ingenuum vero et liberali genere natum probari aliquo modo potest, partim quia nomen triplex gerit, insolitum libertis, partim quia honestatis, pudoris, tam copiosa documenta in libris suis occurrunt, vt liberalem educationem habuisse facile pateat. Romam incoluit, incertum, vtrum donatus Romana ciuitate, aut Romanus ciuis. Confecit scientiarum complurium epitomen, quam artium titulo insigniuit, adsignato artium cuique peculiari libro. Inde etiam codices vetustissimi optimique titulum habent Artium A. CORN. CELSI liber VI. medicinae vero primus. De agrorum cultura quintus liber fuit. Rusticas etiam res et pecuariam prius tractasse ex opere ipso patet. Rhetoricam etiam, notante IUVENALIS scholiaste, septem libris complexus est. De historia, legibus et re militari libros edidisse QUINCTILIANUS refert.

Num CELSUS medicus reuera exstiterit, aut p. 51.
scriptor tantum, qui notas sibi res ad medicinam facientes in epitomen redegerit, auctores dubitant. Calluisse medicinam certum est, incertum vero, imo dubium, num mercedis gratia medicinam exercuerit. Princeps ratio in eo sita est, quod epitomen complurium artium scripserit, nec credibile admodum sit, illum has artes omnes, de quibus scripsit, exercuisse. Finem doctissimo operi coniecturae quaedam de viuendi genere, quo CELSVS vsus est, aliaeque imponunt.

Sequitur ipse textus, typis nitidissime impressus expressusque, ex LEONH. TARGAE recensione. Textui eiusdem TARGAE notae doctissimae subditae sunt, quibus non quidem obscuriora loca explicantur, quod tamen optabile magis fuisset, sed potius recepta in textum lectio vindicatur, aliaeue

adferuntur, quae minorem auctoritatem fidemque habent. In quibus notis non quidem est quod admodum taxemus, nisi quod interpres auctori suo interpretando et illustrando operam tam parcam dederit, superflua tamen, nec accommodata satis diffusaque nimis sunt, quae ex LINDENIO aliisque notae haud optimae interpretibus adferuntur ad lectionis varietatem pertinentia; de LINDENII enim lectionibus in textum temere receptis certum est, eas codicum fidei aliisque regulis firmioribus in recipiendis lectionibus aliis obseruandis parum niti. Hinc imminuta paululum libri moles foret, vt de taedio, quod lectoribus iure mouet lectionum copia textui parum aut nullo modo inseruiens, non loquamur, si, omissis iis, quae LINDENIVS temere textui de suis insperserat, in minuendis TARGAE notis doctus vir, cui editores curam libri demandauerant, insudasset.

Textum epistolae aliquot in CORNELIVM CELSVM excipiunt, notissimae scilicet epistolae immortalis viri IOANNIS BAPTISTAE MORGAGNII ad IOANNEM BAPTISTAM VVLPIVM datae, literis minutioribus, nec tamen oculum laedentibus, impressae. Literas copiosas ipse TARGA ad doctos Italos scripserat, quibus eorum, si obscurior ipsi quidam CELSI locus esset, consilium petiit. Hae literae omnes cum responsoriis, epistolas MORGAGNII excipiunt, scilicet a TARGA ad CAIETANVM COGNOLATVM, IOSEPHVM TORELLVM, IACOBVM FACCIOLATVM, IOANNEM BAPTISTAM MORGAGNIVM, datae, cum dictorum clarissimorum virorum responsoriis, et MORGAGNII literae ad IOSEPHVM TAVRELLVM datae cum eiusdem viri responsoriis, in quibus omnibus, doctissimis quippe, ad illustranda explicandaque difficilia CELSI loca plurima notatu dignissima continentur.

Lectio-

Lectionum varietas ex codice manuſcripto ſaec. XV. haud antiquiore et ex Poggii, Secretarii Apoſtolici libro deſcripto, quem TARGA intercedente IOSEPHO Libero Barone ab ABACO a Sereniſſimo quondam Bauariae electore MAXIMILIANO IOSEPHO impetrauerat, epiſtolas conſequitur. Accepit hunc codicem, quum ipſa editio multum proceſſiſſet, hinc, quae textui ſubiicienda fuiſſent, hic adnexa ſunt.

Variorum auctorum, quae nunc ſequuntur, notae, ex CONSTANTINO, SCALIGERO, CAESARIO, CASAVBONO, COCHIO, ALMELOVEENIO, KRAVSIO, et ex editione CELSI ab Illuſtri viro CAROLO CHRISTIANO KRAVSE, quae Lipſiae, anno MDCCLXVI. prodiit, deſumtae copioſiſſimum interpretationis apparatum, at variae vtilitatis, continent. CONSTANTINI, SCALIGERI, CAESARII, CASAVBONI, ALMELOVEENII ita hic perfecte leguntur, vti KRAVSE, Vir Ill. eas dederat, ipſae vero KRAVSII notae in epitomen quandam redactae, quaedam etiam ex iis penitus omiſſae ſunt. TRILLERI criticae in CELSVM obſeruationes penitus deſiderantur, quae tamen obſcurioribus CELSI quibusdam locis haud parum lucis affundunt. Notas varietates codicis membranacei admodum copioſae ſequuntur.

Singulare autem ornamentum huic editioni acceſſit adiecto copioſiſſimo in CELSVM indice a GEORGIO MATTHIAE ſtudio ſummo confecto, cui proprium potiſſimum hoc eſt, vt voces CELSO vſitatae omnes alphabeti ſerie recenſeantur, locaque omnia adiiciantur citenturque, in quibus eadem vox, phraſi ſimul adiecta, in opere ipſo occurrit. Quod laborum genus quum ſtudium copioſum et continuam lucubrationem requirat, nec in vllo auctore paene alio ſimile ſtudium inſumtum ſit, laudandum vehemen-

menter ſtudium librariorum et commendandum eſt, quod hos doctiſſimi quondam et in CELSI lectione verſatiſſimi viri labores tineis et blattis forte futurum pabulum redemerint et CELSI editioni, quam adornarunt, ſplendidiſſimae, ſubiunxerint.

Non autem ſolum vocibus in CELSO occurrentibus euoluendis et harum vſu diſcendo hoc lexicon inſeruit: rerum etiam diligentiſſimus vir ſtudioſam rationem habuit, adeo vt, ſi vocem quandam euoluas in hoc indice, omnia inuenias, quae in CELSO occurrunt, ſiue ſignificationem, ſiue res ipſas ſpectes, vt adeo hic in CELSVM index vero lexici realis nomine veniat, neque quicquam ſit, quod in eo facile deſideretur.

Sed in molem index increuit ipſum librum longe ſuperantem, partim quoniam auctor omnes vſitatiſſimasque latinis viris voces locaque collegerat, in quibus hae voces occurrunt, eaque loca ad verbum in indicem ſuum transſcripſerat, partim quoniam, quod admodum laudabile eſt, et ad CELSVM illuſtrandum inprimis confert, obſcuras voces omnes, eas inprimis, in quibus HIPPOCRATEM CELSVS latine explicuit, citatis HIPPOCRATEIS vocibus locisque, quae CELSVS latine dixerat, graeco fonte allegato et explicito diligenter illuſtrauit.

Quae vt lectores exactius intelligant, loca quaedam indicis, non vero admodum prolixa, exempla tamen eorum praebentia, quae de indice ipſo retulimus, in commentarios noſtros transſcribere lubet.

Ac. 1 Praef. 3. 102. 2, 8, 54. 114. — (loca alia copioſiſſime adiecta ſunt) *in tranſitione* 1 praef. 92. 105. 1, 2, 14. 2, 3. 9. 11. (citatis locis compluribus aliis) *i. item etiam* 7, 14, 31. *praeterea adhaes* 1. praef. 53. 3, 8, 6. 4, 4, 52. *i. et quidem* 2, 7, 82. ac etiam, *interpoſita voce.* 6, 11, 14. ac neque

1 praef.

1 praef. 112, 1, 1, 1. 1, 2, 2, 2, 1, 48. 2, 4, 17 — ac ne quidem. 1, 2, 14. 2, 3, 7. — *ac primum* 6, 18. 82. 7, 7, 152. ac primum dein 5, 28. 52. ac protinus quidem, ſed. 3, 6, 20. 21. ac quidem, *in tranſitione*, *ſequente* vero *vel* autem 3, 3, 6. 7. 3, 4, 20. 21. — ac quoque. 2, 6, 30. — ac quoque *i. quin adeo* 6, 14, 10. ac poſtea quoque 4, 13, 18. ac tum quoque 5, 26, 62. 7, 26, 66. ac ſaepe 3, 3, 14. 4, 13, 13. — — ac ſi *pro* ſic ſi 3. 9. 11. 7, 29, 3. 3, 15, 10. 4, 5, 23. — ac tum 3, 15, 7. ac tum quoque, tum 7, 26, 66. *ac ante vocalem*: ac inſuper 4, 10, 7. ac inter 8, 1, 71 — ac, et 7, 18, 39. (Loca omnia, copioſiſſime allegata, conſulto non tranſcripſimus.)

Reſido, ſedi, ſidere, *penultima breui* ſedem capio: periti medici eſt, non protinus, vt venit, apprehendere manu brachium, ſed primum reſidere hilari vultu percunctarique, caet. 3, 6. 15. medicus neque in tenebris neque a capite aegri debet reſidere, ſed illuſtri loco, aduerſus eum. 3, 6. 25. in tepidario reſidere 1. 3, 9. ipſum (*medicum*) poſteriore parte reſidentem 8, 15, 6. *i. erectum ſedere*: vbi reſidere vult (*decumbens aeger*) in ipſo acuti morbi impetu 2, 4, 1. quae bilioſa in ſtomacho reſiderunt. 3, 12, 8. *i. collecta ſunt. i. in arctius ſpatium contrahor*: aſpera arteria in gutture aſſurgit caeterisque partibus reſidit 4, 1, 9. *opp.* vbi reſedit inflatio 4, 5, 9. intus tunicae oculi reſidant. 6, 6, 92. *i. collabantur.*

Vnicum adhuc exemplum adiicere liceat, vt intelligant lectores, quomodo doctiſſimus indicis auctor medicamenta a CORN. CELSO memorata pertractauerit.

Laſes, eris, *ſuccus ſylphii radicis et caulium concretus: de quo* Theophraſt. hiſt. plant. 3, 2. Dioscorid. 3, 94. Plin. hiſt. nat. 16, 33. *et* 22, 23. *alibique.*

que. Solin. cap. 29. Pallad. de re ruſtic. 3. tit. 29, 4. tit. 10. Salmaſ. ad Solin. p. 2, 4, 9. ſeqq. Rhod. ad Scribon. Larg. com. 67. p. 126. ſeq. et com. 192. pag. 279. ſeq. *Spanhem. de vſu et praeſtant. numiſmat. diſſ.* 6. p. 293. ſeqq. Laſerpitium, quod Graeci ſilphion vocant, cuius ſuccum vocat laſer Plin. h. n. 19, 3. *add.* Colum. de re ruſtic. 6, 17. et 12, 57. *optimum* laſer *Cyrenaicum, ſed idem rariſſimum: minoris virtutis Syriacum, quod Plinii aetate maxime in vſu fuit: adhuc minoris praeſtantiae Parthicum: vltimae notae Medicum auctores perhibent.* Laſer *nominat* 4, 3, 8. 4, 4, 62. 5, 27, 60. 78, 83. *accuſ.* 3, 16, 7. 4, 12, 11. 6, 14, 9. oportet laſer quam optimum ad piperis magnitudinem deuorare. 4, 12, 11. laſeris quam optimi paululum devorare opus eſt. 4, 4, 59. laſer terere 6, 14, 9. laſere linguam ipſam linere (oportet) 4, 2, 39. ex eadem autem aqua gargarizandum quoque eſt vel cum laſere vel ſine eo. 6, 14, 11.

IX.

SCRIBONII LARGI compoſitiones medicamentorum denuo ad editionem RHODIANAM editae a IOANNE MICHAELE BERNHOLD, phil. et med. D. Sereniſſimo Marchioni Brandenburgo-Onoldino - Culmbacenſi a conſiliis aulae, phyſico ſupremarum praefecturarum Vffenhemenſi et Creglingenſi, academiae Imperiali Naturae Scrutatorum adſcripto. Accedunt praefatio et index. Argentorati apud A. König, typis Knenleinianis, MDCCLXXXVI. in 8vo. praefatio 24 pagg. textus cum indice 158 pagg. complectitur.

Poſt

Poſt tam praeclaros et numeris paene omnibus abſolutos labores, quos ſummus quondam vir, IOANNES RHODIVS, in SCRIBONIO edendo inſumſit, poſt editionem inquam Rhodianam ampliſſimam doctrinae vtiliſſimae ad illuſtrandos etiam complures veteres medicos alios copiam continentem, Iliada poſt Homerum ceciniſſe Cl. BERNHOLDIVS videtur, dum in SCRIBONIO nouiter edendo elaborauit. Licet enim complures adeo et comparatu faciles SCRIBONII editiones haud proſtent, neque Rhodiana editio tam frequenter obuia ſit, vt quauis alia carere poſſimus, non quidem reprehendendum eſt propoſitum Cl. viri operae ſuae partem edendo iterum SCRIBONIO impendentis, taxanda autem reprehendendaque iure leuior opera eſt, qua SCRIBONIVM tractauit, taxandum id potiſſimum eſt, quod SCRIBONIVM quidem nobis dederit, recuſo RHODII textu, ſed neque ex RHODII notis lectu digniſſimas et auctori illuſtrando inprimis vtiles, eas inprimis, quibus antiqua SCRIBONII medicamenta illuſtrantur, elegerit, neque, poſt praeclaros celeberrimorum virorum in eruendis antiquis medicamentis labores, vllam horum laborum mentionem fecerit. Notum denique perſpectumque omnibus eſt, lexicon Scribonianum IOANNIS RHODII ſtudio ſummo elaboratum plurimum vtilitatis adferre iis, qui in veterum medicorum ſtudio verſantur, plurimaque in hoc lexico contineri, illuſtrandis ſcriptoribus omnibus, qui in argentea Romanae linguae aetate vixerunt, admodum vtilia. Hos autem labores, quibus tamen inſigne ornamentum editioni ſuae acceſſiſſet, et vtilitas quaedam, quum RHODII ampliſſima editio non frequenter admodum in bibliothecis proſtet, lexiconque in veterum ſtudio occupatis plus vtilitatis adferat, quam ampliſſimae et nimia paene doctrina exornatae eiusdem doctiſſimi viri notae,

con-

conſulto omiſit, indice tamen, a WEINRICH, doctore medico, confecto addito, qui vero praeter medicamentorum nomina a SCRIBONIO memorata, quibus ſine omni detrimento rerum ſuarum lectores carere potuiſſent, nihil continet. Quae enim ad illuſtranda medicamenta quaedam adferuntur a BERNHOLDIO, aut obuia ſatis notaque omnibus, aut non appoſita ſatis, neque ex omni parte vere dicta ſunt. Notiſſima certe ſunt indic. p. 147. quae de aluminis generibus veteribus memoratis adferuntur, liquido ſcilicet atque concreto, quibus tamen non omnia aluminis genera comprehenſa ſunt, nec quid cadmia noſtratibus vocetur ſcire opus eſt, verum potius, cuinam corpori naturali veteres hoc nomen dederint. ἱερὰν βοτάνην verbenacam APVLEII et aliorum eſſe BERNHOLDIVS aſſerit, ipſe SCRIBONIVS vetonicam eſſe, dixerat, quam ſui temporis medici et prophetae praeſertim pariter δῖαν, ἱερὰν, ob magicas virtutes et potentes, quas ipſi tribuere, appellarunt. Hinc non eſt quod indic. pag. 152. ſummum virum RHODIVM Noſter confutet, quum praeſertim et ipſe RHODIVS*) ſacrae herbae nomen verbenacae, cui id magis competit, tribuere maluerit.

Sed haec de calce operis dicta ſufficiant. Praefatio ſpecioſis admodum titulis inſtructa eſt, quibus quippe *noua* ſe prolaturum, *refutatis* contradicentium ſententiis, Noſter pollicetur. Operae autem pretium eſt, vt diſpiciamus, quaenam haec *noua* ſint, quibus titulus praefatiunculae temere ornatus eſt.

Primum SCRIBONII copioſiſſime ex vniuerſa Romana antiquitate excitantur ex RHODII notis pag. 3. et 4. quas tamen Noſter ſtudio non citat, et

*) Not. ad Scribon. compoſ. 150. pag. 222, 223.

et LARGI quidem ex BVRMANNI praeſertim in OVIDIVM notis. Plura etiam de SCRIBONII nomine adferuntur, in eo non vera, quod RHODIVS teſtis adducatur, SCRIBONIVM a MARCELLO SIBVRIVM appellatum eſſe: haec enim ex IANO CORNARIO deſumta, non RHODIVS ipſe adfert. TIBERII CLAVDIIque aeuo certe vixit, libri ipſius locis complurибus hoc probantibus. Licet autem, deficiente documento qualicumque alio, liber ipſe non prodat, dignitatem in medicina famamque peculiarem auctori ſuo SCRIBONIO fuiſſe, putat tamen Noſter, quoniam MESSALINAE propos fuit et CLAVDIVM in Britanniam ſequutus eſt, eum apud CLAVDIVM eiusque coniugem archiatri munere functum eſſe intimaeque admiſſionis fuiſſe, (quis autem tales tamque futiles coniecturas vnquam veras putet? Nemo ſane fuerit, qui concluſionem talem valere facile credat, inprimis quum archiatri Romani temporibus, quibus SCRIBONIVS vixit, longe recentiores ſint, MEIBOMIO *) probante.)

Praeceptores habuit APVLEIVM, CELSVM, VALENTEM et TRYPHONEM, dogmaticorum ſectae adnumerandus, aut potius eclecticorum, quod tamen etiam maiori et intenſiori probatione indiget, inprimis quum de eclectica veterum hac medicorum ſecta omnia adhuc dubia ambiguaque ſint, neque ſectae ſingulari addictus dici is queat, qui de doctrinis cuiuscunque ſectae optima quaeuis ſibi, ad ſuos vſus eligit.

p. 12. ſummi viri, CONRINGIVS et HALLERVS, male taxantur, quod empiricum SCRIBONIVM fuiſſe retulerint: quae ſequuntur, digna ſunt, vt transferibantur. Aliter iudicaſſent, credo, ſummi hi viri,

*) In Caſſiodori formulam comitis archiatrorum. cf. Haller biblioth. med. pract. tom. I. §. 27. p. 179.

viri, *ſi legiſſent*, *quae protuli* (dolenda quippe merito horum virorum ſors eſt, quod temporibus vixerint, quibus inſignia vaſtaque cari noſtri viri inventa incognita fuere.)

Probatur poſtea, ſed modo Noſtro ſolito, doctiſſimum medicum fuiſſe, SCRIBONIVM, neque quicquam in opere eius paene reperiri, quod ſuperſtitionem vllam, aut non ſatis conſummatum vſum redoleat. Fuiſſe potius medicum in arte ſua admodum exercitatum, candidum, probum, honeſtum humanum.

Nunc *noua* BERNHOLDII ſequuntur in praefationis titulo memorata. Obiter ſcilicet IANVS CORNARIVS dixerat credibile eſſe, quod SCRIBONIVS librum ſuum de medicamentorum compoſitione graece conſcripſerit. Eadem alii in tranſitu quaſi, adductisque nullis plane rationibus, dixerant, quae IOANNES RHODIVS in notarum ſuarum prooemio docte iam, vt ipſi erat ſolitum, confutauerat. Haec vero omnia ſicco pede tranſit, ſcilicet vt noua proferat, aut potius dicta iam alio ſermonis genere profert, auctore non citato. Si vero etiam SCRIBONIVM graece ſcripſiſſe communis opinio eſſet, argumenta BERNHOLDII Noſtri certe latinas operis origines non probarent. Latinae enim voces, quas LARGVS, vt maiorem dictis lucem adfunderet, in Graecam linguam conuertit, vix probant, librum latine ſcriptum eſſe, probarent potius, eum, qui libro e graeco ſermone in latinum vertendo operam dedit, ſtudio verba graeca ſimul adduxiſſe, ne vocum permutatione et alia iis ſignificatione data, error legentibus ſubnaſceretur. Eadem perfecte in alterum argumentum dici poſſent, quo Noſter vtitur, dicens, latinum compoſitionis medicamentorum librum ideo eſſe, quod Graeca in latinum verſa contineat, ſcilicet librum παρασκευαστικων ASCLEPIA-

CLEPIADIS, cui interpretatio *praeparationum* adiuncta est; talia enim studiosum admodum, nec errorem facile admittentem virum latinae e graeco versionis auctorem proderent. Tandem, latinae libri origines tertium *nouum* argumentum non melius exactiusue probat. LARGVS haec verba habet: *est stomachi vitium, quod inrequiebili, vt ita dicam, et inexstinguibili siti consistit, ατοvov Graeci vocant,* Noster vero ex addito *vt* ita *dicam* probari posse autumat, SCRIBONIVM, quod doctiorum nemo hactenus in dubium vocauit, HALLERI enim, qui graece librum scriptum esse et postea latine versum, ex CORNARIO statuit, testimonia in rebus ad antiquitatem medicam pertinentibus auctoritatem plurimam haud habent, librum suum, licet in Graecis admodum, pro temporum suorum more, versatus, latine scripsisse.

Noua autem in hac editione pollicitus Noster licet in promissis non steterit, ipseque adeo in praefatione plura ex aliis scriptoribus desumta adferat, quos tamen, studio forte, non citat, hoc tamen praestitit, in quo laudandus vehementer est, quod editionum, quae hactenus prodierunt, omnium accuratam recensionem dederit, promissarum adeo, non vero absolutarum mentione non neglecta. Nec in iis, quae ad externam libri formam pertinent, aliquid negligentiae in editorem et typographum cadit, vt certe commodam admodum vsuique inseruientem SCRIBONII editionem constituat.

X.

QUINTI SERENI SAMONICI De Medicina Praecepta Saluberrima. Textum recensuit, lectionis varietatem, notas interpretum se-

lectiores suasque adiecit IOANNES CHRISTIANUS GOTTLIEB ACKERMANN Med. Doct. (et Prof. Altorfin.) Lipsiae in bibliopolio Müllerіano 1786. 8. 175 pagg.

Saepe mirati sumus, quid sit, quod hodie adeo frigeat veterum medicorum studium, vt pauci eos penitius norint, pauciores magni aestiment, et in caussis huc attinentibus non vltimam putamus quendam editionum defectum. Id etiam ad Q. SAMONICVM pertinere volumus. Etsi enim pristinis seculis pluries in vulgus editus est, tamen hodie maximam partem desunt amantibus. Laudabilem ergo censemus Cl. ACKERMANNI operam, in eo restituendo poliendoque consumtam, quia nihil quidem omisit, quod huc spectare videbatur, nihil intactum vel intentatum reliquit, vt poëtam et correctiorem, et comtiorem prodire iuberet, eaque via facilius intelligere possent lectores, quod boni nouique vetus ille hospes adferat.

p. 1. In *Praefatione* Cl. ACKERMANN docte lateque inquirit in carminis auctorem, sed ambiguus haeret, patri, an filio adsignandum sit, id vnum certum putat, etiamsi medicinam professus non sit, tamen
p. 18. medicamenta quaedam vtilia expertum, duces *Dioscoridem* atque *Plinium* vtrumque potissimum secutum, parabilibus remediis contentum, et in pangen-
p. 19. do carmine imitatum fuisse *Lucretium* et *Horatium*.
p. 24. Deinde percenset *codices manuscriptos* 12. eosque, vt semper, variae aetatis varii pretii esse ait, primas tamen dat *Veneto*, HVMELBERGII, ROB. CONSTANTINI, RANZOVII, RIVINI, KEVCHENII, ita vero, vt nec ceteros omnino spernat, sed subinde recipiat in textum lectiones meliores. Post-
p. 32. haec *editiones* nominat 24. circiter, et quid quaeque

que valeat, quid ipſe praeſtiterit, boni editoris munia rite impleturus abunde docet. Etenim nec temere mutauit textum, nec abhorruit omnino a variis lectionibus, quas ſubiecit optimas, nec ſpreuit notarum copiam, quas anteceſſorum diligentia ſuggeſſerat, ſed delectum adhibuit, et ſi qua ſenſerat neglecta vel obſcura, his demum ſuam ipſius operam addidit Cl. ACKERMANNUS. De textu ipſo non attinet, vt multis dicamus. Inuenient certe lectores, quam aptus rei fuerit nouus editor, et quam nitide libellum exprimendum curarit bibliopola. Litteris enim BREITKOPFII puris pulcrisque ita impreſſus eſt, vt parum aut nihil abſit ab *ſplendore*, *quo exterae nationes* iubent talia vetuſtatis monimenta perennare. p. 43.

XI.

De Antonio Muſa Octauiani Auguſti medico et libris, qui illi adſcribuntur, proluſio, — auctore IOANNE CHRISTIANO GOTTLIEB ACKERMANN medicinae in vniuerſitate literaria Altorfina profeſſore publico ordinario. Altorfii 1786. 3 pag. in 4to.

Continet quaedam haec proluſio ad medicinae Romanae hiſtoriam pertinentia. Fama enim eſt noſtris temporibus nondum ſatis diſcuſſa excuſſaue, medicos, poſt Archagathi primi apud Romanos Graeci medici tempora, ſeruilem omnes apud Romanos conditionem habuiſſe, et qui hoc argumentum pertractarunt celeberrimi viri hanc ignominiae maculam opera plurima data medicinae detrahere quidem ſtuduerunt, vſi ſpecioſis quidem argumentis, at non veris, Graeca praeſertim Romanis miſcentes, quum

longe alia tamen medicorum apud Graecos, quam apud Romanos, exſtiterit conditio.

Ingenuum ſemper fuiſſe medicis apud Romanos ſtatum, et in ſeruili conditione ſeruos tantum fuiſſe medicorum ſeruitia, chirurgicam etiam opem et ad diaetam dominis praeſtantes, communis doctiſſimorum virorum opinio fuit, qui omnem ſeruilis ignominiae maculam medicinae Romanae detraxerunt. Alii exemplis quibusdam ducti, quibus medicus ſeruus adducitur a ſcriptoribus ſatis copioſis, omnem Romanorum medicinam penes ſeruos fuiſſe adſeruerunt: media via pauci inceſſerunt, quae hic tenenda eſt. Medicos enim temporibus inter Archagathum et Iulium Caeſarem intercedentibus ſeruos, internam etiam aegrotantibus medicinam praecipientes plures fuiſſe negari nequit. Negari autem iterum nequit, Graecos nulla ſeruili macula dehoneſtatos medicos plures Romam veniſſe temporibus praeſertim Iulii Caeſaris aetatem proxime antecedentibus, ciuitate etiam donatos, qui Romae artem ſuam ſine vllo ſeruilis conditionis praeiudicio exercuerunt. Magni tamen medicinam Graecorum rationalem et dogmaticam, empiricae magis indulgentes, Romani non habuere vſque ad Iulii Caeſaris tempora, qui omnes medicinam Romae profeſſos et liberalium artium doctores, *quo libentius vrbem incolerent caeterique appeterent*, ciuitate donauit.

Ab his itaque temporibus noua medicorum exterorum conditio Romae etſi incipit, non eam tamen ob cauſſam medici Romani. Auguſti temporibus florentes omnes ingenui fuere; plurima enim, quibus internarum medicinarum adminiſtratio denegari nequit, ſeruorum aut libertorum mentio apud ſcriptores his temporibus florentes occurrit. Plures tamen peregrinos medicos Graecos, ciuitatis

tis priuilegio et aliis immunitatibus ab Augusto ipsis concessis vsos Romae his temporibus floruisse satis credibile est, et loco ex SVETONIO allegato aliisque probatur. Romani AUGUSTI temporibus medicinae operam dedisse non videntur, omniaque, quae Plinius de celeberrimis medicis ex illustribus Romanorum familiis perhibet, Cassiis, Calpitanis, Aruntiis, Albutiis, Rubriis, ad tempora, quae Augusti aetatem exceperunt, referenda sunt.

Medicus Augusti libertus, adeoque seruilis ante impetratam libertatem, conditionis Antonius Musa fuit, frigida medicina, qua Augusto periculose decumbenti vitam seruauit, celeberrimus, celeberrimus etiam ob praemia ipsi a senatu populoque Romano decreta, statuam in foro ad signum Aesculapii positam, et ob annuli aurei ius ipsi ab AUGUSTO concessum. p. 10.

Notum autem est, quanti hoc ius cum eoque iuncta equitis Romani dignitas ab omnibus facta sit, qui encomiis magis medicinae, quam historiae perscribendae operam dederunt. Plura sane ex hoc virtutis medicae praemio hi viri deduxerunt, quae probari nullo modo possunt, in quibus confutandis Noster nunc versatur.

Primum id probatur, quod Augustus Musae annulum aureum sine censu equestri vix dederit. Census autem equestres Romani omnes qui habebant, equestrem dignitatem censui his temporibus adiunctam simul habuere. Libertis autem annulo vti non licuit his temporibus, idque ius Augustus Musae dedit.

Tanti itaque putanda haec equestris dignitas ANTONIO MUSAE cum annulo aureo concessa non est, vt medicos cum ea Romanos omnes eandem dignitatem acquisiuisse vllo modo credibile sit. Medicorum quidem doctrinam Antonius Musa mutavit, p. 17.

vit, frigidam, praeeunte tam ſpecioſo exemplo, calidae nunc praeferentium, ſed conditionem non mutauit. Nec antiquitatis teſtimonia hoc probantia vlla adſunt; immunitas enim, quam Auguſtum medicis conceſſiſſe Dio refert, certe equeſtri dignitati et annuli aurei iuri aequiparanda non eſt. Nec medicorum felicis audaciae praemium MUSAE datum conditionem vllo modo mutauit. Eaedem penitus immunitates grammaticis et praeceptoribus, eodem Dione referente, ab Auguſto datae ſunt; quibus certe omnibus annulus aureus non ſimul datus eſt, temporibus, quibus Romani ciuis honores tanti habebantur, vt commendatis etiam a dilectis ſibi et principibus in re publica viris ciuium Romanorum honores Auguſtus denegaret.

Adſcripti viro tam claro ob felicem medicinam Auguſto adminiſtratam libri quidam ſunt, alter de vettonica herba, alter de diaeta ad Maecenatem. *De vettonica herba* liber certe ab alio, recentiore auctore, empirico medico, profectus eſt, et Apuleii labores iſtos, quos in herbario ſuo condidit, perfecte redolet, ita vt docti viri hodie de hoc opere Apuleio adſcribendo fere omnes conueniant. Probauit Noſter, plurima EX PLINIO deſumta eſſe, ipſumque adeo hoc opus, quod auream Auguſti aetatem nullo modo, ſed ferream potius refert, longe recentius eſſe.

De diaeta autem ad Maecenatem liber mancus admodum, graece ſcriptus, cuius tamen verſio nobis ſupereſt, aliquoties cum aliis ſcriptis medicinalibus edita, Muſam auctorem magis redolere videtur. Argumentum enim auctori ſuo admodum reſpondet plura continens amicae familiaritatis Muſae cum Auguſto et Maecenate teſtimonia, quaedam etiam de morbis, quos Auguſtus ipſe perpeſſus eſt.

XII.

XII.

IOANNIS ANDREAE MURRAY D. Equitis ordinis Regii de Waſa — de materia arthritica ad verenda aberrante disquiſitio. Sectio prior vitis et commendationi aliquot medicinae candidatorum praemiſſa. Sectio poſterior. Göttingae 1785. in 4to.

Scenam ampliſſimam ludit, prout omnibus notum eſt, in omnibus diuturnis morbis materies arthritica, quae ſaepius morborum decurſum ita mutat, turbat peruertitque, vt exercitatus etiam in cognoſcendis morbis medicus in erroneas vias facile deducatur. Verendarum inprimis partium morbi complures ex arthritica materiā ad eas aberrante ſunt, praeſertim in his, quibus hae partes aut ob impuram, quam paſſae ſunt, infectionem, aut aliam ob cauſſam admodum debilitatae ſunt. Hinc, quum parum de hac arthritidis anomalia hactenus in medicorum libris ſcriptum ſit, quae ſaepe morbos venereos inueteratos ſuetaque methodo non curandos ſimulat, gratiae plurimae habendae ſunt Illuſtri harum proluſionum academicarum auctori, viro in obſeruando ſagaciſſimo, et in his, quae hactenus in medicina praeſtita ſunt, verſatiſſimo, quod obſeruationes de harum aberrationum natura, cognitione et curatione ex auctoribus, ſuasque, quae maximam libelli partem efficiunt, literis conſignauerit.

Rheumatiſmum ab arthritide Ill. Auctor non diſtinguit, niſi in eo, quod muſculoſas partes rheumatiſmus, articulos arthritis occupet, faciliorque ab aëre, caet. rheumatiſmum contrahendi occaſio ſit. Vidit adeo Ill. vir vnum eundemque morbum

quoad affecta loca, mox rheumatiſmum, mox arthritidem conſtituiſſe, dum materies celerrime a muſculoſis partibus ad articulos decurreret.

Ad verendas partes autem translata arthritica materies mox grauiora mox mitiora ſymptomata excitat. Qui leuius aegrotant, mingendi difficultatem tantum experiuntur, tam mitem ſubinde, vt ſolito plus temporis tantum mingendo conſumant. Alios mingendi difficultas corrumpit, gonorrhoea ſpuria alios, moleſtiſſimum pruritum, excoriationem glandis, omnesque harum partium morbos ab inflammatione oriundos excitans. Alii catarrhum ex veſica habent. Aliis teſticuli, ſcrotum, aliae partes afficiuntur. Alii ſymptomata omnia gonorrhoeae venereae vehementiſſimae patiuntur, in iisque metus eſt, ne proſtata glandula inflammatione affecta ſcirrhum et carcinoma contrahat. In aliis morbus haemorrhoides mucoſas veſicae ſimulat. Summa autem in plurima cauſſarum, quae gonorrhoeam excitant, varietate, cura opus eſt, ne originum ignorantia quid committatur, quod in aegri perniciem cedat. Omnia enim, quae internam vrethrae tunicam irritare, inflammare valent, gonorrhoeam excitant, pro irritamenti magnitudine vehementiorem.

Notae autem, quibus eruitur miaſma arthriticum in culpa eſſe, difficiliores redduntur complicatione venerea, haemorrhoidali, aliaue, inprimis, ſi quis gonorrhoea olim venerea tentatus in arthriticam incidit, aut ſi in aegro arthritide nunquam antea affecto natus ſubito arthriticus humor ad verendas partes deponitur. In hoc caſu lucem quandam medico dare poteſt negatiuum iudicium, dum nulla reliquarum gonorrhoeae cauſſarum accuſari poteſt, conditiones adſunt, ſub quibus arthritis alias facile enaſcitur, haereditas, contagium, diaetae vitia, et

in

in externo forſan corpore arthritici cruciatus ſequuntur, ſilente vel miteſcente altera labe. Aliud ſignum praebent filamenta in lotio fluctuantia, ſiccata ſpeciem calcis prae ſe ferentia (quod ſignum nos in gonorrhoea arthritica, veneream rite percuratam excipiente, admodum diuturna et rebelli cum pertinaci ſcroti, inprimis in his partibus, ſub quibus funiculi ſpermatici deſcendunt, pruritu coniuncta conſtanter obſeruauimus.)

Planior cognitionis via eſt, ſi malum in corpore eſt, arthritidem anomalam perfectam paſſo, licet etiam interuallum ab arthritide ad hunc morbum admodum longum ſit. Maxime firmatur iudicium de arthritica morbi indole, ſi, diſparentibus cruciatibus in alia corporis parte, incommoda iſta in verendis ſentiuntur, diſparentia vero in verendis alias partes occupant. Nec damni quid in aegrum redundat, dum medicus, ſtatu irritationis perſeuerante, in cauſae iuſta aeſtimatione decipitur, in hoc enim omnis curatio irritationi aduerſa eſſe debet: ſuperato vero hoc ſtadio auxilia cauſſae, quae ſubeſt, ſtudioſe accommodanda ſunt.

Quemadmodum autem quaeuis arthritis anomala difficilior curatu magisque ambigui euentus eſt, quam iſta, quae exterius corpus obſidet, ita et ad verendas partes aberrans. Non ſemper tamen aeque timenda eſt, quum a leuiſſima ſtranguria vſque ad lethale proſtatae carcinoma extendatur. Si gonorrhoeam ſpuriam, aut leuiorem vrinae difficultatem excitat, blandius malum eſt, difficilius, ſi comitem ſe adiungit vera vrethrae inflammatio, quae ſi verſus veſicam deſcendit et proſtatam corripit, ambiguum exitum reddit. Ipſa etiam induratio et intumeſcentia proſtatae curationem admittit, modo recens ſit et efficacibus medicinis impugnetur.

Decu-

Decubitum arthriticae materiae ad partem antea a morbo liberam maxime nixus huius partis intenſior determinat, qui vel ſtimulando, vel debilitando partem ad ſuſcipiendum virus alicubi latens opportunam reddit. Sic iſchias neruoſa intenſiſſima ſcapulas ſubito occupauit, brachiis alte exporrectis. Sic nixus verendorum intenſior, ſtimulus ad ea extrinſecus allatus plurimum valet ad virus arthriticum alliciendum. Inſuper ſingulari niſu arthriticum miaſma in lotii vias fertur.

In poſteriore ſectione hiſtoria dicta hactenus illuſtrans enarratur. Vir integram et puram ſceleris vitam agens arthriticis inſultibus ſaepius, haemorrhoidalibus ſymptomatibus parum vexatus Ill. Auctorem, ob profluuium ex vrethra cum ardoris ſenſu conſuluit. Venereae labis ſuſpicio ne minima quidem. Itinere inſtituto ſanus ab arthritide vir redierat, ſed mox, ob debitum coniugale frequenter vxori praeſtitum, vrethrae titillationem, deinde dolorem ſenſit. Poſtea muci ſtillicidium cum ingenti dolore, verſus collum veſicae ſaeuiente, et vrina, licet crebro ad mingendum ſtimularetur, admodum difficili. Quibus omnibus mox acceſſere glandis et praeputii tumor, auctum muci ſtillicidium, dolor in inguinis glandulis et in femore, mentulae cum dolore erectio, ponderis in ano ſenſus. Poſtea febris, vere inflammatoria, arthritica, cum ſummo dolore, doloribus arthriticis mox hanc, mox illam partem occupantibus. Poſtea, mitigata febre, et inflammationis externae ſignis mitioribus, teneſmus acceſſit, ſummum dolorem excitans, a glandulae proſtatae inflammatione reſidua natus, quae explorata per anum digito tumorem exhibuit ouatum, attactu mollem, dolentem. Febre tandem accedente eaque mitigata inflammatio diſparuit. At ſuperſtes manſit tumor

mor proſtatae piriformis, indolens, durus, latitudinis quatuor transuerſorum digitorum. Cicutae extractum, etiamſi tribus cum dimidia vnciis conſumtis, ad tumorem non valuit, qui nec decreuit, nec mollior euaſit, ſed ſollicitum magis medici animum reddidit, ſenſu aliquo moleſto formicationis, punctionis, vel tenſionis accedente. Magis ſuſpecta aegri conditio reddita eſt, quum veſperi per plures dies febricula emergerit. Minuit tumorem tinctura antimonii Thedenii poſtea data, tentato antea incaſſum corticis Peruuiani cum cicuta connubio. Interpoſitus poſtea tincturae antimoniali vſus gummi guaiaci cum ſapone alicantino eſt, laeſisque concoctionis viribus elixiria amara ſubuenerunt. Quibus omnibus aeger a difficili morbo perfecte liberatus eſt.

Thedenius, ad quem Ill. Auctor morbum hunc perſcripſerat, in reſponſoriis certiorem illum fecit, ſibi ſeptem vel octo caſus ſimilis fere indolis obueniſſe. Horum tres infauſtum exitum habuere, in auxilium licet vocatis medicis peritiſſimis, quum malum in proſtatae carcinoma inueteratum, quod et in anum et in perinaeum vim ſuam ſparſerat, tranſiiſſet. Reliqui ſanitati reſtituti; in duobus tamen vrethrae eluuies remanſit, pro mucoſis haemorrhoidibus habenda, quibus arthritica materies ſeſe adſociaſſet. Eadem remedia, quae Ill. Auctor, THEDENIUS, V. Ill. adhibuit.

Tandem caſus eiusdem morbi ab aliis viſi exhibentur. (Vidimus et ipſi hunc morbum, gonorrhoeam veneream proxime excipientem, diuturnum admodum, per tres paene annos perdurantem, nec penitus hactenus ſanatum, liberato quidem aegroto perfecte ab omnibus malis, reſiduis vero pertinaciter gonorrhoeae mucoſae licet leuio-

leuioribus veſtigiis. Morbum et curandi modum, ab agyrtis vero tonſoribusque ſaepe peſſime turbatum, proxime in his commentariis enarrabimus.)

XIII.

Philoſophical Transactions of the royal Society of London. Vol. LXXII. for the Year 1782. P. I. II. Lond. ſold by Lockyer Davis and Peter Elmsly 1782. 1783. 4. 462 pagg. c. Append. pagg. 33. et Tabb. aen. 16.

i. e.

Acta Societatis regiae Londinenſis ad ann. 1782. Vol. LXXII. P. I et II.

p. 1. I. Comitis GIORNI *Diſſertatio de nouo pluuiae genere.* In montis Aetnae vicinia a. 1781. d. Aprilis 24ta, arbores, prata, quaecunque ſub dio erant loca, humore multo ex cinereo albicante madebant, qui ſolis calore abſterſus copioſam terram albidam poſt ſe relinquebat. Quae humectaverat liquor iſte, ferrea inſtrumenta, ea ſtatim erodebantur, rubiginemque contrahebant. Vulgaris erat opinio, portentum iſtud peſtilentes morbos vel famem praeſagire, multique, venenum eſſe ſuſpicantes, toto illo tempore ab aqua pluuia abſtinebant. Vanum tamen metum fuiſſe cum euentus ipſe, tum chemica analyſis docuerunt. Nulla enim calamitas publica accidit, et noſter, experimentis cum pluuia iſta inſtitutis, terram, quae admixta erat humori, praeter calcem et ſal calcareum nihil eſſe cognouit. Aetnae incendio nouiſſimo rem omnem tribuit, terramque cum coeleſti aqua delapſam montis quaſi fuliginem fuiſſe, non incongrue ſuſpicatur, cum notum ſit omnibus, flammarum vehementia cineres

neres multas et ingentes materiae volatilis nubes ex igniuomis montibus in ſublime rapi, quae deinceps frigore compacta ex aëre in terram demittuntur. — Haec diſſertatio italico ſermone ſcripta, in appendice anglico idiomate expreſſa repetitur.

II. LAURENTII CRELLII *ad* GULIELMUM HUNTERUM *epiſtola*, (latine ſcripta) *de nouis experimentis chemicis, quae ad penitiorem Acidi pinguedinis cognitionem valere videntur.* Continuatur enarratio experimentorum, quae ex LXXmo Actorum anglicorum Volumine, Commentariorum noſtrorum T. XXVI. p. 566 recenſuimus. Deſtillatione ex ſale ſuo medio elicitum pinguedinis acidum, mitius, quam antea fuerat, eſſe, idem ex ſapone puro, alumine addito, ignis adminiculo extortum tanta vi praeditum eſſe, vt fumos etiam emittat, per tentamina Cl. CRELLII conſtitit. Porro acidum illud repetitis deſtillationibus ita mutari cognouit, vt non modo miteſcat, verum etiam ſedimentum terreum peculiaris indolis demittat. Aurum a puro acido pinguedinis haud ſoluitur; aliqua tamen contingit ſolutio nitri acore addito; neutiquam tamen inde efficitur, acidum pinguedinis ſalino prorſus eſſe ſimile. Nam mixtura ex ſingula nitroſi et binis pinguedinoſi acidi partibus parata auro ſoluendo par erat: in aqua regia autem alia eſſe debet ſalini acidi ad nitroſum ratio, alioquin aurum non diſſoluitur. Platinae calcem, non vero platinam ipſam ſoluit pinguedinis acidum, argentum ab eodem non ſolvitur, ſed corroditur, hydrargyrus, licet tantillum eius ſoluatur, magis ſolideſcit; calx eiusdem metalli facilius ab acido recipitur. Cuprum, ferrum, zincum, regulum antimonii, magneſium denique facile ſoluit acidum pinguedinis; longe difficilius plumbum, ſtannum et arſenicum; Biſmuthum, cobaltum et niccolum plane reſpuit, quorum tamen p. 8

calci-

calcibus ſatis facile nubit. Variorum etiam metallorum in aliis acidis ſolutionibus acidum pinguedinis *Auctor* addidit, eaque ratione huius cum metallis adfinitates accuratius determinauit. Experimenta iſta, et alia, quibus tum *ſalis Segneriani* (ex acido pinguedinis et alcali fixo parati) ad alia acida habitus, tum noui huius acidi actio in varia ſalia media declaratur, hoc loco, ne diutius lectores moremur, praetermittimus, addituri tantum acidi pinguedinis et ſalini diſcrimina. Quamuis enim multa vtrique ſint communia, pinguedinis tamen acidum a muriatico differt, intima cum oleoſis partibus coniunctione; ſale calcareo, quem non diffluentem praebet; naphthae faciliore geneſi, argenti et mercurii ſolutione promta, huius denique praecipitatione ex ſublimato corroſiuo.

p. 35. III. GUL. WHITE *obſeruationes de hominum Eboraci quotannis mortuorum numero.* Inde ab anno 1728. ad a. 1735. mortuorum numerus quotannis ad natorum numerum ſe habebat, vt 498 : 400 ſiue vt 5 : 1. Inſequente aetate inuerſa fuit ratio; ita vt partus frequentiores eſſent mortuis, horumque numerus annuus ſeptenni ſpatio ab. a. 1770 ad finem anni 1776. ad partuum numerum comparatus eſſet vt 452 : 474, ſiue propemodum vt 45 : 47. Frequentiores tamen erant feminarum, quam marium, mortes, ex illis etiam plures moriebantur quotannis, quam naſcebantur. Saluberrimum anni tempus aeſtas erat, infenſius vitae, et quo plures morerentur, hiems. Cum autem priori aetate ex $21\frac{3}{4}$ vnus quotannis mortem obiret, poſteriori tempore, ſcil. ab. a. 1770-1776. mortuorum ad viuos proportio annua fuit vt 1 : $28\frac{1}{4}$; vnde luculenter apparet, ciuitatem Eboracenſem hoc noſtro aeuo ſalubriorem, quam olim, eſſe: cuius rei cauſſam Cl. Auctor tum in variolarum inſitione omnium fere

ſuffra-

ſuffragiis accepta et meliori febribus medendi methodo, tum in ipſius vrbis regimine, platearum domorumque nuper exſtructarum amplitudine, aquae pluuiae per vicos olim fluentis paſſimque ſtagnantis derivatione, vicinorum lacuum exſiccatione, canalium denique et cataractarum ſubſtructione poſitam eſſe exiſtimat.

IV. IOH. TORLESE *Equitis, Praefecti Aniingenſis ad* GUILIELMUM HORNBEY *Praetorem Bombaienſem de monſtroſo quodam partu epiſtola.* Puellae erant duae natibus inter ſe ita coalitae, vt altera alteri inſidere quaſi videretur. Capita duo huic monſtro erant totidemque trunci, quorum ſingulus brachiis manibusque binis inſtructus erat. Ex medio corpore, latere ſiniſtro, pedes duo porrigebantur; ex ipſo dorſo eminebat tertius duorum pedum inter ſe coalitorum ſpeciem quodammodo referens. Vnicus aderat anus, vnicus etiam vmbilicus, ſed duo genitalia muliebria. p. 44.

V. KEANE FITZGERALD *Experimenta cum Cannabis chinenſis ſeminibus inſtituta.* Demonſtratur, hanc cannabis ſpeciem coeli noſtri naturam patienter ferre, et ob filorum textilium inde parandorum ſubtilitatem et firmitatem cannabi noſtrati praeferendam eſſe. p. 46.

VI. SAM. MORE *Diſſertatio de Scoriis, quae in officinis ferro fundendo deſtinatis ſponte colliguntur.* Filamenta ſunt tenuia, candida, vitri inſtar pellucida, fragilia, lauae vitreae filamentoſae HAMILTONI ſimillima. Pari modo hanc lauam in montibus igniuomis, ſcoriam illam in furnis fuſoriis ignis violentia excoqui, per argumenta varia demonſtratur. p. 50.

VII. GUIL. GORSUCH *Compendium necrologii Parochiae ſanctae Crucis Salopenſis* (Holy Croſs, Salop) *inde ab a.* 1770. *ad a.* 1780. Plurimos ta- p. 53.

bes et variolae, pauciſſimos inflammatorii morbi iugulauerant. Mortuorum intra decennium ad natos ratio erat, vt 311: 385.

p. 179. XV. RICH. KIRWAN *Continuatio Experimentorum et Obſeruationum, quibus nonnullorum ſalium pondera propria viresque attractiuae determinantur.* Principia, quibus haec experimenta nituntur, alio loco expoſuimus *). Addidit Cl. Auctor obſeruationes nonnullas de phlogiſto, quod idem eſſe cum aëre inflammabili, multis iisdemque ingenioſis argumentis contendit. Indagauit etiam per experimenta, quanta phlogiſti copia fixo, nitroſo, vitriolico et ſalino aëri, nec non ſulphuri adhaereat.

p. 237. XVI. ALEX. VOLTA *Methodus noua electricitatem minimam inueſtigandi.* Nemo facile erit inter lectores noſtros, qui nouum illud inſtrumentum, cui *condenſatoris electrici* nomen dederunt phyſici, plane ignoret. Debetur autem illius inſtrumenti inuentio Cl. VOLTAE, qui hac diſſertatione de conſtructione et vſu eiusdem expoſuit. Sunt quaedam corporum genera, quae medium quaſi locum inter electrica et non electrica obtinent: v. c. marmor exſiccatum, lignum leniter toſtum vel vernice obductum et alia. *Imperfecti conductores* nuncupari conſueuerunt. Ex tali igitur materia condenſatores fiunt, accumulandae materiei electricae, cui tranſitum non concedunt, aptiſſimi. Tabula marmorea polita, igne modico exſiccata et calefacta, vel vernice illinita optimum condenſatorem praebet. Cui ſi diſcum metallicum impoſueris eamque filo metallico a conductore atmoſphaerico porrecto per aliquod tempus contigeris, ſublato iterum diſco, manifeſta electricitatis ſigna tum motu electrometri;

*) Vid. Comment. noſtr. Vol. XXVI. p. 223. et Vol. XXVIII. P. I. p. 68.

metri, tum ſcintillis e diſco profilientibus, ſeſe produnt, licet antea nullum electricitatis ſuperſtitis veſtigium inuenire potueris. Simili propemodum ratione experimentum ſuccedit, ſi conductoris atmoſphaerici loco, phialae Leydenſis, electricitate, vti videtur, prorſus orbatae, globum condenſatoris diſco applicueris. Eiusdem apparatus adminiculo conſtitit, ſub aquae euaporatione, carbonum combuſtione, acidorum denique cum metallis aut lixiuis ſalibus efferueſcentia, materiem electricam excitari et euolui. Vero ſimillimum igitur eſt, illam corporum facultatem, qua electricam materiam ſibi iungunt et retinent, augeri eorundem in vapores diſſolutione. Qua in re non poteſt non intelligi ea, quae materiem caloris fluidumque electricum intercedit, ſimilitudo, cum per nuperrima experimenta conſtiterit, illam quoque virtutem, qua corpora calorem abſorbent, in vaporibus eorum maiorem eſſe. Caeterum Cl. VOLTA multa adhuc docte et ſubtiliter de condenſatorum natura et vtilitate diſputat, quae ſi repetere vellemus hoc loco, totam fere diſſertationem deſcribere cogeremur. Eadem, cum italice ſcripta ſit, in appendice anglice verſa legitur.

Subiungimus indicem diſſertationum mathematicarum, mechanicarum et aſtronomicarum, quas huius Voluminis pars prior continet.

VII. PATRICII WILSON *Diſſertatio, qua nobilis illa quaeſtio, an radii lucis diuerſa media peruadendo, velocitatem iuxta legem refractionis a Newtono inuentam mutent? aberrationis ſtellarum fixarum obſeruatione illuſtratur.* p. 58. IX. GEORGII LLOYD *plu viae agrum Barrowbyenſem prope Leeds annuo ſpatio irrigantis copia numeris expreſſa.* p. 71. X. IAC. SIX *noua thermometrorum emendatio.* p. 72. XI. GUIL. HERSCHEL

p. 112. SCHEL *de Parallaxi ſtellarum fixarum.* XII. EIUS-
p. 163. DEM *Enumeratio ſtellarum duplicium.* XIII. EIUS-
DEM *deſcriptio Micrometri lampade illuminati* (Lamp-
p. 173. Micrometer). XIV. EIUSDEM *reſponſio ad dubia*
quaedam contra vſum lentium vitrearum obiectorum
p. 281. *volumina valde augentium ſuſcitata.* XVII. TH. RUT-
p. 285. LAND *Diarium meteorologicum Lyndonenſe.* XVII.
Diarium meteorologicum Societatis regiae.

Iam ad poſteriorem huius voluminis partem accedimus.

p. 305. XIX. IOSIAE WEDGWOOD *Deſcriptio thermometri noui maioribus caloris gradibus menſurandis idonei.* Notum eſt, vulgaria thermometra mediocres tantum calores indicare, ignitionis vero gradus determinare haud poſſe. Multa tamen opera artificum, quae igne vehementi fortique indigent, ſine huius accurata moderatione perfici nequeunt. Quae reputans ſecum Auctor noſter, facile intellexit, menſuram ignis a tali corpore eſſe repetendam, quod ſub ignitione aequabili ratione ſenſim mutetur, ſed nullam deſtructionem patiatur. Nouum, quod in hac diſſertatione propoſuit, thermometrum, argillae mutatione ignis gradus dimetitur. Argillae ſcilicet indoles ea eſt, vt inde ab ignitione vſque ad eum aeſtus ignei gradum, quo in vitrum conuertitur, ſenſim ſenſimque voluminis deminutionem experiatur. Noſter igitur ex argilla puriſſima apyra talos paruos aequali volumine parauit, molisque eorum igne factam deminutionem in modulis aeneis, quorum parietibus decliuibus per aequalia interualla gradus inſcripti eſſent, dimetiendo, ignis varia diſcrimina aeſtimauit. Scala modulis aeneis inſcripta, duorum pedum habet longitudinem et gradus 240 indicat. Auctor, varios ignis gradus per experimenta cum hoc thermometro ſuo indagando, cuprum Suecicum 27, argentum 24, aurum 32, aurichalcum

cum 21, ferrum 130 — 150, vitrum 114 — 124, maſſam fictilem teſtarum Hetruſcarum et Romanarum 20 — 32, teſtas porcellaneas Chinenſes 120 — 156 graduum calore fundi obſeruauit. Caeterum talos illos thermometricos parauit ex argilla alba apyra Cornwallienſi, quae a calcarea terra acidoque vitriolico prorſus libera eſt, et praeter terram aluminis (argillam puram BERGM.) ſiliceam tantum continet.

XX. GUIL. WITHERING *analyſis chemica lapidum Rowley-Ragſtone et Toadſtone.* Vtraque lapidum ſpecies ad ſiliceorum claſſem pertinet. Lapis, quem *Rowley-rag-ſtone* Angli vocant, in Centenario, ſiliceae terrae partes $47\frac{1}{2}$ argillae purae $32\frac{1}{2}$ calcis ferri 20 continet. Centenarius lapidis *Toadſtone* terrae ſiliceae partes $63\frac{5}{10}$, calcis ferri 16, terrae calcareae $7\frac{1}{10}$ terrae aluminis $14\frac{8}{10}$ habet. Appendicis loco adiecta eſt tabula, ſalium in ſpiritu vini rectificatiſſimo ſolubilitatem et inſolubilitatem demonſtrans. p. 327.

XXI. IOH. SMEATON *Experimenta noua, quibus corporum mutua colliſio explicatur.* Inſtrumentum nouum proponitur percuſſioni mutuae corporum elaſticorum aeſtimandae idoneum. Cuius conſtructio, cum in reliquis machinae vulgari, quam *percuſſoriam* dicunt, ſatis ſimilis ſit, in eo tamen differt, quod elateres additi ſint, pendulos bacillos ligneos (filis ſubſtitutos) dirigentes. Reliqua figurae adiectae clarius, quam verba poſſent, illuſtrant. p. 337.

XXIII. IOH. HUNTER *Diſſertatio de organo auditus piſcium.* Ipſa cranii cauitate organum auditus in piſcibus continetur, et tribus canalibus curuatis conuergentibus cartilagineis vnico ſaepe orificio terminatis, cranio tectis, non autem vndique incluſis, vel in ipſo cranio exſculptis, conſtat. Ex his canalibus bini ſunt perpendiculares, ſingulus horizon- p. 379.

talis. A communi perpendicularium orificio meatus extrorſum porrigitur, paruo nonnunquam oſtio in ſuprema capitis parte terminatus. Nerui auditorii non in ipſis canalibus, ſed in coeca eorundem et dilatata appendice diſtribui videntur. Caeterum non omnia in piſcium diuerſorum organis auditoriis pari modo ſe habent.

p. 384. XXIV. ABR. BROOK *Electrometri noui deſcriptio.* Artificioſa huius electrometri conſtructio vix poteſt, ſine figurarum adiectarum inſpectione, explicari.

p. 426. XXVII. IOH. INGENHOUSS *Obſeruationes et experimenta, nexum, qui vegetabili regno cum animali intercedit, illuſtrantia.* PRIESTLEVUS contenderat, aërem dephlogiſticatum, qui in vaſis, aqua plenis et vegetabilia continentibus, dum ſolis radiis exponuntur, colligi ſolet, non ex ipſis plantis, ſed ex aqua prodire. Quam opinionem confutaturus Noſter, aquae, per coctionem omni aëre orbatae, vegetabilia varia, inprimis conferuam riuularem, immerſit, vaſaque plantas iſtas cum aqua continentia fundo inuerſo in patina hydrargyri plena collocavit. Sic aërem e plantis prodeuntem vidit protinus ab aqua abſorberi, quae deinceps agitata multas bullas excuſſit, et coctione aërem dephlogiſticatum praebuit. Experimento iſto aliisque multis ſimili ratione inſtitutis efficitur, aërem dephlogiſticatum plantis, non aquae, deberi.

p 440. XXVIII. GUIL. ANDRE' *Diſſertatio de oculis Monoculi Polyphemi.* Vulgaris eſt opinio, hoc inſectum binis oculis inſtructum eſſe. Noſter quaternos ei naturam dediſſe inuenit. Ex his bini ſunt maiores, latius a ſe inuicem diſtantes, bini minores approximati. Illi renum figuram habent, multisque foueis exſculptae ſunt, quas, ſi microſcopio luſtrentur, totidem conorum apices eſſe apparet.

Sin-

Singulus quisque conus solidus est et pellucidus, multisque minoribus conis sibi inuicem insertis constat. In medio corneae loco recti sunt coni, reliqui obliquo situ versus centrum inclinantur. Cum autem ipsa cornea pars sit crustae quotannis exui iterumque innouari solitae, vero simile est, extrema conorum strata, vna cum crusta insecti, singulis annis abscedere, eorumque loco stratum, quod proxime subiacet, extremum fieri. Minores Polyphemi oculi singulos tantum conos habent.

Elenchus commentationum mathematicarum etc.

XXII *Descriptio Xenodochii Heckinghamensis, quod, cum conductoribus acutis munitum esset, fulmine tactum fuit.* p. 335. XXV. S. VINCE *Methodus noua infinitarum serierum summam inuestigandi.* p. 389. XXVI. IOH. HELLINS *Methodus aequales radices aequationum Diuisione inueniendi.* p. 417.

XIV.

Medicinae praxeos Systema ex academiae Edinburgenae disputationibus inauguralibus praecipue depromtum et secundum naturae ordinem digestum, curante CAROLO WEBSTER M. D. Valetudinarii Publ. Edin. Med. Alter, e Coll. Reg. Med. Edin. Societ. Reg. Med. Paris. et Edin. huiusque ad acta edenda a Secretis. Tomus I. Edinburgi typis I. Bell et R. Murray. Venalia prostant apud Gulielmum Gordon et Robertum Murray; Londini apud Carolum Dilly, nec non Richardson et Urquhart, bibliopolas 1781. 8. 498 pagg. Tom. II. 1781. 308 pagg. Tom. III. 1781. 299 pagg.

Non mala ſubiit Cl. WEBSTERUM cogitatio, eum, quae hinc inde ſparſae dilaberentur diſputationes Edinburgenſes, in vnum veluti ordinem iungeret, et ex his Syſtema quoddam practicum condere conaretur, mutando, augendo, in breuius ſpatium redigendo, annotationes ſubiiciendo,
p. 7. et vt nihil deeſſe videretur, alienas addendo, has vero ita collocando, vt ſuo ſingulas ordini redderet. Vellemus tamen, ſi ita agere lubitum erat, aliquem e Syſtematicis ſecutus eiusque ordinem imitatus eſſet, ſubiiciendo annum, quo quaeque ſcripta eſt. Nam et illud ſua vtilitate non caret.

De modo, quem in tractanda materia candidati adhibuerunt, nihil eſt, quod moneamus. Idem enim fere in omnibus hiſce diſputationibus eſſe ſolet. Neque ſtilus purus eſt. Delibemus ergo potiora.

p. 1. *Ordo I. Morbi haemorrhagici.* Continentur hoc quidem

p. 1. 1. *De plethora*, auctore B. COGHLAN. Praeuia generali plethorae diuiſione, definitionem, ſymptomata, cauſſas, diagnoſin et curam ſcribit. Nihil noui ineſt.

p. 20. 2. *De haemorrhagiis*, auctore G. CLAPHAM. Verſari ſe velle potiſſimum in explicanda epiſtaxi, haemoptyſi, haemorrhoidibus et menorrhagia, ſpondet Noſter, ſed vltra communia non progreditur, ita quidem, vt poſt ſigna et cauſſas, et curationem adferat. In hoc quidem diſſuadet opii vſum ante ſedatam diſpoſitionem inflammatoriam.

p. 38. 3. *De adminiſtratione antiphlogiſtica*, auctore R. SCOTT BYAM. Intelligit Noſter ſub hac id, quod medici vulgo appellant *regimen antiphlogiſticum* et *medicamenta antiphlogiſtica*, et comprehendit *vitandis irritamentis, quae pauciora aut plura magisque aut minus corpora noſtra ſemper fere exercent.* Iubet ergo

ergo *cap.* 1. vitanda, quae inſtrumenta ſenſus affi- p. 40.
ciunt i. e. tactum et calorem, *cap.* 2. motum, *cap.* 3. p. 43.
animi perturbationes, *cap.* 4. alimenta ſtimulantia, p. 45.
cap. 5. ſitim, *c.* 6. ventriculum infeſtantia, *c.* 7. ſter- p. 47.
cora dura, *c.* 8. communem humorum acrimoniam. p. 48.
(Nollemus hanc diſſertationem in ſocietatem recepiſſet Noſter, vtpote ieiunam, nec huic ordini ſatis accommodatam, cum nihil de haemorrhagiis contineat.

4. *De epiſtaxi.* Videtur hoc ſumtum ex *Dun-* p. 49.
cano, ſed minus idoneum ad hunc morbum ſatis perſpiciendum eſt.

5. *De haemoptoë*, auctore T. CAW. Statuit non, p. 51.
niſi 12 ſpecies *Sauvag.* damnat ergo phthiſicam, catarrhalem et tuberculoſam, reddendo cauſas et explicando breuiter potiora momenta, etſi nihil memorabile hic deprehendas.

6. *De haemorrhoide*, auctore F. CLAXTON. Red- p. 61.
dit, praeter definitionem, hiſtoriam morbi, cauſas (in his deeſt ſexus ſequior, vbi vel infarctus vrget, vel obſtructio menſium) et rationem medendi, quam ſoli plethorae et irritamentis accommodat. Sed id nequaquam ſufficit ad curationem haemorrhoidum, ideoque debebat Cl. editor, certe notulis ſupplere, quae deſunt.

7. *De menorrhagia in non grauidis, nec puerpe-* p. 73.
ris, auctore D. DALY. Praemittit quaedam de menſtruorum origine, tunc accedit ad ea, quae nimis fluunt, cauſſas nominat, quae plethoram faciunt, ſanguinis curſum citant, ſolidas partes relaxant vterumque ipſum moleſtant, ſed iterum deſideratur vberior explicatio et diſtinctio, et finit cum methodo medendi, quam vellemus ſupra memoratis cauſſis accommodaſſet. Sic enim tyronum ſtudiis ſuccurritur.

p. 85. *Ordo II. Morbi inflammatorii.* Hic largior meſſis eſt, eamque ob rem breuiter opellas indicamus.

p. 85. 1. *De phlegmaſiis vel inflammatione*, auctore I. IOHNSTON. Inſunt communia inflammationis ſigna, cauſſae, methodus. Proximam cauſſam negat eſſe obſtructionem vaſis et ſpiſſitudinem ſanguinis, ſed magis accuſat ſpaſmum vaſorum extremorum. Subdit exitum inflammationum per reſolutionem, ſuppurationem, gangraenam et ſcirrhum, item medendi rationem, i. e. antiphlogiſticam, de camphorae virtute dubitat, ſed ſine probatione.

p. 99. 2. *De cynanche tonſillari*, auctore G. HOGGART TOULMIN. Eſt haec eadem, quae vulgo angina inflammatoria dicitur, neque hic memorabile quid inuenitur, niſi quod noxas antecedentes, noxas ſeminium facientes, noxas excitantes et id genus alia nominet.

p. 121. 3. *De cynanche tracheali*, auctor AND. MEASE. Raram hanc ſpeciem Noſter putat, apud *Ellerum* eam inueniri, quae adultos occupat, primam deſcriptam eſſe ab Cl. HOME 1765. nouum tamen morbum non videri, quia ſemper in borealibus regionibus exſtiterit. Cauſſam proximam ſtatuit inflammationem febre ſynocha ſtipatam, membranam morboſam natam ex lympha coagulabili, curandum malum eſſe ita, vt auferatur inflammatio topica, ſuffocationi obuiam eatur, et recurſus morbi praepediatur. Remedia nota ſunt, nec ſemper ſatis definita.

p. 137. 4. *De ophthalmia*, auctore GUL. WEMYSS. Agit Noſter tantum de idiopathica ophthalmia, cauſſam proximam aſſumit ſpaſmum, mancus eſt in percenſendis aliis cauſſis, in curatione ſperat et quaerit reſolutionem.

5. *De*

5. *De phrenitide*, auctore ALEX. BERTRAM. p. 151.
Cauſſam mali proximam ſtatuit inflammationem cerebri, eique accommodat rationem medendi per ſanguinis miſſionem, emetica, cathartica, pediluuia et fomenta, regimen antiphlogiſticum, applicata frigida, epiſpaſtica et opiata, vbi leuata eſt diſpoſitio phlogiſtica.

6. *De pneumonia*, auctore I. SHEPHERD LEITH. p. 157.
Damnat ſpecies et ipſam pleuritidem, negat, inflammationem pulmonibus inſidere, ſed incipere ſemper ab parte membranoſa, ideoque hoc pneumoniae nomine comprehendit quamuis pectoris eiusque partium inflammationem. Sedem in pleura ponit, et morbum internoſcendum praebet *pyrexia, ſpirandi difficultate, tuſſi et alicubi thoracis dolore.* Cetera his ſumtionibus reſpondent.

7. *De gaſtritide*, auctore G. HARMAN. Agere p. 182.
potiſſimum placuit Noſtro de inflammatione phlegmonica. addidit tamen quaedam ex Cl. CULLENI p. 182.
obſeruatione de *eryſipelate idiopathico*, cuius ſigna notantur caloris dolorisque ſenſus in regione ventriculi, algor corporis externi, ſitis et quae comitantur inflammationi, certiſſimum vero omnium oris et faucium eryſipelas, quod quidem varia loca occupat, et vbi ventriculus male ſe habet, ſingultum, vomitum etc. contra vbi inteſtinis inſidet, diarrhoeam cruentam facere ſolet. Praefert etiam Noſter definitionem CULLENI, qua *pyrexia typhodes* p. 183.
eſſe dicitur, et ſymptomata primaria, praeter hanc, nominat pulſum intermittentem, anxietatem, ardorem epigaſtrii, dolorem, vomendi cupiditatem, ſingultum, ſitim, cruſtam ſanguinis phlogiſticam, dyſpnoeam et vrinam ſuppreſſam. In cauſſarum p. 188.
occaſionalium numero ponit frigus, vim externam, nimiam diſtenſionem ventriculi et dura, ſtimulantia, acria ingeſta, hisque ſuperſtruit methodum meden-

medendi, etiam purgantia (?), ſales neutros (?) et acida (?) commendat.

p. 195. 8. *De enteritide*, auctore G. HICKS. Adducit poſt definitionem cauſſas, ſymptomata et diagnoſin, quia medici multum intereſt, hunc morbum curate noſſe, prognoſin, vbi peſſimus putatur pulſus humilis, meteoriſmus et facies mire mutata, tandem methodum medendi. Hic, praeter ſanguinis miſſionem, iubentur regimen antiphlogiſticum, ſudorifera, veſicantia et cucurbitae coecae, et poſthaec ea, quae ſymptomata vrgentia releuant, v. c. cathartica leniora, enemata mollientia, anodyna, topica, in primis balneum tepidum.

p. 208. 9. *De hepatitide*, auctore R. SCOTT. Negat, more VOGELII ad definitionem requiri icterum, bilis vomitum et alui deiectionem, quia haec ſymptomata in idiopathica inflammatione rarius incidunt, neque vero CULLENI meliorem ideo putat. Huius varios exitus narrat, cauſam proximam ſtatuit congeſtionem et ſpaſmum cum vaſorum hepatis actione incitata, percenſet ſymptomata, dolorem et tenſionem in hypochondrio dextro, dolorem acutum et ad os iuguli vſque protenſum, (hac occaſione reprobat explicationem ab conſenſu nervorum vel oſcillationibus peritonaei et pleurae) decubitum in latus affectum, dyſpnoeam et tuſſim ſiccam, vomitum et ſingultum, colorem oris flavidum, quem pathognomonicum eſſe iterum negat, denique ſubdit conſilia medendi. In his nihil eſt, quod memoremus, niſi mercurii vſum in India orientali, qui acrimoniam humorum mitigando prodeſſe creditur.

p. 226. 10. *De nephritide*, auctore PLUNKETT LHOYD. Raritatem morbi ab inſenſilitate repetit, ex definitione CULLENI abeſſe iubet partem poſteriorem,
p. 230. quoniam ad calculum pertinet. Diagnoſis bona eſt,

eſt, cum hic facile errent medici. Opiata cenſet intuilia, ſi qua inflammatio dolorem facit.

11. *De hyſteritide*, auctore LUDOV. BROTHERSON. p. 237.

12. *De rheumatiſmo acuto*, auctore BARTHOL. DILLON. p. 241. Putat, hunc morbum ignotum, certe minus cognitum fuiſſe veteribus, proprium eſſe terris ſeptentrioni propioribus, obnoxios ei, qui temperiem ſanguineam habent, diſtinctionem in acutum et longum ſaepe difficilem videri, euentum rarius funeſtum, cauſſam proximam vaſorum minorum conſtrictionem et hinc ortum ſpaſmum, methodum medendi antiphlogiſticam, ſub qua etiam continentur emetica.

13. *De eryſipelate*, auctore T. DALE. Inter ſymptomata refert etiam tumorem faciei, eumque naſci ſtatuit ab effuſione quadam humoris tenuiſſimi in telam celluloſam. Cauſſam, quare verum ventriculi eryſipelas nunquam in ſuppurationem tranſeat, tribuit cuidam conſenſui eius et cutis. Praefert ceteris remediis venaeſectionem, deinde lenem alui purgationem, reiicit externe applicata, laudat corticem ad gangraenam auertendam. p. 254.

14. *De variola*, auctore IAC. MACKNIGHT. Deſcribit variolam benignam et malignam. Cetera ſecundum CULLENUM. Ad partes vlceratas commendat vnguentum molliens ſuperhabendum et renouandum, ad hecticam vlceroſam corticem, opiata et alui lotiones, ad ophthalmiam opiata et mercurialia purgantia, ad apoſtemata ſuperuenientia vero cataplaſmata mollientia. p. 271.

15. *De variolae inſitione*, auctore ANDR. DOUGLAS. Variolas ab Arabibus vel ex Aegypto profectas eſſe auctor eſt, inſitionem hoc demum ſeculo apud Britannos vſu eueniſſe, et ab his primum tentatam, Germanos eam nec expuliſſe omnino, p. 286.

nec penitus recepiſſe, Batauos verbis, non factis, comprobaſſe, Gallos deſpicatui habuiſſe, America-
p. 288. nos plurimum tribuiſſe. His addit *diuerſas inſeren-*
p. 290. *di vias*, *obiectiones* et *methodum hodie vſitatiſſimam*; ſed haec lippis et tonſoribus nota ſunt. Coronidis
p. 300. loco ſuperaddita eſt *varicellae* definitio.

p. 300. 16. *De rubeola*, auctore CADWALLADER-BLAYNEY LEE. Origo morbillorum ab Arabibus repetitur, et *hiſtoriae morbi* ſubiicitur ſectio demortuae feminae. Erat aſpera arteria repleta materia purulenta, membrana interna vero inflammata, ſed nec vlcerata, nec praeter naturam craſſa, pulmo intus ſanguine refertus. Ex quibus concludit, rubeolam ſic differre ab peripneumonia, quod in hac pulmones ſemper graues et duri ſint, in illa minime. Etiam probabilem ſignorum rationem exhibet, et iubet ſecari venam, aluum cieri, regimen antiphlogiſticum adhiberi, propter catarrhum vero dari emetica, propter tuſſim opiata, propter acrimoniam humorum epiſpaſtica, propter tenſionem laxantia, denique propter ſequelas morbi ea, quae ad affectus pneumonicos commendantur, et in his etiam inſitionem.

p. 311. 17. *De ſcarlatina.* Videtur haec particula quidem aliunde ſumta velutique operi inſita, ſed leuis momenti eſſe.

p. 312. 18. *De catarrho*, auctore I. NANKIVELL. Meminit catarrhi epidemici, qui a. 1732. et 1733. omnem Europam magnamque Americae partem peragrauit. Ad ſputa mucoſa et purulenta internoſcenda repetit ea, quae *Darwin* ſcripſit, et methodum antiphlogiſticam adhibendam ſuadet.

p. 323. 19. *De phthiſi pulmonali*, auctore I. HALLILAY. Conſtare putat Noſter phthiſin hanc tuſſi, ſputis plerumque purulentis et febre hectica, et comple-
p. 323. xus eſt binis partibus, quarum *prima* agit *de phthi-*

ſeos

seos originibus. Huc refert labem hereditariam, temperiem sanguineam, scrophulas, aetatem mediam, haemoptysin, peripneumoniam et catarrhum, et id genus alia. Ex his concludit, phthisin pulmonum semper esse symptomaticam, saepius scrophulis deberi, certe tuberculis, et ex his vlceratis vlcus fieri, ideoque pus sorptum esse caussam proximam, certissimam vero notam mali praesentis febrem hecticam et prognosin in principio ancipitem, adultam vero immedicabilem.

In P. 11. sistitur *phthiseos pulmonalis curatio*, eaque praeseruatoria continetur crebra sanguinis missione, curatoria vero vlceris sanatione. Symptomatica in alleuamento symptomatum. Laudat ergo Noster vesicantia, subdubitat de aëris fixi, corticis et myrrhae virtute, commendat lichenem Islandicum ad tussim sedandam, diarrhoeam mitigandam et phthisin ipsam minuendam, acidum vero vitrioli, cum opio copulatum, vel alumen ad sudores colliquantes refrenandos.

20. *De gonorrhoea virulenta*, auctore SAM. GRAHAM. Caussa excitans dicitur solus coitus impurus, materia peccans est virus acre quoddam subtile, cetera symptomata repetenda ab inflammatione ad alias partes diffusa, methodus medendi primum antiphlogistica, post roborans. Hic approbatur iniectio mercurii corrosiui diluta, tanquam tuta, reprobatur lixiuium causticum propter dolorem, adstringens quodque, quin etiam oleosa et mucilaginosa, commendatur ad longum stillicidium sine notis inflammationis balsamum copaibae, vel vitriolum album ex aqua solutum, negligendi putantur cerei (Bougies) quia meatum vrinarium dilatare posse videntur, ad vlcera parum vel nihil proficere. p. 339.

21. *De*

p. 350. 21. *De ſynocha vel febre inflammatoria.* Et quoddam ex practico compendio ſupplementum.

Ordo III. Morbi febriles. Hoc ſub ordine memorantur:

p. 352. 1. *De febribus intermittentibus*, auctore IOH. BRANDRETH. Subdubitat Noſter de febribus longiori circuitu redeuntibus et de quotidiana, quia multi clariſſimi medici eam non obſeruarunt vel litteris prodiderunt; credit, tertianam baſin omnium eſſe, quia ſaepius fuit epidemica, quartanam ex hac demum fieri, morbum per ſtadium horroris, caloris et ſudoris perſequitur, in principiis eius admittit contagium, negat lentorem ſanguinis, vt cauſſam proximam, ſed debilitatem, (hanc nuper cauſſam eſſe docuit Cl. GRUNER) ſpaſmum peripericum et cordis arteriarumque actionem auctam contendit hunc efficere. Poſthaec reddit ſigna diſcriminis, quod febres intermittentes et remittentes intercedit, et medendi rationem exacerbationi et remiſſioni accommodat. Laudat ergo pro ceteris opium poſt delirii finem datum, quia eius ope fit caloris mitigatio et perfecta intermiſſio, ſales neutros ſub frigore, inque his ammoniacum ante acceſſionem, purgantia, ſi opus eſt, tandem corticem.

p. 358. 2. *De typho vel febre neruoſa*, auctore GUL. FEARNE. Diſtinguit Noſter tria ſtadia typhi, iam a *Fracaſtorio* deſcripti, quorum primum debilitate ſubita potiſſimum cognoſcitur, et intra octiduum ſpatium continetur, alterum augmento languoris, ſudore frigido et ipſa typhomania ceterisque ſignis malis ſeſe prodit, in tertio ad vltima ventum eſt, interdum ſuperaccedunt putredinis notae. Raro morbus iudicatur, rarius id fit die ſeptimo et decimo. In hoc etiam incidunt tria febris ſtadia, debilitas,

bilitas, frigus et calor. Signa ita diuidit, vt adferat, quae debilitatem magnam indicent in functionibus animalibus et naturalibus, quae putredinem oſtendant, ſingula breuiter explicando. Denique medicationem ſic inſtituendam ſuadet, vt ſpaſmus minuatur, tonus partium reddatur, et putredini reſiſtatur. Id quod vbertim explicatur, ſed nihil ineſt memorabile. p. 383. p. 385.

3. *De febre flaua Indiae occidentalis*, auctore SAM. CURTIN. Praeuia morbi hiſtoria, in qua diſcedit ab SAUVAGESIO et CULLENO, qui hanc febrem ad typhum retulerant, nec hoc certum habet, quia natura febris inflammatoria ſubeſt, hinc eius ſigna ſcribuntur, horror, cui ſuccedit calor vrens, carotidum dolor pulſans, vultus et oculorum rubor, vomitus, linguae flauedo, dein maior debilitas, et maior flauedo, bilis ſuperne et inferne reiecta, tunc pulſus debilior et exilis, excretiones flauae et liuentia exanthemata. Cauſſam huius morbi putat Noſter temperiem ſanguineam, et diſpoſitionem phlogiſticam, ſignum characteriſticum totius corporis flauedinem, explicationem ſymptomatum addit, et methodum medendi ſic ordinat, vt ſpaſmus et diatheſis phlogiſtica tollatur, tonus reſtauretur, et putredini obuiam eatur. p. 401. p. 405.

4. *De febre maligna, quae a.* 1779. *legionem de Buccleugh afflixit*, auctore I. BELL. Erat febris contagioſa, (hinc Noſter praemittit *quaedam de contagione*, quam naſci putat ab effluuiis) eaque ſynochus, ita tamen, vt praecederet ſtatus inflammatorius, deinde putridus, vndecimo die ſequeretur mors, criſis vero mitioribus ſymptomatis ſine vllo augmento ſecretionum, curatio cita et diligenti purgatione, vino rubro, cortice ac calce antimonii nitrata, ad delirium mitigandum, doſi granorum trium ad quinque vſque, binis horis. p. 415

p. 425. 5. *Cautelae de venaesectione in febribus continuis*, auctore GUL. DRENNAN. Insunt regulae non malae, etsi satis notae.

p. 436. 6. *De peste*, auctore BARTHOL. THOMAS. Tota constat ex praeceptis aliorum, methodus medendi vero statuitur et antiphlogistica, et antiseptica, sub *prophylaxi* scribuntur regulae pestilentiae cauendae vel arcendae.

p. 466. 6. *De cynanche gangraenosa*, auctore I. TAILOUR. Solam Noster concedit contagionem, vt causſam, et discrimina bene scribit, cetera, vt omnes e schola Edinburgensi progressi medici.

p. 476. 7. *De dysenteria contagiosa*, auctore ANDR. WARDROP. Contagium defendit Noster, negat vero, fieri ab miasmate paluſtri. Curari morbum dicit auertendo impetum humorum, actionem stimuli temperando, debilitatem tollendo. Sub finem in *nota* addit Cl. Editor, auctorem disputationis hanc dysenteriam in America ortam vidisse ab frigore et madore absque vlla contagione.

p. 491. 8. *De febre miliari.* Debetur haec disputatio Cl. QUIN, medico Dublinensi. Statuit, febrem hanc semper esse synochum, et iure referendam inter idiopathicas, quia non ante annum 1650. comperta est (de hoc vero nos subdubitamus), quia epidemice grassatur, nec vero pertinet ea ad exanthemata, quia eruptionis tempus non satis certum est. Dissuadet ergo Noster venaesectionem, magis probat largiorem vini vsum (habuimus curandum aegrum, qui morti proximus copioso vino miliaria alba et rubra pernicioſa sustulit), commendat vero liberalem aëris admissionem, laxantia et diuretica remedia.

p. 496. 9. *Vrticaria.* Est definitio, repetita ex CULLEN. Gen. Morb.

10. *Pem-*

10. *Pemphigus*) vtraque ſimiliter exinde deſum- p. 496.
11. *Aphtha*) ta eſt.

12. *Addenda. De variola.* Repetitur ex Cl. p. 497
FOWLES diſputatione, mercurium eſſe antidotum variolarum.

De febribus intermittentibus, typho et ſynocho. Repetita ſunt quaedam momenta practica, ex Cl. HOME *Experimentis clinicis*, typis iam vulgatis.

Tomus II. totus verſatur in deſcribendis morbis neruorum et adferendis huc attinentibus libellis. Placet ergo et hic, quam fieri poteſt breuiſſime, Cl. editorem per ſingula ſequi.

Ordo IV. Morbi neruoſi. Siſtuntur hic loci 18. diſſertationes.

1. *De dyſpepſia*, auctore IO. TEMPLE. Defini- p. 1.
tio, vt ſemper, ex CULLENO eſt, hiſtoria morbi non mala, notae valent ad diſcernendam eam ab hypochondriaſi, a chloroſi et ſcirrho pylori (deſunt vero quaedam ſimilia vitia); cauſſa proxima ponitur in ſola ventriculi atonia, cauſſae remotae ſunt, quae vel ipſi ventriculo inſident, vel aliunde veniunt, ſigna mali vero, i. e. ſymptomata, anorexia, nauſea et vomitus, inflatio, ructus et ruminatio, cardialgia, gaſtrodynia et aluus adſtricta, methodus medendi cum remouendis cauſſis, tum roborando ſtomacho continetur.

2. *De hypochondriaſi*, auctore STAN. BAYNES. p. 17.
Definitio CULLENI, quam quidem nos anguſtiorem ſuo definito putamus. Symptomata deſcribuntur ſecundum munia naturalia, vitalia et animalia, (in his plura deſunt) exhibetur *theoria*, ſenſilitati mor p. 19.
boſae ſuperſtructa, item *diagnoſis* ab hyſteria, dyſ p. 23
pepſia et melancholia, cauſſas remotas putat, quae torporem augent, quae corpus vel ventriculum

debilitant, quae circuitum humorum retardant, proximam vero quendam torporem vel debilitatem. Quare

p. 32. per *diſſectiones* comprobare annititur, morbum latere in vaſis viſcerum ventris, ſubdit *rationem ſymptomatum*, et medendi rationem, qua iubemur cauſſas remouere, tonum reſtituere atque irritabilitatem minuere. In medicamentis eminent cortex, amara, ferrum.

p. 44. 3. *De chloroſi*, auctore DIONYS. DORSEY. Cauſſa morbi continens dicitur ventriculi et inteſtinorum atonia, idque ſymptomatum explanatione confirmatur. His aptatur curatio.

p. 60. 4. *De colica*, auctore ELLIS BUTTON METFORD. Cauſſa doloris colici ſpaſmus inteſtinorum eſt. Diagnoſis bene ſcribitur. Methodus auctoris per ſe liquet.

p. 72. 5. *De cholera*, auctore I. LEMAN. Redarguit Noſter *Sauuageſium*, vt moris eſt Edinburgenſ. ex auctoritate praeceptoris, et quasdam ſpecies exulare iubet, relicta ſola ſpontanea, cauſſam continentem nominat bilem (?) negando acidam eius fermentationem, concedendo acrimoniam, ſedem ponit in inteſtinis, cum maxime duodeno, docente id cadauerum ſectione, tandem medicationem includit eiiciendo humori et ſpaſmo ſedando per opium.

p. 89. 6. *De diarrhoea*. Ineſt aliunde deſumta lacinia.

p. 92. 7. *De diabete*, auctore IOS. HART MYERS. Cum CULLENO diabeten ponit Noſter in largiori et longa vrinae profuſione (?) cauſſam proximam triplicem ex CULLENI hypotheſi facit, ita tamen, vt tertiae i. e. ſanguinis conditioni primas det, hisque ſuperſtruat remotas cauſſas, ſymptomata et curationis modum. In remediis etiam legitur tinct. cantharidum.

8. *De*

8. *De hyſteria*, auctore HEN. WOOLLCOMBE. p. 109.
Vterum aegrum eſſe Noſter negat, et morbum ab hypochondriaſi, ſyncope ac epilepſia breuiter diſtinguit, cauſſam proximam in ſpaſmo inteſtinorum quaerit, medicationem ad paroxyſmum eiusque reditum pertinere putat. Medicamenta nota ſunt.

9. *De aſthmate ſpaſmodico*, auctore IAC. MEL- p. 124.
LIAR. Hiſtoria morbi et diuiſio in dyſpnoeam, aſthma et orthopnoeam praeit; ſequitur cauſſa proxima i. e. ſpaſmodica fibrarum muſcularium bronchiorum conſtrictio, traditur medicatio i. e. per venaeſectionem, epiſpaſtica rel. In primis laudatur camphora, aether vitrioli, ſub acceſſione regimen antiphlogiſticum, ad ſenſilitatem amouendam cortex.

10. *De pertuſſi*, auctore G. KIRKLAND. Per- p. 137.
tuſſim Noſter contagioſam ſtatuit, interdum cum febre hectica copulatam, cauſſam in atmoſphaera quaerit, ſed quaenam ſit, ignorat, et curationem ita aggreditur, vt ſymptomata mitiget euacuatione ſanguinis, minus purgatione alui, veſicantibus et demulcentibus, magis moſcho et caſtoreo.

11. *De epilepſia*, auctore PHIL. TURPIN. Cauſ- p. 147.
ſae recenſentur plures ad ductum CULLENI, ſed non omnes, methodus medendi veluti includitur cauſſis vitandis occaſionalibus, et remouendis praedisponentibus, nominantur multa medicamenta, deſunt plura.

12. *De ſpaſmo*, auctore IAC. STEVART. p. 164.
Origines repetit Noſter ab atonia, ergo commendat ſtimulantia.

13. *De paralyſi*, auctore DAV. WARDROBE. p. 185.
Noſter cenſet, contineri omnem paralyſin compreſſione cerebri et actione neruorum diminuta. Remedia ſunt notiſſima, quae adhiberi ſine delectu iubet.

p. 214. 14. *De apoplexia*, auctore THOM. RUDDIMANNO-STEVART. Nihil ineſt memorabile.

p. 238. 15. *De mania*, auctore DAV. STUART. Cauſſam proximam habet quandam cerebri excitationem obſtructam, eique accommodat curationem.

p. 255. 16. *De rabie contagioſa*, auctore CALEB. HILLIER PARRY. Aſſumit Noſter quandam rabiei et variolae ſimilitudinem; vitiumque credit naſci ab ſui generis veneno, in ſyſtematis partem aliquam inſerto, et per 40. dies latere poſſe, antequam prorumpat, actionem vero eius deberi cuidam virtuti narcoticae ſeu ſedanti. Ad *prophylaxin* laudat exſtirpationem partis affectae, ſuperhabendo poſthaec cucurbitas, vel puluerem pyrium, reprobat remedium quoddam domeſticum, i. e. terram abſorbentem, ad *ſanationem* vero laudat mercurium et opium.

p. 281. 17. *De arthritide*, auctore SAM. NICOLT. Deſcribit arthritidem regularem, negat materiam morbificam, ait, eam pendere a temperamento quodam ſingulari, ſed incognito, hinc morbum dicendum affectum inflammatorium, cum vitio neruoſo arcte coniunctum. Hinc auctor eſt, vt caueatur victu tenui, exercitatione, aequali vitae genere, ſalibus alcalinis et amaris medicinis, curetur ſub acceſſione alui ductione, ſanguinis miſſione ac topicis. Sub finem *podagrae regularis* hiſtoria repetitur ex CULLENO.

p. 301. 18. *De rheumatiſmo chronico*, auctore RICARDO COWLING. Cauſſam proximam appellat ſpaſmodicam atoniam fibrarum ex auctoritate CULLENI, huic conſentaneam medicationem ſuadet.

Tomo III. perſecutus eſt Cl. WEBSTER, quae ad abſoluendum ſyſtema medicinae practicae requiri videbantur. Initium facit.

Ordo

Ordo quintus. Morbi hydropici. p. 1.

1. *De hydrope.* Sumta eſt haec commentatio p. 1.
ex diſputationibus velutique conſarcinata BENNETI, SCOTTI et VIZE. Orditur ergo Noſter ab laude vaſorum lymphaticorum, e quorum ſtagnatione ac congeſtione fiunt tandem varia hydropum genera. Explicantur ergo ſpeciatim *anaſarca*, *aſcites*, vbi quaedam dicuntur de dubia fluctuatione p. 2. et grauitate aquae vt ſigno, *hydrothorax*, quem p. 4. ab empyemate ſic diſtinguendum putat, vt in hoc praegreſſa ſit inflammatio et adſit febris hectica, in illo deſit omnino, *hydrorachitis* i. e. ſpina bifida, p. 7. *hydrometra*, vbi quaedam ambigua ſigna hydropis p. 8. et grauiditatis adferuntur, et *hydrocele*. Tunc ſequuntur *cauſſae* et *remedia*. In his nihil noui vel incogniti deprehenditur. p. 9.

2. *De hydrocephalo interno*, auctore CAR. GUL. QUIN. Potiora nominantur ſymptomata, dubia de pulſu citato et tardo, qui ſub inſtante obitu aequalis, frequens et debilis fit, quaedam de morbi anomalia, ſaepius acutos, rarius longos aemulantis. Ponitur cauſſa proxima hydrocephali chronici in aquae congeſtione, in acuto tamen minime, quia hic ſemper illa defuit, vaſorum ſanguineorum turgor adfuit, et continetur curatio medicamentis quibusque deriuantibus, cum maxime mercurio, vel digitali purpurea, vt in notula memoratur. p. 22

Morbi anomali. Huc retulit Noſter quaedam p. 36.
morborum genera, quae alii ſyſtematici cachexiis adſignarunt.

1. *De ſcorbuto*, auctore ED. BRERETON. Di- p. 36.
ſtinguit ſcorbutum incipientem, creſcentem, inueteratum, et putat ſcorbutum terrae, illi, qui maris eſſe dicitur, conſimilem eſſe, cauſſas praediſponentes ſtatuit temperiem melancholicam et debilitatem, occaſionales malum victum et ſecretionum

turbationem, proximam vero quandam putredinem, haemorrhagiam, maculas etc. pendere ab ſale ammoniaco, hisque cauſſis ſuperſtruit medendi rationem. Ad *praeſeruationem* valere putat infuſum hordei confecti et frumenti acidum.

p. 54. 2. *De ſcrophula*, auctore THOM. WESTROP. Sedem collocat Noſter in glandulis lymphaticis vel conglobatis, harumque debilitatem dicit cauſſam proximam, labem hereditariam aſſumit, vitium aggreditur tumores amouendo, et ſyſtema lymphaticum roborando. In illis etiam memoratur electricitas.

p. 72. 3. *De rhachitide*, auctore SAM. MOORE. Congenitus morbus non eſt. Cauſſae quaerendae ſunt in parentibus, nutrice ac ipſo infante, cauſſa proxima eſt laxitas corporis vniuerſi, effectus aqua inter fibras collecta, medicatio abſoluitur abſtergendis primis viis, corpore roborando, deformitatibus corrigendis. In numero medicamentorum collocantur lotio ex aquis aluminoſis et inunctio ex *oleo ſcatinae*, qua febris quaedam diaria excitatur.

p. 85.

p. 88. *Morbi locales*. Hoc in numero fere collocantur cutis vel ſingulorum membrorum vitia.

p. 88. 1. *De vlcuſculis venereis*, auctore SNOWDEN WHITE. Origines mali repetuntur ex America. Notae originis venereae bene diſcernendae iubentur. Vlcuſcula tribuuntur infectioni, per vaſa bibula factae. Curatio recentium fit methodo antiphlogiſtica, mercurio, lotione partium affectarum ex leuiter acribus et mollientibus, curatio excreſcentium reſoluentibus vel cultro, curatio tumorum inguinis inflammatoriorum primum refrigerantibus, deinde, ſi opus eſt, ſuppurantibus, contra oedematoſorum vel durorum eſcharoticis, curatio vlcerum gutturis praeprimis mercurio, quia labes iam affecit omne corpus.

2. *De*

2. *De luis venereae ſtadio confirmato*, auctore p. 101.
P. P. WALSH. Praemittit Noſter quaedam *de morbi propagatione*, vel contactu, vel hereditate. Negat infectionem infantis ab tranſitu genitalium matris, cum nihil tale in abortiuo fetu obſeruetur. *Stadium confirmatum* nominat, quod alii *contagionem ſecundam*, eamque fere praecedit gonorrhoea virulenta, vlcuſcula venerea etc. *Symptomata* reſumit ab Cl. HOME, et diuidit ſecundum *Aſtruc* in *pathognomonica*, *dubia*, *commemoratiua*, mercurio primas dat, ad ſymptomaticam diarrhoeam laudat anodyna copulata mercurio, ad gonorrhoeam reſiduam roborantia, ad dolores nocturnos decoctionem ex cort. rad. Mezerei, praeferente tamen Cl. DUNCAN puluerem corticis ex paucis granis conſtantem et cum pulv. liquiritiae copulatum, ad vlcera mercurium et corticem.

3. *De ſcirrho et carcinomate*, auctore F. HOP- p. 120.
KINS. Cauſſam proximam nominat ſtagnationem humidorum in glandulis. Sanationem efficiendam ſuadet per reſoluentia remedia vel exſtirpationem. Reprobat arſenicum, laudat ex parte cicutam, ſolanum et electricitatem, ſuadet operationem.

4. *De morbis cutaneis*, auctore IOH. DIMSDALE. p. 140.
Damnat acrimoniam cuti infenſam, item communem ſanguinis fontem impurum, ergo et veterem morborum cutaneorum originem. Magis eos repetit ab vitio ſecernentium organorum, a bulbis pilorum obſtructis et ductibus ſebacearum glandularum imperuiis, et curationem ita ordinat, vt interdum topica ſumantur, interdum exſtirpentur partes, vt in tinea euellendis radicitus capillorum bulbis, reprobando alui purgationem, laudando diaphoretica, minerales aquas, prae ceteris antimonium et mercurium, (in not. puluerem Plummeri.)

p. 155. 5. *De ictero*, auctore IOAN. WILLIS. Cauſſam proximam ſtatuit Noſter bilis excretionem impeditam, negando ſecretionis vacationem et bilis in ſanguinem aditum, cauſſas remotas bilem viſcidam, tumores hepatis, calculos et ſpaſmum, et his medendi viam adaptandam cenſet.

p. 168. 6. *De calculo renum et veſicae*, auctore S. LANPHIER. Deſcribit vtrumque calculum, et definitionem addit, quia nullam dari putat. Deinde docet, baſin calculorum i. e. terram perpetuo in vrina detegi, et huc conferre credit lympham effuſam, pus, mucum, tumores. Methodum medendi ſub paroxyſmo iubet fieri antiphlogiſticam, extra eum vero expelli calculum vel lithontripticis, vel ſectione. Statuit ergo vſus experimentis chemicis, alcali cauſticum quidem gaudere vi ſoluente, ſed minime, quando vrinae adiungitur, aquam calcis vivae hanc virtutem non habere, nec ſpernendam omnino eſſe, ſaponem agere, vt medicamenta alcalina, vuam vrſi adſtringendo prodeſſe, aërem fixum vix tranſire vsque ad renes et veſicam, acida, praeſertim vitriolicum, et alcali volatile multum valere in ſoluendis calculis.

p. 185. 7. *De iſchuria veſicali*, auctore ROB. BUCK. Hanc in veram et falſam diuidit. In medicamentis ponit laudanum liquidum, ſcintillas electricas in paralyſi, nec non mercurium.

p. 199. 8. *De vermibus inteſtinorum*, auctore ARTH. BROUGHTON. Praeit deſcriptio vermium; dubitat de origine illorum Noſter, nutrimentum ab
p. 206. alimentis deriuat. Catalepſin a verme factam et viſam narrat. Inter remedia refertur dolichos pruriens L. qui ter profuit, cortex Geofreae inermis, qui Indiae occidentalis incolis in vſu eſt, Spigelia Marylandica, quae ſecundum Cl. HOME multum valet, corallina, et alia dubii euentus ſunt.

9. *De*

9. *De venenis*, auctore G. LOGAN. Diſtinguit p. 214.
Noſter venena localia, humores corrumpentia et nervis infenſa, ſed leuiter percenſet. In not. ſubiecta eſt HARVEY diuiſio in *venena directa* i. e. quae nervos afficiunt, et in *venena indirecta* i. e. quae fabricam partium deſtruendo interimunt.

10. *De amauroſi*. Haec et ſequens particula p. 222.
ex VOGELII praelect. acad. ſumta eſt ad lacunam reſarciendam.

11. *De auditu difficili et ſurditate*. p. 225.

Morbi muliebres. p. 229.

1. *De amenorrhoea*. Tranſcripta eſt ex HARRIS. p. 229.
L. de morb. virgin.

2. *De leucorrhoea*, auctore GE. KEATING. p. 235.
Agit tantum de ſpecie illa, quae a vaſis menſtrua fundentibus proficiſci ſolet, et in vſum vocari iubet adſtringentia vel impetum humorum retardantia. In illis remediis plura ſunt inutilia.

3. *De abortu*, auctore THOM. WAITE. No- p. 241.
mina veterum et ſigna breuiter exponit, cauſſam proximam credit placentae ſolutionem. Methodus curandi nota, nec rei ſatis apta eſt.

4. *De quibusdam puerperarum morbis*, auctore p. 251.
IOS. GIBBONS. Refert Noſter principes poſt partum morbos, animae defectionem, lochiorum profluuium immodicum et dolores ſecundos, momenta potiora memorando.

5. *De febre puerperali*, auctore HEN. SLAUGH- p. 264.
TER. Ponit febrem hanc cum *Hulmio* in omento et inteſtinis laeſis, lochiorum ſuppreſſionem ab febris et alui violentia pendere putat, naturam eryſipelatis defendit contra Cl. HOME, affectionem localem mutato poſt partum humorum circuitui tribuit, hinc fieri congeſtionem ſanguinis et diſpoſitionem phlogiſticam contendit, praeſeruationem et curationem communem ſcribit.

Morbi

p. 273. *Morbi infantiles.* Attulit Cl. WEBSTER vnicum libellum.

1. *De morbis infantum arcendis et curandis*, auctore G. LOGAN. Verſatur primum in explicando infantum veſtitu, victu, exercitatione, aëre, deinde addit quaedam de aphthis et dentitione, ſed plura reſtant, quae ad penitius cognoſcendam infantilium morborum naturam pertinere putanda ſunt.

XV.

Vermiſchte chirurgiſche Schriften, herausgegeben von IOHANN LEBERECHT SCHMUCKER, *Königl. Preuſſiſchen erſten Generalchirurgus. Erſter Band, mit Kupferſtichen, zweyte Auflage. Berlin und Stettin, bey Nicolai* 1785. *in* 8. 352 *Seiten.*

i. e.

Opuſculorum chirurgicorum vairorum collectio. Volumen primum. Editio altera.

Prima editio operis ſub Cl^{i} editoris chirurgi inter Germanos probatiſſimi doctiſſimique auſpiciis editi anno 1776. prodiit, continetque chirurgorum exercitus Regis Boruſſorum obſeruationes varias lectu digniſſimas. Altera haec editio a priori in eo tantum diſcedit, quod errores typographici in priore notati in hac correcti reperiantur. Caeterum cum priore quoad paginarum numerum adeo, aeneasque figuras ex omni parte conuenit.

XVI.

XVI.

Einleitung in die Lehre von den Arzeneyen des Pflanzenreichs von ANDR. IOH. RETZIUS, *aus dem Latein. überſetzt, und mit einigen Anmerkungen verſehen von* IOH. FRIEDR. WESTRUMB.

i. e.

Prolegomena in pharmacologiam regni vegetabilis, auctore ANDR. IO. RETZIO, ex latino ſermone traduct. et nonnullis adnotat. aucta a IO. FR. WESTRUMB. Lipſ. in bibliopolio Müllerіano 1786. 8. p. 84.

Quod primae (Commentar. Vol. XXVI. p. 334—336.) recenſioni huius operis addamus habemus nihil, praeter id, vſum eius adnotationibus Cl. WESTRUMBII tum ex propria locuplete penu ſumtis, tum ex aliis recentioribus ſcriptis diligenter congeſtis non parum fuiſſe auctum; acidum acetoſellae verum eſſe absque nitri acido impetratum ſacchari acidum; olea aetherea multa cubicas deponere aetate cryſtallos, acidum ſacchari aemulantes.

XVII.

Noua phyſico-medica.

Lipſica Iablonowiana Societas in conſeſſu die decimo Auguſti anni MDCCLXXXVI. haec promulgauit: Quum ad quaeſtionem, anno 1785 propoſitam, *quae Hygrometriae hiſtoriam* concernebat, ad calendas Aprilis anni MDCCLXXXVI vna, eaque ſola tractatio, cum ſymbolo: *aër tum fuſus et extenuatus in ſublime fertur* etc. tantum miſſa eſſet: terminum

minum vſque ad exitum anni, quo iam viuimus, prorogauit, iterumque hanc quaeſtionem repetiit.

Exponatur Hygrometriae hiſtoria, a prima eiusdem diſciplinae origine ad haec vſque tempora, ſimulque inſtrumenta indicentur, eaque, quae ad perficiendam hanc diſciplinam etiamnum reſtant, enumerentur.

Deinde quaeſtionem phyſicam, ad annum MDCCLXXXII. propoſitam *), nondum plane reſolutam iterum repetiit: atque denique nouam hanc theſin propoſuit:

Phaenomena electrica ex reciproca actione duarum, ſibi oppoſitarum materierum electricarum, earumque variae relationes ad alia corpora experimentis explicentur et comprobentur, inſimulque haec hypotheſis cum aliis praeſertim cum Franklini ana comparetur.

Inuitantur itaque omnes omnium gentium phyſici, vt ad has tres quaeſtiones commentarios cum Societate communicent, eosdemque ad Cl^um^ Profeſſorem AUGUSTUM GUILIELMUM ERNESTI, qui ſocietati eſt per hunc et ſequentem annum a litteris, ſolutis vectigalibus mittant ante calendas Ianuarii a. MDCCLXXXVIII. Ipſi tractatus ſint oportet conſcripti latino idiomate, adiecto epigrapho, additaque ſchedula ſigillo occluſa, cui nomen Auctoris ſit inſcriptum.

Societas regia *Göttingenſis* ſcientiarum die XV Iulii anni MDCCLXXXVI. in conuentu publico, quem Celſiſſimi principes ERNESTUS AUGUSTUS FRIDERICUS, et ADOLPHUS FRIDERICUS, filii ſereniſſimi Regis Anglorum GEORGII III. praeſentia ſua condecorarunt, habitis praelectionibus

*) Vid. comm. noſtr. Vol. XXV. p. 169.

bus haec, quae noſtrum inſtitutum concernant, propoſuit. Ex ſeptem cum ſocietate ad quaeſtionem de conſtruendis ſanitati conuenienter pagis communicatis tractatubus, illum optimum cenſuit, praemioque ornauit, cui ſymbolum adiectum erat hoc: *Lorſque l'on veut changer les moeurs etc.* aperta ſchedula auctor NICOLAUS BECKMANN, Praefectus primarius piſcinarum Harburgi, Membrum ſocietatis oeconomicae Brunſuicenſis, et ſocietati Göttingenſi litterarum commercio iunctus, publice renuntiabatur. Alius commentarius cum ſymbolo, *Laſſet uns wirken, weil es Tag iſt*, acceſſoria laude praedicata eſt, ſocietas autem nominis recognitionem non, niſi conſentiente Auctore, ſuſcipiet.

Quaeſtiones denuo propoſitae omnes plane oeconomici ſunt argumenti, ideoque ab inſtituto horum commentariorum alienae.

In conſeſſu ordinis Medicorum Pariſini publico, die 29 Decembr. 1785. habito, diiudicati ſunt tractatus conſcripti ſuper quatuor quaeſtionibus anno 1783 propoſitis: 1) declarare, quae ſint rachitidis cauſae, ſigna atque curatio; 2) exponere hiſtoriam variarum conuulſionum infantes vexantium; 3) deſcribere medullae morbos; 4) conſtituere certos characteres diuerſarum aſphyxiae ſpecierum atque remedia commemorare ſingulis ſpeciebus accommodata. Sed tractatuum illorum nullus dignus haberi potuit, qui praemio promiſſo ornaretur. Duo tamen eorum laudem ordinis tulerunt: vnus ſuper medullae morbis ſcriptus a medicinae doctore, MOIGNON, in quem virum ordini placuit conferre monetam auream, incitamenti gratia; alter conuulſiones tractans, conſignatus a medicinae doctore, BAUMES, qui itidem, vt ad ſpecimen praeſtantius exhiben-

bendum concitaretur, ab ordine duas monetas aureas accepit.

Eodem in conſeſſu tres quaeſtiones propoſitae ſunt. Prima ſpectat icterum recens natorum Expetit ordo claram huius morbi deſcriptionem, atque vult, vt definiatur, quibus conditionibus iſto in morbo ſit ad artem medicorum confugiendum, ac quibus ſit auxilium ab ipſa natura exſpectandum. Moneta aurea in optimum libellum conferetur in proximo conſeſſu. Mittendi ſunt tractatus ante initium menſis Maii 1786.

Altera quaeſtio, grauior illa ac ſolutu difficilior, ſpectat hiſtoriam morbi, quo meſenterium infantum fere afficitur, *carreau* a Gallis dicti. Debebunt viri docti ad eam ſoluendam animum appellentes ordiri ab ipſo morbi initio, attendere ad gradus, per quos morbus pergit, anquirere ipſius cauſas, diſtincte declarare et prophylaxin et medelam. Praemium aequabit 200 libras Gallicas.

Tertia denique quaeſtio ſpectat medullae morbos: quod quidem argumentum, vtut iam antea virorum doctorum ſtudiis ab ordine Pariſino commendatum, tamen hucusque non ita tractatum fuit, vt non neceſſe habeat ordo denuo hanc quaeſtionem mouere. Quae in altera quaeſtione monita ſunt, eadem hic ordo repetit. Praemium erit 300 librarum gallicarum.

Libelli ſuper ſecunda et tertia quaeſtione ſcripti mittentur ante initium menſis Aprilis 1787, ad Decanum Ordinis medici, atque in conſeſſu publico eiusdem anni diiudicabuntur. Societas regia ſcientiarum Montiſpelienſis praemium 300 librarum Gallicarum dicauit optimae huius quaeſtionis ſolutioni: experimentis ſimplicibus certi que declarare, quae ſit cauſa frigoris liquoribus euaporantibus naſcentis, quatenusque iſta cauſa conueniat cum cauſa

ſa refrigerationis factae ope tranſpirationis copioſae in ſtatu corporis tum ſano tum morboſo, (*démontrer par des expériences ſimples et déciſives la cauſe du froid, que les liqueurs produiſent en s'évaporant, et le rapport de cette cauſe à celle du rafraîchiſſement, qu'une abondante tranſpiration procure, ſoit dans l'état de ſanté, ſoit dans l'état de maladie.*)

Tractatus mittendi ſunt ante initium menſis Nouembr. 1786., ad ſecretarium ſociet. perpet. DE RATTE.

Societas regia medica *Pariſina* die ſeptimo Martii, anni MDCCLXXXVI, congreſſa, primum ad quaeſtiones propoſitas praemia diſtribuit: 1) ad quaeſtionem, quae *atram bilem* veterum concernebat *) duos tractatus, qui praemio ornarentur, diſtinxit, ideoque praemii valorem partita eſt, dimidiamque eius partem 300 librarum pretio tribuit Cl° MEZLER, M. D. et phyſico vrbis Gengembach, alteram dimidiam decreuit Cl° IEUNET, M. D. 2) quaeſtionem *morborum neruoſorum naturam ſpectantem* **) cum diligenter, docte et perſpicue ſoluiſſet Cl. IOAN. PETERSEN MICHELL, M. D. Societatis Traiectinae ſocius, is praemio 600 librarum ornatus eſt. Praemium acceſſorium obtinuit Cl. MOUBLET GRAS. 3) praemium, quaeſtioni de *cauſis ad calculos diſponentibus* ***) propoſitum, datum eſt Cl° IACQUINELLE. 4) quaeſtionem *de conſeruanda ſanitate militum* †) optime ſoluerunt et Cl. CRAISINE, medicus noſocomii militaris Lillienſis, et Cl. PARTY, chirurgus noſocomii militaris Breſten-

*) Vid. comm. noſtr. Vol. XXV. p. 718.
**) Vid. comm. noſtr. Vol. XXVI. p. 176.
***) Vid. ib. p. 177. *) Vid. ib. p. 176.

ſtenſis: igitur praemium 600 librarum eſt inter vtrumque diuiſum.

Praeterea ſocietati reſtat ſumma 2800 librarum, quam diſtribuet in conſeſſu publico, menſe Auguſti huius anni habendo, inter eos, qui obſeruationes ſuper epidemiis hominum et animalium cum ſocietate communicauerint. Iam ornauit moneta aurea 100 librarum Cl^um CHAPTAL, qui obſeruationes practicas ſubiuncta hiſtoria epidemiarum, et variolarum circa Montem peſſulanum ab anno 1746. vſque ad 1770 graſſatarum, cum ſocietate communicauit. Sic quoque topographias medicas Cl. PICARD et TERREDE praemiis ornauit.

His a Cl° VICQ D'AZYR, qui ſocietati eſt a litteris, edictis propoſitae ſunt denuo quaeſtiones, quarum prima *morbos ſyſtematis lymphatici* reſpicit. Quaerit nempe ſocietas, quinam morbi in ſyſtemate lymphatico reſideant, i. e. in quibus glandulae, vaſa lymphatica eorumque fluidum ſint affecta; quibusnam ſymptomatibus ſe diſtinguant, et quanam methodo curandi ſint? (*rechercher, quelles ſont les maladies dont le ſyſteme des vaiſſeaux lymphatiques eſt le ſiége immediat, c'eſt à dire, dans lesquelles les glandes, les vaiſſeaux lymphatiques et le fluide, qu'ils contiennent ſont eſſentiellement affectés; quels ſont les ſymptômes qui les caractériſent et les indications générales qu'elles offrent à remplir.*)

Auctores, qui ad hanc quaeſtionem enodandam animum aduertant, reſpiciant potiſſimum omnia hactenus tradita anatomica obſeruata, ſyſtematisque lymphatici expoſitionem, atque huius cognitionem ad morbos applicent, vt inde eorum natura, atque influxus eorundem in alias naturales functiones clare exponatur. Praemium eſt moneta aurea, 600 librarum pretio; commentarii mittantur ante calendas Ianuarii anni MDCCLXXXIX.

Altera

Altera quaeſtio *aphthas* neonatorum attinet. Inquirantur nempe cauſae morbi aphthoſi, eiusdemque variorum graduum, quibus infantes ſunt obnoxii, praeſertim cum in noſocomiis plures iunctim habitent, a primo vſque ad quartum poſt natiuitatem menſem: quaenam ſunt eorum ſymptomata, natura, et qua denique iis praecauendum et medendum eſt methodo? (*Rechercher quelles ſont les cauſes de la maladie aphtheuſe, connue ſous les noms de Muguet, Millet, Blanchet, à la quelle les enfans ſont ſujets, ſur-tout lorſqu'ils ſont reunis dans les hôpitaux, dépuis le premier juſqu'au troiſiéme ou quatriéme mois de leur naiſſance; quels en ſont les ſymptômes, quelle en eſt la nature, et quel doit en être le traitement, ſoit préſervatif, ſoit curatif?*)

Etenim duplici modo hic occurrit morbus, vel in noſocomiis, vbi contagioſus eſt et funeſtus, vel ruri, tumque infantes infeſtat, qui in noſocomiis eodem infecti ſunt prius, quam nutricibus tradebantur. Commendat ſocietas hoc de morbo iam ſcriptos tractatus Cl. COLOMBIER et DOUBLET, quorum prior commentariis Societatis medicae anni MDCCLXXIX. pag. 181. poſterior Diario medico, menſ. Maii. 1785. p. 181. inſerti ſunt, quos conſulant qui hanc quaeſtionem explicare velint.

Praemium 600 librarum anno MDCCLXXXVII diſtribuetur: commentarii ante calendas Maii eiusdem anni mittantur.

Tertia quaeſtio *ſcrophulas* reſpicit: Determinentur cauſſae et diſpoſitio, quae vitio ſcrophuloſo maxime faueant, inquiranturque remedia vel diaetetica, vel medicinalia, eius progreſſum retardandi, duritiemque diminuendi, morbisque ſecundariis occurrendi, quorum hic morbus cauſſa fieri poteſt. (*Determiner quelles ſont les circonſtances les plus favorables au developpement du vice ſcrophuleux*

et rechercher quels ſont les moyens, ſoit diétetiques, ſoit medicinaux, d'en retarder les progrès, d'en diminuer l'intenſité, et de prevenir les maladies ſecondaires dont ce vice peut être la cauſe.)

Quum natura acrimoniae ſcrophuloſae nondum ſit ſatis cognita, morbusque ſaepe haereditarius infantes inuadat, ſaepeque cum rachitide ſit coniunctus, atque praeterea frequentior ſit, rapidiusque euoluatur in magnarum vrbium incolis, morbisque ſecundariis locum faciat, quorum cauſa eſt obſtructio glandularum pectoris abdominisque: optat ſocietas, vt, qui ad hanc quaeſtionem concurrant, huc potiſſimum animum aduertant.

Praemium, 600 librarum, in conſeſſu vernali, anni MDCCLXXXVIII. decernetur optimo tractatui, qui ſinguli ante calendas Ianuarii miſſi ſint oportet.

Quarta quaeſtio haec eſt: Indicentur et praecautiones, quae, reſpectu temperiei et climatis, obſeruandae ſint ad conſeruandam ſanitatem cohortis militum hieme finiente, atque in primis expeditionum menſibus; et morbi, quibus hoc tempore milites maxime ſint obnoxii, quibus denique remediis morbis his mederi et praecauere debeant medici. (*Determiner quelles ſont, relativement à la température de la ſaiſon, et à la nature du climat, les précautions à prendre pour conſerver la ſanté d'une armée vers la fin de l'hiver, et dans les prémiers mois de la campagne; à quelles maladies les troupes ſont le plus expoſées à cette époque, et quels ſont les meilleurs moyens de traiter et de prevenir ces maladies?*)

Praemium diſtribuetur 1787, commentariique mittantur ante calendas Maii, eiusdem anni.

Caeterum deſcriptiones et obſeruationes de epidemiis, vt et topographias medicas et in poſterum optat ſocietas, ſperatque, vt ii, qui litterarum commer-

mercio eidem iuncti ſint, illas ad eam mittant, tum quoque obſeruationes meteorologicas, ſuper aquis mineralibus et medicatis, morbis artificum, et animantium brutorum inſtitutas ſecum communicent.

Eadem ſocietas in conuentu die XXVI Auguſti praemium quaeſtioni *de relatione inter morbos hepatis et cutaneos* *) propoſitum, ita diſtribuit, vt Cl. RUIOLI, M. D. ſocietatique Caſtrenſi litterarum commercio iuncti, tractatus moneta aurea, 400 librarum valore, coronaretur, Clariſſimus autem RAMEL filius, M. D. et ſocietati Aboinenſi litterarum commercio iunctus, monetam auream 200 librarum acciperet. Praemium acceſſorium 100 librarum pretio tributum eſt diſſertationi, a Cl. BONTE' ad ſocietatem miſſa.

Cum ad quaeſtionem *de lactis variorum animalium natura* nondum reſponſio numeris ſuis abſoluta ad ſocietatem miſſa ſit, eandem quaeſtionem in anni MDCCLXXXVIII. feſtum Paſchale diſtulit praemiumque optimo hac de re tractatui duplum 1200 librarum decreuit. Commentarii vſque ad calendas Ianuarii anni modo dicti mittantur ad Cl. VICQ D'AZYR, qui ſocietati eſt a litteris.

Quaeſtionem a facultate medica *Pariſina* propoſitam, quae icteri neonatorum deſcriptionem, et diſcrimen earum rerum quae artis auxilium neceſſarium reddant, vel quae, cuncta a naturae vi exſpectanda eſſe indicant, attinebat, ex iudicio facultatis optime reſoluit Cl. BAUMES, medicus practicus Nismienſis, isque praemio eſt condecoratus, quod acceſſorium Cl. BERTRAND obtinuit.

*) Vid. comm. noſtr. Vol. XXV. p. 340.

Regia ſcientiarum academia *Pariſina* in conſeſſu paſchali quaeſtiones *neruum intercoſtalem in homine et in animalibus* attinentes, cum ſufficiens eorundem deſcriptio non eidem oblata eſſet, in annum MDCCLXXXVIII. iterum propoſuit.

In academia Diuionenſi Cl. MORVEAU, Cancellarius Academiae, in locum b. MARET ſucceſſit, vicesque Secretarii perpetui ſuſcepit; Cl. CHAUSSIER chemiae Profeſſor ſecundarius et Cl. MASUYER Profeſſor tertius eiusdem diſciplinae nominatus eſt.

Munus Profeſſoris Phyſices ordinarium in vniverſitate Lipſica, quo b. FUNCCIUS, dum viueret, fungebatur, in *Ampl.* HINDENBURG, virum ſcientia et ampla longe clariſſimum, delatum eſt.

Paullo poſt Sereniſſimus Haſſorum Princeps, GUILIELMUS, cui fauſtiſſima ſors gentis ſuae curae cordique eſt, quique ideo quaecunque in diſciplinarum vtilium augmentum quidquam conferre poſſunt ſuis terris proſpicit, in *Marburgenſi* academia nouam Scientiae cameralis et Oeconomiae Profeſſionem ordinariam fundauit, atque ad eandem auſpicandam vocauit NATHANAELEM GODOFREDUM LESKE, Profeſſorem hiſtoriae naturalis et Oeconomiae Lipſienſem, cuius cura per aliquod inde tempus hi commentarii editi et continuati ſunt. Qui quidem oblatam ſibi prouinciam quum acceperit, proxime hinc illuc profecturus eſt. Promiſit autem, mutato licet habitationis loco, ſe in edendis his commentariis eadem ſollertia, quin imo maiori feruore, verſaturum eſſe, ſi modo, quemadmodum pollicit ſunt collegae et collaboratores, iidem ſtrenuo labore ſe adiuuare perrexerint. Etenim non Lipſici ſolum viri docti recenſendis his commentariis iam operam dant, ſed, quod in honorem inſtituti renuntiare licet, per vniver-

versam Germaniam fere distributa societas, virorum scientia, arte, et experientia celeberrimorum, vnitis viribus hanc physico-medicam supellectilem et thesaurum in postera tempora conseruare annititur. Rogamus igitur omnes, quorum interest, vt, quae cum orbe medico-physico litterario communicata fieri cupiunt, mittantur nunc *Marburgum* ad operis huius editorem LESKE, vel, si commodior via fuerit Lipsiam, litteris ad EUNDEM datis, in bibliopolium IO. GOD. MÜLLERIANUM.

Societas regia medica Parisina in numerum exterorum sociorum recepit Cl^um GRUNERUM, Consiliarium aulicum et Professorem Ienensem et Professorem LESKE.

Mortui sunt.

Sub initium anni MDCCLXXXV. XAVERIUS MANETTI, Medicus collegii regii *Florentini*, Professor medicinae et botanices, Inspector horti regii botanici, Secretarius et Director Societatis botanicae Florentinae, sub initium anni MDCCLXXXV. Florentiae. Eius scripta sunt 1) *Catalogus plantarum nonnullarum horti Academiae physico-botanicae Florentinae* 1747. 2) *Viridarium Florentinum*, siue conspectus plantarum, quae floruerunt et semina dederunt anno 1750. 1751. 8. 3) CAROLI LINNEI *regnum vegetabile*, iuxta systema naturae in classes, ordines et genera etc. 1757. 4°. 4) *Trattato dell' inoculatione del vajuolo.* 1761. 4. 5) *Lettera che può seruire di supplemento al suo trattato sull' inoculatione del vajuolo.* 1762. 4. 6) *Delle specie diverse di frumento e di pane siccome della panizzazione, e parte chi, in occasione di carestia, possono panizzare* 1765. 4. 7) *Ornithologia methodice digesta.* Tomus V. 1775. *fol.* 8) *Discours relatif à l'histoire naturelle.*

Die VI. Ianuarii anni 1786 Madriti Cl. PETRUS FRANCISCUS DAVILA, Director primarius musei

regii, membrum Hiſpanicae hiſtoricae et Berolinenſis academiae, vti quoque Societatis, antiquitatum inquiſitioni dicatae, quae Caſſellis floret, Phyſicus doctus et celebris.

Menſe Septembre huius, quo viuimus, anni, Celeberrimus GLEDITSCH, membrum academiae ſcientiarum et humaniorum litterarum Berolinenſis, anno aetatis LXXIII. Merita eius in re herbaria et foreſtali ſemper ſunt duratura.

XVI.

Continuatio Indicis librorum phyſico-medicorum, qui anno 1782 prodierunt.

P. T. NAVIERS *Gegengifte des Arſeniks, ätzenden Sublimats, Grünſpans, und Bleyes; nebſt 3. Abhandlungen unter der Aufſchrift.* 1) *Mediziniſche Forſchungen über verſchiedene Mittel, das Queckſilber aufzulöſen, u. ſ. w.* 2) *Erörterung verſchiedener Mittel, das Queckſilber mit dem Eiſen zu verbinden u. ſ. w.* 3) *Neue Wahrnehmung über den Aether u. ſ. w. A. d. Franz. mit Anmerk. v. D.* L. E. WEIGEL. *Zweiter B.* 4 (vid. c. n. dec. III. ſ. 4. p. 615.)

An Introduction to Natural Philoſophy. Illuſtrated with Copper-Plates. By W. NICHOLSON. 2 vols. London. 8.

Avis ſur l'electricité conſiderée comme rèméde dans certaines maladies. par M. NICOLAS D. M. A Nancy 1782.

D. ERNST. ANTON. NICOLAI *Pathologie. Zweiter Band. Halle.* 8. (vid. c. n. dec. III. ſuppl. p. 22.)

C. C. OELHAFENS *von* SCHELLENBACH *Abbildung der wilden Bäume, Stauden und Buſchgewächſe. 1ten Theils 8te Ausgabe bis Tab. 28 mit illum. K. Nürnberg.* 8.

I. M.

I. M. OESTERREICHER analyſes aquarum Budenſium praemiſſa methodo examinandi aquas Cl. Prof. WINTERL. Viennae. 8. (vid. c. n. Vol. XXV. p. 438.)

Variétés, ou nouveaux Melanges hiſtoriques, critiques, de phyſique, de litterature et de poeſie: par M. le Marquis D'ORBESSAN. Paris. 8.

Voyage autour du Monde, et vers les deux Poles, par terre et par mer, pendant les années 1767-1775. Par M. DE PAGES. 2. Vol. avec des Cartes. Paris. 8.

Icones Inſectorum praeſertim Roſſiae Sibiriaeque peculiarium, quae collegit deſcripſit P. S. PALLAS. Erlang. 4.

Diſſertazioni mediche intorno a diverſe malattie delle Donne. T. I. di A. PASTA. Napoli. 8.

Ragionamento ſopra gli Sgravii del parto, e ſopra il Rattenimento, e l'Eſtrazione della Secondina, di A. PASTA. Napoli. 8.

Sopra i meſtrui delle Donne. Di A. PASTA. Napoli. 8.

G. PATON de typho grauiori petechiali. Edinburg. 8.

Pharmacopoea nationalis denuo correcta et aucta; edidit IAC. PHIL. PIDERIT. *Caſſel.* 8. (vid. c. n. XXVI. p. 135.)

Hiſtory of Quadrupeds. By PENNANT. 2 Vols. London. 4.

A Iourney from Cheſter to London. By *the ſame.* London. 8.

Caſes in Midwifery; with References Quotations and Remarks. By WILL. PERFECT. Vol. I. Rocheſterand. London. 8.

Diſſertation Anatomico-Acouſtique ſur l'Art d'apprendre à parler aux ſourds et muets de naiſſance. Par M. PERROLLE D. M. Paris. 8.

I. C. PFENNIGS *Anleitung zur Kenntniß der phyſikal. Erdbeſchreibung. Neue Auflage. Stettin und Berlin.* 8.

I. H. PFINGSTENS *Bibliothek ausländiſcher Chemiſten, Mineralogen und mit Mineralien beſchäftigter Fabrikanten. 2ter Band. Nürnberg.* 8.

Magazin für Pharmazie, Botanik und Materia Medika. Von I. H. PFINGSTEN *1ſter und 2ter Band. Halle.* 8.

M. VON PHELSUM *pathol. Geſchichte der Springwürmer, herausgeg. von Ioh. Weiſe, mit 1 Kupfert. Gotha.* 8.

Detail des ſuccès de l'etabliſſement, que la Ville de Paris a fait, en faveur des perſonnes noyées etc. Septieme Partie. Années 1779, 80, 81. Par M. PIA. Paris. 8.

Moyens de préſerver les edifices d'incendies et d'empécher les progrès des flammes, par Mr. PIROX. Strasbourg. gr. 8.

Memoire ſur l'art de mollifier et purifier les fers, Découverte du Sieur DE LA PLACE.

I. I. PLANER's *Beobachtungen der Veränderungen der Witterung und der Luft in Erfurt vom Jahre* 1781. *Erfurt.* 4.

I. C. PLANK de oſteoſarcoſi commentatio cum tab. aen. Tubingae. 4.

D. A. G. PLAZ progr. de medicina ſupra iurisprudentiam aeſtimanda. Lipſ. 4.

I. I. PLENKS *Anfangsgründe der gerichtl. Arzneykunſt und Wundarzneykunſt, aus dem Latein. durch* F. A. *von* WASSERBERG. *Wien.* 8.

Des PLINIUS *Naturgeſchichte überſetzt von* G. GROSE. *2ter B. Frankf. am M.* 8.

Hiſtoire naturelle de PLINE traduite en françois, avec le texte latin, retablie d'après les meilleures leçons manuſcrites, accompagnée de notes

notes critiques pour l'eclairciſſement du texte, et d'obſervations ſur les connoiſſances des anciens, comparées avec les decouvertes des modernes. T. XI. XII. Paris. 8.

PLOUQUET diſſ. inaug. Noua pulmonum δοκιμασία. Tubing. 4.

BERNARDI NICOLAI PLUVINET, tentamen chemicum de fermentatione ſpirituoſa et acetoſa, harumque productis. Monſpel. 4.

Del Mondo creato giuſta la Storia di Moſè in confronto de'nuovi Siſtematori Lettere filoſofiche ſcritte da GIORGIO BARTOLOMEO PODESTA. Venezia. 8.

Traité des affections vaporeuſes des deux ſexes ou maladies nerveuſes, vulgairement appellées Maux de nerfs. Par M. POMME, D. M. Nouvelle Edition. à Paris. 4.

Traité de l'Apoplexiae, et de ſes differentes eſpéces, avec une nouvelle méthode curative, dont l'utilité eſt prouvée par l'experience, etc. par M. G. B. PONSART. à Paris. 8.

PORTALS *Bemerkungen über die Natur und Heilung der Wuth vom Biſſe toller Thiere, aus dem Franz. Leipzig.* 8.

Farther Remarks on the uſeleſs State of the lower limbs, in Conſequence of a Curvature of the Spine: being a ſupplement to a former Treatiſe on that ſubject. By PERCIVALL POTT. London. 8.

Des élémens, ou Eſſai ſur la nature, les propriétés, les effets, et l'utilité de l'air, de l'eau, du feu et de la terre 1782. T. I. II. par Mr. IUL. HENR. POTT. à Lauſanne. 8.

Traité des dartres. Par M. POUPART. 12. à Paris.

Heel-

Heelkundige Mengelwerken, door CLAUDIUS POUTEAU vertald, en met Anmerkingen vermerdert, door P. M. NIELEN. Tweede Stuck. Te Utrecht, gr. 8.

I. F. PRANGENS *Farbenlexikon. Nebſt* 48 *illum. K. Halle.* 4.

I. H. PRATIENS *Anleitung zur Anlegung, Wartung und Erhaltung eines Obſtgartens. M. K. Göttingen.* 8.

An Account of Some experiments on mercury, ſilver and gold, made at Guilford in May 1782. By IOHN PRICE. Oxford. 4. (vid. c. n. Vol. XXVI. p. 407.)

PRIESTLEY Expériences et Obſervations ſur différentes branches de la Phyſique, avec une continuation des Obſervations ſur l'air, traduit par Mr. Gibelin. in 12. 2 Vol. fig.

Pharmacopoeia officinalis et Extemporanea. The 15 Edition. By IOHN QUINCY, M. D. T Longman. London. 8.

Gemeinnütziges mediciniſches Magazin. Herausgegeben von D. I. H. RAHN. *Zürich.* 8. (vid. c. n. Vol. XXVI. p. 423.)

Traité de la Phthiſie pulmonaire par M. ROULIN. 2 Vols. 8.

D. IOS. REHMANNS *Unterricht für Wundärzte, wie ſie die von tollen Hunden und andern Thieren beſchädigten behandeln ſollen. Tübingen.* 8.

D. I. I. REICHARDS *mediciniſches Wochenblatt. Des* 11*ten Iahrgangs* 2*tes* — 4*tes Quartal. Frankf. am M.* 8.

EIUSDEM ſylloge opuſculorum botanicorum. Ibid. 8.

EIUSDEM enumeratio ſtirpium horti botanici Senckenbergiani, qui Francoforti ad M. eſt. Ibid. 8.

An

An Eſſay on the Nature and Cure of the Phthiſis Pulmonalis. By T. REID. M. D. London. 8.

I. C. REIL diſſ. inaug. de polycholia. Halae. 4.

IO. GOTTFR. REIMANN praecipua experimenta de effectibus putredinis in pulmones infantum ante et poſt partum mortuorum, ſubiunctis nouis quibusdam experimentis circa pulmones infantum, ante partum mortuorum inſtitutis. Diſp. Francof. ad Viadr. 4.

Nachricht von einem Erdbruche, welcher ſich im Hochſtifte Osnabrück ereignet hat; als ein Beytrag zur Naturgeſch. herausgegeben von D. C. L. REINHOLD. *2te Auflage. Münſter und Osnabrück.* 8.

A Treatiſe on de Venereal Diſeaſe. By G. RENNY. London. 8.

A. CH. REUSS *Beſchreibung eines neuen chemiſchen Ofens, nebſt 3 Kupfert. Leipz.* 8. (vid. c. n. Vol. XXVI. p. 600.)

A. G. RICHTERS *Anfangsgründe der Wundarzneykunſt. 1ſter B. M.* 8. *K. Göttingen.* 8.

DESSELB. *chirurgiſche Bibliothek. 6ten B. 1tes und 2tes Stück. Ebendaſ.* 8.

Förſök till lärnets Hiſtoria, med Tillämpning för Slögder och handtwerk, författadt af SWEN RINMAN. *Stockholm.* 4.

De la nature et de l'homme piece qui a été lue dans une Seance de l'Academie Francoiſe et qui a concourru pour le prix de 1782. Par Mr. LE CHEVALIER DE RIVAROL. à Paris. 8.

Nouveau voyage dans l'Amerique ſeptentr. en 1781. Et Campagne de l'armée de M. LE C. ROCHAMBEAU, par M. l'abbé ROBINA. à Paris. 8.

RÖSSIG *Verſuch einer pragmatiſchen Geſchichte der Oekonomie, Polizey und Cammeralwiſſenſchaft. 2ter Th. Leipzig.* 8.

Memoire

Memoire ſur les polypiers de mer, par I. E. ROQUES DE MAUMONT — Zelle. 8. av. fig.

Beyträge zu Verfertigung, wiſſenſchaftl. Kenntniß und Gebrauche meteorol. Werkzeuge, 1 *Band. Von* G. E. ROSENTHAL. *Gotha.* 8.

A. W. ROTHS *Beiträge zur Botanik. 1ſter Theil. Bremen.* 8.

An Introduction to Natural Philoſophy. Illuſtrated with Copper-Plates. By W. NICHOLSON. 2 vols. London. 8.

Obſervations on the Prognoſtic in Acute Diſeaſes. By CHARLES LE ROY. M. D. F. R. S. Regius Profeſſor of Phyſic in the Univerſity of Montpellier, and member of the royal ſociety of Phyſicians at Paris. Translated from the french. With Notes. London. 8.

Cours complet d'agriculture théorique; pratique économique et de medicine rurale et vétérinoire, ſuivi d'une méthode pour étudier l'agriculture par principes, ou Dictionnaire univerſel d'agriculture, par une ſociété d'agriculteurs, et rédigé par M. l'abbé ROZIER, T. I. II. 4. enrichis de planches en taille douce. à Paris. 8.

Iournal de Phyſique par l'Abbé ROZIER. 4to. Paris.

A letter to the commiſſioners for Sick and Wounded Seamen, etc. relative to the Means of Preventing and Curing the Scurvy on board of his Maieſty's Ship. By IAMES RYMER, Surgeon of the Royal Navy. 8.

F. I. S. *Altes und Neues, oder deſſen litterariſche Reiſe durch Siebenbürgen, den Temeswarer Bannat, Ungarn,*

Ungarn, Oeſtreich, Bayern, Schwaben, Schweiz und Elſaß in drey Sendſchreiben an Hrn. Prediger Theodor Lange zu Kronſtadt in Siebenbürgen. 8. 11 B.

F. W. SACK *die Sündfluth mit forſchendem Auge betrachtet, zu Aufklärung der Naturgeſchichte. M.* 5 *K. und* 1 *Karte. Breslau.* 8.

DESSELBEN *Betrachtung über die Sonnenwelt. Ebendaſ.* 8.

I. B. SAGAR *Abhandl. von den wahren Kenuzeichen der Hornviehſeuche, Wien.* 8.

LE SAGE *Kunſt, Gold und Silber zu probieren. Aus dem Franzöſ. Reval und Leipz.* 8.

Memoire ſur l'inoculation de la Peſte avec la deſcription de trois poudres fumigatiues antipeſtilentielles. P. M. D. SAMOILOWIZ. Strasbourg. 8.

SAMUEL SANDELS Tal om förhällandel af Varors in — och ut förſel til och ifrän Sverige i ſärſkilda tid — hvarf. Stockholm hos Lange 8.

Short Strictures on the Method of Treatment recommended by Dr. DAWSON, in the Acute Rheumatiſm. By TH. SANDEN, M. D. London. 12.

H. SANDER *über die Kunſtſprache der Naturforſcher. Baſel.* 8.

DESSELB. *ökonomiſche Naturgeſchichte.* 2 *Theile. Leipzig.* 8.

DESSELB. *über das Groſſe und Schöne in der Natur.* 3*tes Stück. Leipzig.* 8.

Reliqua proxime.

Con-

Contenta in hac parte.

I. Kongl. Vetenſkaps Academiens nya Handlingar Tom. VI 387
II. Diſſertationes medicae Edinburgenſes 1782. 1783. 1784. 397
III. Diſſertation ſur l'importance des evacuans dans la cure des playes récentes par M. LOMBARD. 433
IV. Diſſertation ſur l'utilité des evacuans dans la cure des tumeurs etc. par *le même.* 434
V. Iournal de medecine etc. T. LXI. LXII. 442
VI. PICHLER methodus formulas medicas conſcribendi. 456
VII. OPPIANI poëmata edidit DE BALLU. 464
VIII. AUR. CORN. CELSI medicinae libri octo ex recenſione LEONH. TARGAE etc. 484
IX. SCRIB. LARGI compoſitiones medicamentorum. 494
X. QUINTI SERENI de medicina praecepta. 499
XI. De ANTONIO MUSA libris proluſio auctore IO. CHR. GOTTL. ACKERMAN. 501
XII. IOAN. ANDR. MURRAY de materia arthritica adverenda aberrante diſquiſitio. 505
XIII. Philoſoph. Tranſact. Vol. LXXII. for 1782. 510
XIV. Medicinae praxeos ſyſtema curante CAROLO WEBSTER. 519
XV. *Vermiſchte chirurgiſche Schriften von* IOH. LEBER. SCHMUCKER. *2te Auflage.* 540
XVI. *Einleitung in die Lehre v. d. Arzneyen des Pflanzenreichs von* RETZIUS *überſetzt durch* IOH. FR. WESTRUMB. 541
XVII. Noua phyſico-medica. ib.
XVIII. Continuatio ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno MDCCLXXXII. prodierunt. 552

COMMENTARII DE REBVS IN SCIENTIA NATVRALI ET MEDICINA GESTIS.



VOLVMINIS XXVIII. PARS IV.

LIPSIAE, MDCCLXXXVI.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Londini apud Pr. Elmsly, Edinburgi apud Elph. Balfour, Lugd. Bat. ap. Fratres Luchtmann, Parisiis apud Barroi senior, Venetiis apud Io. Bapt. Pasquali, Milano apud Ios. Galeazzi, Augustae Taurinor. apud Laurent. Giraud, Florentiae apud Ios. Molini, Holmiae apud M. Swederum.


Jos: Banks

I.

Iournal de médecine, chirurgie, pharmacie, etc. dédié à Monſieur frere DU ROI. Tome LXIII. 1785. in 8. 612 pagg. Tome LXIV. 1785. 684 pagg. Tome LXV. 1785. 720 pagg.

i. e.

Diarii ad medicinam, chirurgiam, pharmaciam facientis anni 1785. tomi tres. —

Quum priores medicinales anni diarii noſtri duobus tantum tomis continerentur, regiminis iuſſu editori, ab ineunte anno 1785. deſcriptiones noſocomiorum ciuilium in vniuerſa Gallia et obſeruationes in his noſocomiis factae tam copioſae, communicatae ſunt et communicabuntur in poſterum, vt aucta hoc modo libri mole, qui antea duobus tomis comprehendi ſolebant labores annui, nunc tribus contineantur. T. LXIII.

Primo tomo, LXIII. nempe, praefatio praefixa eſt, in qua, quid experientia ad medicinam amplificandam fecerit faciatque, exponitur. Experimentorum autem, quibus medicina varie amplificari poteſt, opportunitatem maximam in noſocomiis eſſe certum eſt.

Iam ſequitur *noſocomii Sti Sulpitii Pariſini deſcriptio topographica, inſtituta, mores, qui in eo obſeruantur*, caet. Regis mandato noſocomium, ad aegros in Parochia St. Sulpitii degentes inopes ſanandos, exeunte anno 1778. inſtitutum eumque in finem monaſterium inſtructum et poſtero vſui

aptatum eſt. Omnia autem in hoc noſocomio ſtudioſe et cum ordine ſummo geruntur, ideoque aegri etiam non tanta copia moriuntur, quam in aliis noſocomiis fieri conſueuit, inprimis ob aëris ſummam puritatem, cui conſeruandae opera maxima impenditur. Lectulos aegrotantium vſui deſtinatos noſocomium CXX. habet, aegrotique quotannis in iis decumbentes numerantur 1900. Viri aegrotantium partes duas, tertiam mulieres efficiunt, licet aequalis ſemper paene decumbentium virorum et feminarum numerus exiſtat. Cauſſa in diuturnis admodum morbis ſita eſt, quibus feminae, ob vitae praeſertim genus, vexentur, indeque etiam, licet aegrorum partem tertiam tantum efficiant, mors tamen aequalem ex iis numerum iugulat. Viri morbis intenſioribus, acutis, febrilibus maxime vexantur, nec diu perdurantibus, nec diuturnae affectioni crebram occaſionem tam facile dantibus. Tertiam morborum omnium, quibus feminae in hoc noſocomio affectae ſunt, partem, incurabiles morbi efficiunt.

p. 38. *Hiſtoria morborum, in noſocomio Sti Sulpitii per annum* 1779. *obſeruatorum.* Catarrhi, febres continuae remittentes malignae, angina, eryſipelas, intermittentes febres, rheumatiſmi, variolae, dyſenteria, frequentiſſima morborum genera fuere.

p. 47. MESMERI ad comitem de C** literae datae ad magnetiſmum animalem pertinentes, nunc in Gallia etiam exploſum.

p. 84. DEMOURS praelectio in facultatis medicae Pariſinae conſeſſu habita, qua inſtrumentum ſuum oculo in cataractae operatione figendo idoneum commendat.

p. 145. *Noſocomii Stampiani* (Etampes) *topographia medica*, auctore BONCERF. Aëre admodum ſalubri oppidum et noſocomium perflatur. Lectuli aegrotan-

tantibus tantopere referti ſunt, vt ſaepe duo aegri in vno lecto decumbant. Quamuis autem triginta annorum ſpatio numerus aegrotantium admodum auctus eſt, eadem tamen ratione mortes in noſocomio rariores euaſere. Adiecit BONCERF, V. Cl. medicinali ſuae topographiae febrium malignarum in noſocomio obſeruatarum hiſtorias, putridarum videlicet, ex remittentium claſſe, ſordibus per vomitoriam medicinam eductis cedentium. Morbus putridus et peſtifer admodum nautas ex Anglica captiuitate reduces occupauit, talesque aegri anno 1780. crebro in noſocomio decubuerunt.

ROUGE DE PREFONTAINE *de febre complicata obſeruationes, in qua balnea cum eximio ſucceſſu in vſum vocata ſunt.* Febris ex remittentium claſſe fuit. Turbas mire ſedauit et aluinam excretionem probe iuuit balneum, ex ſimplici aqua, ſine dubio tepidum.

HENRIQUEZ *obſeruatio, de balneorum in febre maligna cum exanthematibus in cute iuncta ſumma efficacia.* Puer febre miliari putrida per vndecim dies laborauerat, in ſummum vitae periculum ab imminente ſuffocatione deductus. Quum ab omni medicina leuamen nullum eſſet, in tepidam aquam aeger demiſſus eſt, quae angorem mire leuauit et morbum ad ſanitatem perduxit. Explicat Nobiliſſ. auctor vim balneorum omnem in febribus morbis a demulcente, aquoſo principio humoribus copioſe inducto, at reſpectum nullum obſeruationum GUIL. ALEXANDRI, BILGUERI, aliorum habet, quibus conſtitit, poſſe etiam balneorum ope febre putrida, dyſenteria, laborantibus inſignem principii putredini aduerſi vim in humores ferri, eoque modo morbum medicinis internis efficaciſſimis infanabilem facile ſuperari.

p. 188. ROSSIGNOLY *obſeruationes variae de febribus, quae ſingularem naturam habuere.* Non admodum rara aut inſolita ſunt, quae proferuntur obſeruata. Altera obſeruatio acutam febrem exhibet ſanatam, abſceſſu ad teſticulum nato, altera de acuta admodum intenſa febre ſanguinis e naribus profuſione ſubito ſanata, tertia de maligna febre aquae ſimplicis copioſiſſimo potu feliciter curata.

MESMERI ad VICQ D'AZYR, V. Ill. literae, explosum nunc in ipſa Gallia magnetiſmum animalem concernentes.

p. 224. TARANGET *obſeruatio de lacte mediante ſuctione in caniculae, quae foetus nunquam tulerat, vbera copioſe ducto.* Nec valde mira res eſt, nec ſtudio tanto, in explicando eget.

DE CROIX *obſeruatio de peregrino corpore, quod in oeſophago ſubſtiterat.* Fatuae mulieri deglutitio ſubito praepedita eſt. Morbi origines medici in muſculorum pharyngis paralyſi quaeſiuerunt. Irritantes medicinae in fauces iniectae effecere, vt aegra lignum crucis formam habens, concitato vehementer vomitu, ore redderet. Ab irritatione profecta ſymptomata, medicina ſopiente et diluente data, ſiluere.

p. 230. Medica facultas Pariſina collegis quibusdam diligentius examen inſtrumenti a DEMOURS, V. Cl. inuenti demandauerat. Probarunt admodum laudaruntque inſtrumentum oculo in cataractae extractione figendo idoneum hi viri, eaque hic leguntur. Omnia eo redeunt, vt curuatum leniter inſtrumentum acuminatum digito indice aduerſae manus corneae ipſi infigatur, dum cornea cultello, quem altera manus tenet, inciditur. Icon adiecta inſtrumenti vſum copioſius illuſtrat.

p. 290. *Inſtituta et regulae noſocomii curandis expoſititiis pueris lue venerea affectis deſtinati.* Experimenta

ta docuere, pueros omnes, qui lue infecti iam naſcuntur, aut perire mox, aut vitam aegram admodum ducere. Plura ad ſanandos eos tentata ſunt, regiminis auctoritate iuſſuque, at ſine plurimo ſucceſſu. Tandem iuſſu LE NOIR, V. Illuſtriſſ. experimenta varia circa eorum curationem inſtituta ſunt, quibus tandem conſtitit, pueros venerea labe infectos curari optime, ſi medicata quaedam illique aduerſa morbo vis lacti impertiretur, infectique pueri tali lacte vterentur.

Quae curatio quum omni modo votis reſponderet, aedes ſanandis pueris hoc morbo affectis inſtructae ſunt, recipiendis grauidis feminis, lue venerea affectis, nutricibus eodem morbo infectis et pueros pariter infectos lactantibus, pueris omnibus, inopibus pauperibusque affectis venereo morbo deſtinatae. Aedium conſtructio, hoc noſocomium, in Pariſinae vrbis parte, Vaugirard dicta ſitum, conſtituentium, fuſe deſcribitur, poſteaque inſtituta noſocomii omnia in ſuſcipiendis, nutriendis, curandis ſubiectis lue infectis obſeruanda exponuntur: omnia autem inſtituta mandataque hoc modo ſunt, vt virum in his rebus verſatiſſimum prodant. Recipiuntur quotannis feminae ſexaginta aut ſeptuaginta, lactantes, venerea infectae lue, haeque aut ex earum claſſe ſunt, quae Pariſiis ſine domicilio viuunt, aut tales, quae parentum aedes effugerant, vt veneri litarent, aut quae nutrire pueros nequeunt, aut rurales puellae, quae pudore et venerearum rerum ſimul cupiditate ductae vrbem adierant. Parcus admodum numerus feminarum eſt, quae domicilio haud carentes, noſocomium adeunt.

ARCHIER *de veſicantium vſu peripneumonia laborantibus ſatis mature applicatorum.* Principia ab HIPPOCRATE deducta leguntur, ſed non appoſite ſatis: quae enim HIPPOCRATES de abſceſſibus pe- p. 360.

ripneumonicis ſuperuenientibus profert, ea de morbo ſtadia ſua emenſo tantum valent. Commendatur veſicantium loco affecto impoſitorum vſus in morbi initiis, aut progreſſu, nec virtutis multum, imo detrimenti aliquid illis adſcribitur, ſi ſub finem morbi, exhauſtis ab aegritudine aegrotantis viribus, adhibentur. Dictis confirmandis obſeruationes quaedam proferuntur.

BAUDIER *de polypo inſolitae magnitudinis, vteri vaginam occupante.* Intumuit ſenſim venter mulieri XLVIII. annos natae ſine vllo alio ſymptomate morbifico, praeterquam quod recurrentes haemorrhagias ex vtero, at parcas, aegra experiretur. Aucto demum in immenſum paene tumore, ſanguinis etiam profuſio aucta eſt. Grauiditatis quum ſuſpicio eſſet, obſtetrix, doloribus ingruentibus, vocata eſt, cum eaque chirurgus, qui tumorem in vteri vagina, mollem, caput foetus referentem, digito tetigit. Ligaturam qualemcunque tumoris moles interdixit, hinc inciſus eſt, at nihil reddidit. Dolores exacerbati magis tumorem depulerunt, adiuto naturae molimine vaporibus emollientibus. Penitus tandem expulſo tumore, qui pediculo tantum ſupernae vaginae vterinae parti adhaerebat, mulier, XVIII. morbi die animam edidit. Tumor fere vndecim librarum pondus habuit. In ipſo cadauere parum praeter naturam, vteri loco excepto, quem ingens tumor ad vmbilicum propulerat.

p. 446. *De noſocomio Pariſino curandis pueris venerea lue affectis nutricum lactis ope deſtinato* tractatio continuatur. Conſtans eſt obſeruatio, pueros a medicamento affici, quod nutrix ſumſerat, affici etiam vehementer ab animi affectu quocumque nutricum. Hinc tentatum eſt, quid mercurius praeſtet in nutricum corpora ingeſtus, ad pueros lactantes hoc morbo

morbo tentatos curandos, euentusque feliciſſimus fuit. Grauidae mulieres hoc morbo affectae hoc modo curantur, vt grauiditatis temporibus vltimis ſymptomata mali intenſiora tantum praefocentur. Decimo aut duodecimo poſt partum die in balnea immittuntur, iisque quinquies aut ſexies repetitis, mercuriali vnguento articuli fricantur, et tali quidem, quod in initiis mercurii quantitatem admodum parcam contineat. Regula eſt in noſocomio vſu et crebris exemplis confirmata, ne mercurius nimia quantitate ingeratur, quoniam pueri alui torminibus, colica, diarrhoea inde corripiuntur. Tota curatio duorum aut ad ſummum trium menſium ſpatio abſoluitur.

Puerorum regimen quam maxime ſiccum eſt. Munditiei opera ſumma datur. Faucium vlcera mercurio ſublimato corroſiuo cum aqua copioſa ſoluto humectantur. Si pueri lac ſugere nequeunt, mercurii fumo exponuntur, qui vim morbi mitigat, et vires pueris, vt ſugere iterum poſſint, inſtaurat.

Vt autem melius curatio ſuccedat, omnia, quae morboſa in grauidis ſunt, antea depelli debent. Intermittentes febres amaris facile cedunt, inprimis cortici Peruuiano. Morbi ex ſaburra primarum viarum oriundi facile euacuantibus cedunt, cachexiae ſymptomata aperientibus, tonicis. Vlcera verendarum partium, lata admodum ſubinde et tam profunda, vt partui obſint, mercurio impoſito curantur. Tandem ſi malum vehementiſſime vrget, aliaque luis ſymptomata grauia obſeruantur, mercurialia vnguenta minutis doſibus adhibentur, vt graviſſimum malum, ad iuſta curationis vſque tempora, mitigetur.

Exponuntur deinde puerorum lue infectorum ſymptomata. Primum vtplurimum ſymptoma con- p. 470.

ſtituit cuticula velut macerata et maculis nigris, lividis, conſpurcata. Nati tamen et quidam ſunt vuulae exulceratione foeda, ſteatomatoſo tumore in oculi interno cantho, laborantes, puſtulis cutaneis, liuidis, affecti. Si etiam quidam corpore apparenter ſano naſcuntur, ſtatim tamen, poſt partum latentis morbi ſymptomata naſcuntur. Nec ſpes eſt, fore, vt facilius morbum ſuperent, qui leuioribus ſymptomatibus tentantur; grauioribus et funeſtis ſymptomatibus mox ſuperuenientibus.

Pertractatis copioſe ſymptomatibus omnibus, quibus pueri a venerea lue tentari ſolent, ſymptomata curationem aut nunquam, aut raro admittentia, enarrantur, eaque in vlceribus in capite latis, albis, rodentem ichorem fundentibus, facie ſenili, Hippocratica, oculis exeſis, catarrho narium, ichorem foedum reddentium pernicioſo, labiorum vlceribus profundis, os exedentibus, tumoribus abdominis inflammatoriis, vmbilici, ſcroti vlceribus latis conſiſtunt. Inflammationes omnes neque reſoluuntur, neque ſuppurant. Lethifer etiam eſt corporis vniuerſi oedematoſus quaſi tumor, cui ſopor praeternaturalis adiunctus eſt.

EMALE *de lactis feminei ad phthiſin pulmonalem vſu tractatio.* Fuſe probatur, lacti virtutem ad phthiſin pulmonalem non admodum magnam eſſe, nec multos phthiſicos eo ſanatos, quamuis ex nutricum vberibus copioſe et diu ſucto. Inſuper periculum contagii nutricibus ſummum inſtat; multaeque, cum aegris, qui a lacte ſuo hauſto ſalutem exſpectauerant, mortuae ſunt.

BECU *de putrida febre aëris fixi ope ſanata.* Adhibita primum ſunt euacuantia, deinde cum fixo aëre corticis Peruuiani et ſubſtantiarum aliarum putredini aduerſarum decoctio, vt adeo ſanatio fixo aëri non penitus adſcribi queat.

PELLETIER *de lactis in abdominis cauo profusione instituta paracentesi sanata.* Lochia puerperae restiterunt. Diarrhoea lactea, vomitus, puerperarum febris eam vexarunt. Profligata ipecacuanhae ope febre, abdomen admodum intumuit, tumoremque ab humore intus congesto natum esse, fluctuatio probauit. Instituta paracentesi humor perfecte lacteus promanauit, colore tantum aliquantulum a vero lacte differens. Orta postea noua febre, eadem, oborto in abdominalibus integumentis ad vmbilicum dolore, sanata est. Tumor pus lacteum copiose reddidit. p. 496.

SIMMONS *obseruationes, quibus probatur, naturam expellendo foetui sufficere, cuius superiores articuli tangentis digito sese offerunt.* Probatur quidem, nasci aliquando potuisse foetum, brachiis praeuiis, sed partus difficultas insignis semper fuit, mortuusque foetus editus. Hinc quae ad naturam a naturali sua via deflectentem pertinent, ad naturalia haud referenda.

DEMATHIIS *de symphysi ossium pubis in parturiente feliciter resecta obseruatio.* Peluis puerperae ob rachiticam anguſtationem foetum integrum vivumque non transmisit, diametro $2\frac{1}{4}$ pollices non excedente. Hinc operatio instituta est, viribus parturientis a doloribus nondum penitus fractis. Ipsa operatio probe et feliciter succesſit, non tamen scindi cartilago potuit, cum ex media cartilaginis parte sciſſura tentaretur. Hinc in os transiisse cartilaginem Cl. vir suspicatus est: sed suadente ALPHONSO LE ROY a superiori parte ad inferiorem cartilago feliciter et sine plurima difficultate sciſſa est. Putat inde Cl. vir, infelices harum operationum euentus plures inde pendere, quod locum scindendae cartilaginis chirurgi non recte elegerint, aegramque, post operationem a SIEBOLD, V. Cl. insti- p. 510.

inſtitutam mortuam, ſeruari potuiſſe, ſi ſymphyſin ex commodiori loco incidiſſet, ſerra, ſymptomata dira excitante, non vſus. Foetus, manu adiuuante, commode, viuusque extractus eſt, pubisque oſſa ſpatio $2\frac{1}{2}$ pollicum receſſerunt. Vulnus die poſt operationem decima quarta glutinatum eſt, nec vllum ab operatione inſtituta incommodum aegra poſtea ſenſit. Trigeſima die libere omnia, vt in ſaniſſimo ſtatu, peregit.

ROSSIGNEUX *obſeruationes in obſeruationem a* NIEL *conſcriptam, de vulneris, quod in pectus ipſum penetrauerat, curatione.*

HEBERT *de duplici maxillae inferioris fractura cum vulnere complicata.* Haec ad chirurgiam facientia magni momenti haud ſunt.

DEGERAUD *de cyſtici tumoris exſtirpatione feliciter peracta.* Nec in hac obſeruatione rari aut inſoliti quid eſt.

p. 531. *De Angianis* (Enghien) *medicatis aquis eorum relatio, quibus ex medica facultate Pariſina harum aquarum examinandarum officium fuerat demandatum.* Continent ſulfur cum alcali minerali ſolutum, terram calcaream et vitriolaceam puram, mirabilis Glauberi et marini ſalis particulam.

T. LXIV. Tomo LXIV. haec continentur:

Obſeruationum in noſocomio pueris expoſitis lue venerea infectis dicato inſtitutarum continuatio. Obſervationes de mulierc ularum lue venerea infectarum curatione exponuntur. Balnea ante mercurialem curationem non omnibus aeque neceſſaria ſunt. Quae fibras laxas et neruos irritabiles habent ea haud innoxie ferunt, quippe quarum vires tonicis inſtaurandae ſunt. Tumores venerei, excreſcentiaeque omnes impoſito mercuriali vnguento reſol-

vun-

vuntur. Eadem medicina vlcera pertinaciſſima, foediſſima, ſanantur. Mercurius ſublimatus corroſiuus raro in vſum vocatur, ſubinde tamen in rebellibus morbis a venereo miaſmate natis, ophthalmia, labiorum vlceribus, herpete venereo et glandularum infarctibus diuturnis. Panacea mercurialis iis datur, quae ſcrophuloſum miaſma in corpore ſimul alunt. In induratis glandulis liquandis emplaſtrum de ranis Vigonis cum mercurio plurimum auxilii tulit. Scorbuticam diſpoſitionem habentes medicamentis tonum inſtaurantibus curantur.

Tranſitus ab his ad obſeruationes eſt in pueris lue infectis inſtitutas. Actio mercurii in pueris raro ante diem curationis decimam quintam conſpicua eſt; tunc venereus ichor copioſe per oculos naresque cum leuamine demittitur. Exſtinguuntur ſenſim ſenſimque venerei miaſmatis ſymptomata omnia, tertioque curationis menſe pueri, inſtaurata valetudine, vires acquirunt: citior vero ſucceſſus curationis eſt, ſi nutricis lac ſugunt, quae partum iam ante hebdomades aliquot ſuperauerat, et mercuriali vnguento iam vtitur. Dum autem lactis nutricis medicinalis vis a mercurio profecta venereum miaſma praefocat, tumores ſimul emollientibus medicinis fouentur, effluens materies ex naribus, oculis, vaporibus variis acceleratur.

RICARY *dubia, num variolarum inſitio quaedam feliciter ſucceſſerit.* Non ſucceſſiſſe, neque puerum a varioloſo morbo immunem fore, credibile admodum eſt. p. 42.

CHEVILLARD *de venaeſectionis in gutta ſerena abuſu.* Probatur vnica tantum obſeruatione, plures dari amauroſeos ſpecies, quae venaeſectionem non admittant.

BONNARD *obſeruatio de maniaca ſubita et non praeuiſa in aquam frigidam immerſione ſanata.*

De L'HUMEAU *obſeruatio de medicamentis menſtruum fluxum pellentibus praepoſtere adhibitis.* Omnia adfuere ſymptomata ſanguinis abundantis. Inſignem neruorum irritationem paſſa aegra ab emmenagogis medicamentis eſt. Poſtea, quum omnia aut ſucceſſu carerent penitus medicamenta, aut contrarios effectus ederent, mulier, quam virginem medicus putauerat, partum edidit.

p. 59. TERRAS *tractatio continuata de lintei carpti in vulneribus et vlceribus ſanandis proprietatibus et vſu.* Probatur inprimis, parum ad vlcera ſananda emplaſtra, vnguenta, valere, magis lintea carpta, aut ſicca aut decoctionibus vegetabilium variorum, mundificantium, adſtringentium, macerata imbutaque. Vlcerum genera haec ſtatuuntur: 1) vlcus benignum. 2) vlcus poſt abſceſſum natum. 3) vlcus cum duritie et callo complicatum. 4) vlcus cum carie oſſium complicatum. 5) vlcus gangraenoſum.

p. 83. GARLAUD, *in meditationes* ROBINEAU, *V. Nobiliſſ. reſponſio, de terminato feliciter artis ope partu, in quo foetus cum parturiente, ob haemorrhagiam vterinam, ex placenta vterina orificio vteri adnata, in inſigne vitae periculum deuenerant.* Lites et rixae ſunt.

Quaeſtio chirurgico-legalis, auctore THOMASSIN, *num femoris vulnus, cum fractura femoris in parte inferiori complicatum, ob neglectam debitam curationem mortem inferens, per ſe, aut per accidens lethale dici queat.* Facilis ad hanc quaeſtionem reſponſio eſt.

p. 106. GROSSIN DU HAUME oratio de theriacae et mithridatii praeſtantia, occaſione habita, cum theriaca in officina pharmaceutica Pariſina praepararetur.

Nimis

Nimis inconcinna compoſitio laudatur, qua facile carere medici poſſunt.

Obſeruationes de morbis aliis, a venerea labe non oriundis, quibus feminae puerique in noſocomio pueris venerea lue affectis dicato obnoxiae ſunt. Mammarum papillae facile a ſuctione puerorum ſcinduntur: at haec affectio facilem ſolitamque curationem admittit. Menſtruus fluxus nutricibus ſuperueniens lacti malam et nocentem indolem non indidit. — Acidus potus nutricibus in noſocomio degentibus nunquam obfuit. — Notabiles admodum obſeruationes ſunt de puerorum in noſocomio frequenti et admodum lethifero morbo, aphthis, ſiue punctis in ore albeſcentibus, poſtea in lethiferam et gangraenoſam inflammationem tranſeuntibus. *Millet*, *muguet*, *blanchet*, Galli vocant. Omnis curatio in eo conſiſtit, vt pueri aërem puriſſimum ſpirent, vt gargariſmate ſubacido os continuo humectetur, vt medicinis cardiacis, antiſepticis vires ſuſtententur. Morbi origines ab impuro aëre deducuntur, quumque frequens admodum hic morbus in noſocomio ſit, iuſta naſcitur ſuſpicio, aërem in eo non admodum purum ſeruari, neque debite corrigi. Exponuntur poſtea alii puerorum morbi a meconio retento, tuſſis, catarrhus, tuſſis conuulſiua, vomitus, aluus adſtricta aut laxa nimis, tormina, tympanitici affectus, vermes, a dentitione morbi, conuulſiones balneo tepido ſanandae, maraſmus, rachitis, caet. p. 169.

BAUMES *literae ad* SOUVILLE, V. Cl. *de quartanis febribus rebellibus ſaliuationis mercurialis ope ſanandis.* Exponuntur plures obſeruatioues, quibus conſtat, lue venerea et quartana febre ſimul affectos mercurii ope a foeda lue et a febre liberatos eſſe. Concluſio hinc auctori eſt, fore, vt medicamento eidem p. 230.

eidem febris et in his cedat, qui veneream labem non patiuntur.

De iliaca paſſione obſeruatio, NAUDEAU *auctore.* Voluulus ſubeſſe viſus eſt. Irritis medicamentis omnibus, argenti viui libram aegro medicus noſter deglutiendam dedit. Quae medicina quum anxietatem, ſyncopen, ſudores frigidos, excitaret, globulorum plumbeorum tantam quantitatem aegro dedit, vt librae pondus excederet. Poſt hanc temerariam ex omni parte, ob mercurium inprimis antea datum, medicinam aeger, ſopitis omnibus, conualuit.

Obſeruatio de iliaca paſſione ſymptomatibus admodum malignae indolis ſtipata, auctore LAGAVAN. Omnia, ob inſignem neruoſi generis irritationem, incaſſum data. Narcotica demum data effecere, vt mannam cum Anglico ſale aeger cum ſucceſſu ferret.

GAUTIER *obſeruatio de peregrino corpore in aſperam arteriam illapſo.* Piſcis minutulus fuit, viuus, quem piſcator ore tenuerat. Extrahi quum nulla arte piſcis poſſet, bronchotomiam Noſter ſuaſit, et amici aegri iam animam praefocatam efflantis conſilium repudiarunt. Hinc mortuus eſt.

p. 252. *De vrinae retentione quadam, auctore* DOLIGNON, *obſeruatio.* Menſtrua mulieri nuptae viro nunquam profluxerant, grauiditatis tamen, ob abdomen praetumidum, quaedam ſuſpicio fuit. Sed diligenter inſtituto examine membrana vaginae oſtium praeter naturam obdurans in conſpectum venit, qua reciſa, ſanguis abunde profluxit, vrinaque libere reddita eſt.

COQUET *de vacca, quae vituli oſſa per anum reddidit, obſeruatio.*

p. 361. *Vrbis Prouinciae (Provins) medicinalis topographia, et noſocomiorum ciuilium in ea hiſtoria, auctore*

NAU-

BAUDOT. Montibus cincta ſyluisque, abundans aquis, mineralibus etiam et medicatis, vrbs noſocomium habet pauperibus inſeruiens, aliud, hotel-Dieu dictum et orphanotrophium. Noſocomium, le grand hotel-Dieu a Noſtro vberius deſcribitur. Satis antiquum eſt, anno 1051. iam exſtructum, eoque modo, vt egregium ſanitatis praeſidium, puriſſimum nempe aërem, habeat. Nouus isque concinnus admodum ordo in noſocomio ſeruatur ex adminiſtratorum mandato, anno 1783. promulgato, idque mandatum hic impreſſum legitur. Morbi epidemici nec in vrbe, nec in noſocomiis frequenter graſſantur, ſubinde tamen remittentes et intermittentes febres popularem morbum conſtituunt, medicinis tamen ſolitis conuenientibusque vtplurimum cedentem.

PANVILLIER TARANGET, *meditationes in obſeruationem a V. Cl. conſcriptam, febrem putridam concernentem.* Exigui momenti ſunt. p. 414.

GONDINET *de fulminis effectibus, et de optima iis medendi methodo.* Obſeruationes complures de fulminis effectibus in corpus humanum enarrantur. Aſphyxiam ex Noſtri mente fulmine tacti experiuntus, non venaeſectione et aliis aeſtum temperantibus, ſed hoc modo ſanandam, vt vires ſenſitiuae et motrices quamprimum reſtituantur.

DEMOURS *deſcriptio vberior inſtrumenti a ſe inuenti, quo oculus in cataractae extractione figitur.* Inſtrumenti mentionem iam ſupra fecimus. p. 445.

TERRAS *de lintei carpti ad vulnera vlceraque ſananda vſu.* Gangraenoſa vlcera inſanabilia vtplurimum ſunt, nec non ea, quae a ſenio, a paralyſi, ab hydrope proficiſcuntur. Ad horum vlcerum munditiem conſeruandam linteum carptum maxime confert. Laudatur poſtea linteum carptum ad vlcera cancroſa, ſcrophuloſa, alia.

p. 530. *De optima methodo cohibendorum eorum, qui mente capti sunt, methodoque morbis eorum medendi optima efficaciſſimaque.* Ex regiminis mandato haec publici iuris facta ſunt, in quibus tamen neque exquiſita moderaminis ratio, neque exacta ſatis vſuque confirmata medendi his morbis methodus exponitur. Redeunt enim omnia eo, vt aliis locis ii detineantur, quorum delirium tranquillum eſt, aliis ii, qui furentium modo inſaniunt, vtque ii, in quibus curatio tentatur, ſeparatim habitent. Caetera omnia in Germania notiſſima iam ſunt, in qua continendis infelicibus his hominibus opera ſedula magis efficaxque impenditur. Omnes autem mentis morbi in hos diuiduntur, in quibus ſenſus, imaginatio, memoria et iudicium laborant. Primae claſſi phrenitis (fréneſie) accenſetur, quam ſubinde a cerebri primaria affectione produci auctor putat, multiplicatis ſane praeter omnem neceſſitatem morborum ſpeciebus, quum quae in hanc diuturnam phrenitidem cadunt notae, omnes maniae propriae ſint. Curatio ſumme antiphlogiſtica praecipitur, ſed cum manifeſta diuturnae phrenitidis cum acutiſſima permutatione. Nec maniacorum curatio a phrenitidis medela valde differt, purgantium tamen vſus in hac morbi ſpecie magis laudatur. Caeterum quae Germani medici Anglique ad maniam laudauere, ducti copioſis obſeruationibus, medicamenta auxiliaque Noſtro penitus ignota ſunt. Nec quicquam lucis, copioſa admodum tractatione melancholiae adfunditur, ad quam venaeſectio promiſcue laudatur. Ad fatuitatem purgantia intenſiora laudantur. Curationis methodus omnium horum morborum tam imperfecta, hiulca, mancaque eſt, vt mirati ſimus admodum, potuiſſe talia regiminis iuſſu in communem vſum in Gallia publicari.

GRE-

GRENIER *meditationes in obſeruationem* TARANSET, V. Cl. *de lactatione cani nunquam antea foetae ſuperueniente.* Obſeruationem ſupra iam citauimus, copioſiori illuſtratione non egentem. p. 583.

RAMEL *obſeruatio de fluore albo haereditario in duabus puellis a primo aetatis anno obſeruato*, habituali, per interualla recurrente, perdurante.

DE SAINT MARTIN Vicecomitis DE BRIOUZE literae ad EVERS, V. Cl. quibus ex exemplis probatur, ineſſe phthiſi pulmonali contagium quoddam, quod et in ſaniſſimos, arctius commercium cum phthiſicis alentes, agit, efficitque, vt eodem morbo corripiantur.

SUMEIRE, V. Cl. epiſtola ad editorem data, inventum plumbaginis Europaeae vſum ad ſcabiem ſibi vindicat.

SUMEIRE *problematis medici expoſitio, num febris apoplecticis et conuulſiuis morbis ſuperueniens lethifera aut ſalutaris ſit.* Conſtanter auctor obſervauit, lethiferam febrem apoplexiae ſuperuenientem fuiſſe. p. 603.

CHEVILLARD *obſeruatio de eryſipelate, quod tertiana febris excepit.*

CHARTIER DE LOUZIVEL *meditationes in obſeruationes* SOBEAUX, V. Cl. *de arcani duplicati puerperis dati abuſu.* Probatur ex exemplis, laudabilem medicinam eſſe, et inſignem puerperis vtilitatem adferre in morbis ex lacteis abſceſſibus, malos effectus omnes a nimia doſi (forte etiam a metallo medicamento nupto) profluere.

REBIERE *meditationes in obſeruationem de hydrophobia alcali volatilis ope ſanata.*

REBIERE et GAUTIER DE SAINT IAMES *obſeruatio de craſſorum inteſtinorum parte per anum extracta.* Viro XXXV. annos nato, dyſenteria bilioſa fere ſuperata, inteſtini craſſi pars gangraenoſa et omni ſenſu p. 619.

carens per anum descendit. Morbosis partibus re-sciſſis, vulnus glutinatum, nullaque aeger poſtea in-commoda expertus eſt.

GILLES DE LA TOURETTE *de abſceſſibus ad ar-ticulos et in eorum vicinia obſeruationes.* Non ad-modum magni momenti ſunt, quae proponuntur; notum enim chirurgis iam dudum eſt periculum ar-ticulorum ex his abſceſſibus.

T. LXV. Tertio tomo, nempe LXV. haec inſunt:

Fontis Belaquei (Fontainebleau) *medicinalis topo-graphia,* WILLIO auctore. Tria noſocomia habet, nominibus Hotel-Dieu, hopital d'Avon et hopital des filles bleues inſignita. Caritatis fratres in no-ſocomio, hopital d'Avon; aegrorum curam gerunt, quod LUDOVICI XVI. mandato ita inſtructum eſt, vt, quum antea aegros tantum nouem reciperet, nunc XXIX. recipiendis aptatum ſit. Morbi in ipſo oppido rari, epidemici paene incogniti ſunt. Inter-mittentes, inprimis quartanae febres, febres putridae, verminoſae, facilem curationem admittentes, pleu-ritides ſpuriae, rheumatiſmi, frequentiſſimos mor-bos conſtituunt. Variolae vtplurimum benignae ſunt. Endemium morbum colica conſtituit admo-dum pertinax. Phthiſin a pulmonum tuberculis experiuntur, qui in ſabulo effodiendo occupantur. Qui hos labores peragunt, omnes praemature mo-riuntur.

MAURY *obſeruatio de apparente grauiditate, pro-ducta ab abdominali tumore et ab humorum in abdo-mine et pectore profuſione.* Pancreati et inteſtinali tubo tumor carneus, enormis, accreuerat. In pectore aquae ſatis copioſae. Symptomata ad mor-tem vſque grauiditatem ſimulantia perdurantia ad-fuere.

DE

DE BERGES *obſeruatio de extractione foetus, qui per anni et quod excurrit, ſpatium, in vtero materno reſtiterat.* Violentia externe abdomini illata foetum in vtero necauerat. Partu arte tandem, ob inſignem aegrotantis debilitatem accelerato, foetus in lucem editus eſt admodum putridus. Placentam putredo penitus fere conſumſerat. p. 26.

Obſeruatio de grauiditate duplici ventrali foeminae, quae anno aetatis ſuae LXXIV. *demum obiit, auctoribus* VARNIER *et* MANGIN. Notabilis admodum hiſtoria eſt. Grauiditatis ſigna anno aetatis XLII. omnia in muliere obuia, dolores etiam ad partum ſtato tempore euenerunt, ſed in orificio vteri nihil ab iis mutatum. Siluere poſtea dolores, et mulier ad LXXIV. annum aetatis ſuae ſaniſſima vixit. Inciſo poſt mortem ventre, qui praetumidus per omnem vitam manſerat, reciſaque vteri parte anteriori, quae oſſeam, ſaltim cartilagineam naturam habebat, foetus mollis, in naturali ſitu, a putredine admodum maceratus, non tamen vehementer laeſus, detectus eſt. In poſteriori parte vterus fiſtuloſum foramen habuit. Quo inciſo, in appendice vteri quaſi cartilaginea oſſeaque foetus alterius oſſa detecta ſunt tam parua, vt foetum vix aetatem duorum menſium ſuperaſſe concluſio fuerit. Plura ex auctoribus exempla de grauiditate tubarum FALLOPII, ouariorum, ventrali, nec non vterina perdurante et permanente proferuntur.

DE SAINT MARTIN *obſeruationes in diſſertationem* RETZII *de febribus epidemicis.* Pertractantur breuiter origines harum febrium et optima iis medendi methodus.

NEGRIN *obſeruationes de neruorum quorundam morbis, interno florum zinci vſu ſanatis.* Alteram mulierem vomitus ſpaſmodici, habituales, cum

conuulſiua abdominis contractione, alteram vero atroces hyſtericae ſuffocationes vexarunt.

p. 66. NOSEREAU *de ſingultu febri acutae ſuperuenientе obſeruatio.* Febris atrabilaria remittens fuit. Singultus ei ſuperuenit lethalis.

LAURENT *obſeruatio de caluariae oſſibus a vi externa fractis.* Terebro perforata caluaria, fracta oſſa complura extracta cum ſalute aegri ſunt.

Eiusdem de capitis vulnere cum ſubſtantiae iactura obſeruatio.

Eiusdem de lactis poſt puerperium metaſtaſi obſervatio.

p. 79. THOMAE DENMAN *obſeruationes vlteriores de ſpontanea poſitione foetus brachium partus temporibus tangentis digito offerentis.* Ex Anglico idiomate verſae ſunt.

HUZARD *obſeruationes in plumbaginem Europaeam, ceu ſpecificam ad ſcabiem medicinam.* Probatur, veteribus, DIOSCORIDI, MATTHIOLO, aliis, medicamenti virtutem iam fuiſſe cognitam.

p. 185. *De hydrophobia auertenda et curanda inſtructio,* iuſſu praefecti praefecturae generalis Pariſinae publicata, a COLOMBIER, V. Cl. conſcripta. Rabiem auertendi methodus in eo conſiſtit, vt vulnera ab animalis rabidi morſu inflicta dilatentur, vt butyro antimonii indito vrantur, veſicatorio toti vulneri impoſito veſicae excitentur, vtque ad XL. vſque diem conſolidatio vulnerum caueatur. Interne alcali volatile praecipitur, externe mercurii crudi in vnguento vſus. Caetera omnia ad contagii naturam vimque explicandam pertinent.

p. 240. AUBUSSON DU CLOU *morbi putridi, verminoſi, gangraenoſi et contagioſi deſcriptio.* Inflammatio febris remittentis comes latera vtplurimum tentavit. Sanatus ſatis proſpere eſt morbus datis emetico,

tico, purgantibus antiphlogiſticis, vermibus adverſis, cortice Peruuiano et antiſepticis aliis.

GOUBIER *de corporis inflatione a balneo frigido* p. 245. *inducta poſt emeticum ſumtum imprudenter adhibito.* Medicinae irritationi aduerſae, ſopientes, leniter purgantes morbum ſatis periculoſum admodum levarunt.

CLEMENCEAU *obſeruatio de colica ſpaſmodica ſymptomatibus admodum periculoſis ſtipata.* Lenientibus et ſopientibus medicinis ſymptomata peſſima, animi defectio, ſpaſmi, linguae paralyſis, ſopita ſunt.

HATTE *de putrida maligna febre, adiunctis meditationibus de medicamentorum ſimplicium in his febribus efficacia.* Acida, inprimis vegetabilia, mel, potus ſimplex, ſaponaceus ad has febres laudantur.

RAMEL reſponſio ad dubitationes circa variolarum inſitionem quandam, (de qua ſupra quaedam diximus) a RICARY, V. Cl. mota. Putat auctor, ſatis ſucceſſiſſe inſitionem, nec vllum variolarum metum aegro ſupereſſe: at nos, obſeruationibus tam propriis, quam aliorum ducti, vix hos a varioloſa infectione immunes putamus, quibus nec locus, cui varioloſum venenum inditum eſt, ſatis ſuppuratus eſt, nec vllae variolae obortae ſunt.

MICHEL *obſeruatio de tumore cyſtico ingenti inguinis ſiniſtri exſtirpato.*

Eiusdem obſeruatio de vulnere ſclopeto digitis inflicto. Curatio probe ſucceſſit: ad cicatricem autem ducendam cauterium potentiale requirebatur, quo applicato cicatrix breui formata eſt.

Obſeruatio phyſico-medico-chirurgica, auctore SEBIRE. Ferrea acus perforatis oculi tunicis in globum ipſum penetrauerat, extracta vero facile

magnetis ope. Sequuta ſuppuratio eſt, oculum tantopere laedens, vt contabeſceret.

SEBIRE literae ad DE LA LANDE V. Ill. de cometeriis extra vrbem dimouendis.

p. 360. *Topographia medicinalis oppidi Montfort d'Amaury et noſocomii magni in eo*, auctore WILL. Sanum admodum oppidum eſt, nec vllus in eo morbus endemius. Noſocomium ſatis antiquum eſt, non vero magno aegrotum numero recipiendo deſtinatum.

Quae ſequuntur, obſeruationes diuerſae, de morbis inſolitis, qui lethalem exitum habuerunt, adiunctis cadauerum extiſpiciis plerumque, plus vtilitatis lectori adferunt. Pertractantur autem in his obſervationibus hi caſus:

PEYRE *de abſceſſu in lumbari regione.* Venereae luis ſuſpicio quaedam adfuit. Febris abſceſſui ſuperuenit lethum inferens. Extiſpicia lumbarem regionem omnem muſculosque femoris purulento ichore imbutos exhibuerunt. Alteri reni, calculum continenti, inteſtinalis tubus adnatus erat. In eiusdem, renis ſubſtantia tres vermes viui, tres pollices longitudine ſuperantes, reperti ſunt. Tres alii in muſculis ad dorſi ſpinam ſitis habitabant, lumbricorum habitu et magnitudine gaudentes. Vertebrae carie affectae.

Eiusdem Cl^mi *viri obſeruatio de capitis affectione ſingulari, quam mors ſubitanea ex improuiſo excepit.* Vir caeterum ſanus mente ſubito captus, et poſtridie, inciſa antea vena, mortuus eſt. Inciſo pectore, pulmo ſiniſter corruptus penitus et tantopere corrugatus fuit, vt quartam cauitatis partem occuparet. Viſcera abdominis omnia praeter naturam ficca. Caput, quod tamen perquam neceſſarium fuiſſet, non inciſum eſt.

De

De morte improuiſa et paene ſubitanea die poſt lapſum ab alto vigeſimo obſeruatio. Symptomata aeger, qui poſt lapſum ſtatim ſanguinem ex ano emiſerat, paſſus fuerat abdominalium viſcerum laeſionem indicantia: inciſo autem cadauere, ſana omnia, pulmones vero ſanguine nigro, ſtagnante infarcti, oedematoſi inuenti ſunt. p. 397.

LA PEYRE *de mortifera paralyſi poſt commotionem capitis a globo ſclopetario inductam.* Pus ante mortem per nares redditum cerebri laeſionem ſatis probauit.

De caſuum ab alto lentis at funeſtis effectibus.

De morbis quibusdam, quorum ſigna ſymptomataque obſcura fuerunt, et qui nullam ſanationem admiſerunt, cum obſeruationibus quibusdam de conſuetudinibus quibusdam admodum periculoſis, quas ſequior ſexus parui habet, auctore BACHER, V. Cl^mo. De noxis pigmenti agitur metallici, quo mulierculae vtuntur ad alborem ori conciliandum, de thoracum nimis anguſtorum et corpora preſſione laedentium noxis, varicibus, tuberculis, ſcirrhis, omenti ſuppurationibus, pectoris, abdominis hydrope. De pectoris hydrope et internarum partium gangraena balneorum tepidorum crebro nimis vſui ſuperueniente. — De hydrope abdominali omentique et ouariorum putrida liquatione a repellentium medicinarum abuſu inducta.

IEMOIS *obſeruatio de puero ſcabioſo ſanato medicinis ſcabiei aduerſis nutrici datis, quae lactanti puero eundem morbum communicauerat.* p. 459.

DEMOURS *de lentis cryſtallinae capſula poſt extractionem lentis opaca, pellucida vero facta elapſo trium hebdomadum ſpatio.*

Eiusdem de varietate quadam in naſali ductu obſeruatio.

p. 469. *De ad oculos translata varioloſa materie poſt morbi inſitionem.* Leuior in oculis inflammatio oborta eſt ex purgantium inprimis, ſuperato iam morbo, neglectu. Neque curationi, euacuantibus et revellentibus datis, admodum reſtitit.

p. 529. *Siluanecti* (Senlis) *medicinalis topographia*, auctore DUVAL. Inflammationes, cutanei morbi varii, incolis admodum proprii ſunt. Phthiſicae affectiones ſubitaneum decurſum habent.

p. 541. BRET *obſeruatio de febre quotidiana aut tertiana duplicata a corticis Peruuiani vſu exacerbata, concitato autem vomitu enormi ſanata.*

Eiusdem abſceſſus hepatici et hydropis aſcitis, poſt vim externam hypochondrio dextro illatam hiſtoria.

FOLLAIN *de funeſta ad iecur metaſtaſi materiae morbidae.* Pus in hepate natum erat ab alui fluxu praepropere cohibito.

Phthiſis confirmata poſt febrem exorta, debita medendi methodo, lactis inprimis vſu, ſanata, auctore LA PEYRE.

Eiusdem hiſtoria phthiſeos pulmonalis lethiferae a fluxu menſtruo inconſulto ſuppreſſo oriundae.

Epidemici morbi in pago Anſauvillé primis anni 1785 *menſibus graſſantis hiſtoria, auctore* HATTE. Catarrhus fuit, ad pulmonum inflammationem vergens, febri biliosae putridae admodum malignae adiunctus. Venaeſectio plurimas noxas attulit, multum autem leuaminis purgatio aluina, catarrhali inflammatione vomitum concitantes medicinas prohibente.

DUPONT *iſchuriae lethalis hiſtoria.* Omnia medicamenta incaſſum tentata ſunt. Cadauer inciſum veſicam vrinariam maxime diſtentam collumque veſicae admodum arctatum exhibuit.

Vteri

Vteri imperforati hiſtoria, *auctore* DUSSOSSOY. Membrana orificium praeter naturam praecluſerat. Intumuit vehementer vterus. Noſter acu triquetra membranam perforauit, hoc cum ſucceſſu, vt gelatinoſae materiae copia inſignis proflueret. Penitus poſtea aegra reſtituta eſt.

De kermes minerali tractatio in conſeſſu Societatis regiae ſcientiarum recitata, *auctore de* LUNEL. Plura experimenta auctorem docuere, kermes minerale nulla alcalini ſalis in eo latentis indicia dare, ipſumque conſtare ex antimonii regulina calce cum principio phlogiſtico combinata. Sulphur antimonii auratum hoc nomen improprie habere, conſtans quippe ex alcalino ſale, dum ſulphur decomponit, phlogiſticato, omnesque kermes mineralis definitiones falſas eſſe, quum definiri debeat calcis antimonii ſuperphlogiſticatae nomine.

II.

HENR. AUG. WRISBERGII experimenta et obſervationes anatomicae de vtero grauido, tubis, ouariis et corpore luteo quorundam animalium cum iisdem partibus in homine collatis. Gottingae 1782. in 4to. pag. 40.

Quum ab humana anatome phyſiologia minime plena repetatur, iudiciumque ſincerum de partium corporis animati functionibus ferri non queat, niſi harum partium fabrica in homine et in aliis animalibus conferatur, quum inprimis generationis et propagationis creaturarum doctrina admodum difficilis adhuc ſit, neque quaeſtio ab Academia Scientiarum Gottingenſi, de mutationibus ouorum in viuiparis animalibus a congreſſu foecunde,

do, et de corporis lutei cauſſis olim iam propoſita, adhuc ſoluta ſit, Noſter totam hanc diſputationem talem eſſe putat, vt nondum ſufficiens phaenomenorum numerus in animantibus viuiparis collectorum adſit, quibus certa et conſtans lex, quam natura in producenda prole ſequitur, ſuperſtrui poſſet.

p. 15. *Sus* inprimis *ſcropha*, quae medium quaſi animal inter ouipara et viuipara conſtituit, Ill. Auctorem ad vlteriores circa hanc rem obſeruationes invitauit, quumque in humanis foetubus ouariorum magnitudo inſignis ſit proportionemque cum reliquis corporis partibus excedat, easdem obſervationes et in ſuillis foetubus inſtituit.

Tubae Fallopii in ſuillis foetubus ex vteri cornu, anguſtiſſimo canali, continuantur, ouaria autem minora, quam in foetu humano, et elegantia ſunt. Ouulorum veſtigia diſtingui in iis nequeunt, quamuis per exteriorem ſuperficiem tranſluceant. Inciſurae, quae in ſuibus adultis obſeruantur, per quas prominentia oua racemoſam quodammodo figuram adipiſcuntur, maturiore demum aetate formantur. Cute, qua ouula inuoluuntur, caute ita inciſa, vt ouula non laedantur, veſiculae emergunt, piſi magnitudinem referentia, vaſorum pedunculo inſtructa, ita, vt tali modo praeparatum ouarium vuarum racemi figuram perfecte referat. In his veſiculis et aqua, vt in hominibus, praeternaturali modo colligitur, vti et in aliis animalibus ab Ill. Auctore obſeruatum eſt, pingue et ſcirrhoſum concrementum in his veſiculis deponi. Hae veſiculae et in hominibus in vera ſubinde ſteatomata tranſeunt.

p. 20. Luteum corpus in omnibus animalibus in cuariis poſt foecundam demum conceptionem naſcitur. In ſcropharum ouariis nitidiſſima haec corpora ſunt.

In

In scrophis grauidis demortuis numerus corporum luteorum foetuum numero semper respondit, in altero ouario tamen paulo minora fuerunt. Inter haec corpora in externa superficie prominentia Graafianae vesiculae dispersae fuerunt, tunicaque communis ouarii ab iis difficulter separari potuit. Exigua in iis apertura est infundibuli instar, mediam eorum substantiam penetrans. Constant ex carne duriuscula, subflaua, copiosissimis vasis referta, cauum autem constans non habent. Substantia eorum aequalis manet. Propriam tunicam habent.

Grandissima corpora lutea equae et asinae exhibent, nucem iuglandem magnitudine superantia. Duplicem carnem habent, externam flauam, internam albescentem. Ab his humana parum differunt. Cum renibus succenturiatis haec corpora, quoad fabricam, similitudinem quandam habere videntur.

Fallopii tubae in vtero suillo elegantissime struc- p. 23.
tae sunt. Initium earum eo in loco est, vbi externa tunica vltra marginem superiorem cornu vteri porrigitur, et in subtile vasculosumque omentum mutatur, linearum aliquot latitudinem seruans tubamque concomitans.

Altera sectione de vtero agitur. Variae con- p. 25.
trouersae opiniones de vteri vi contractili et de foetus in vtero nutritione, omnes, vteri structura in animalibus variis hominibusque rite cognita, facile componi possent. In bicorni vteri tria receptacula proprie sunt. In primum vteri orificium ducit pro communi matricis cauo habendum, ex hoc primo cauo duo larga orificia in binorum cornuum receptacula transeunt. Rarius accidit, in capra tamen semel Ill. Auctor vidit, vt vterque foetus in prima communi camera haereat, nullis cornubus apparentibus.

Aber-

Aberrationes a naturali ſtructura, et in humano vtero ſaepius obſeruatae, tales ſunt, vt vterus aut duplex aut bicornis eſſe videretur; nondum vero adhuc relatum eſt, tubas Fallopii quoad partem ampliores factas cornua repraeſentaſſe et in verum vteri cauum hiaſſe. Idque Ill. Auctor anno 1775. in vetula obſeruauit hydrope demortua. Totam in hoc cadauere peluim vterus repleuit, globoſoque vtero grandique duo minora corpora adhaeſerunt, quorum quodlibet $2\frac{1}{2}$ pollic. longum vnumque latum fuit et in breues tubas Fallopii terminatum eſt. Corpora haec vteri ſubſtantia longe tenuiora fuerunt.

p. 30. Texturae reſpectu, vteri in ſpongioſos et membranaceos diuidi poſſunt. Muſcularis tunica in grandiorum animalium ouariis certiſſime, in homine autem non adeſt, neque vlla muſculoſae texturae ouaria conſtringentis veſtigia in hominibus Noſter detexit. Muſcularis vteri tunica in omnibus animalibus certiſſime, in homine autem non reperitur, nec regularia ſtrata fibrarum vteri a ROEDERERO deſcripta Noſter vidit. Grauiſſima quidem argumenta WALTHERI, V. Ill. ſunt, quibus fibrarum muſcularium vteri praeſentiam plane negat, vterumque ex celluloſa tela elaſtica et vaſis tantum conſtare aſſerit; verum tamen infinita copia brevium et longorum faſciculorum muſcularium vterum in omni regione perreptat. Hae fibrae in vtero virgineo ſine dubio adſunt, verum ob vteri duritiem difficulter inueſtigari poſſunt. De villoſa vteri tunica tandem, et de mutationibus illius a ſanguiferorum vaſorum vteri dilatationibus, grauiditate durante, agitur.

III.

De medendi tineae capitis ratione paralipomena, programma. — Auctore IO. ANDR. MURRAY. Gottingae, 1782.

Veriſſima ex omni parte vſuque quotidiano nobis et omnibus medicinam exercentibus confirmata ea ſunt, quae Illuſtris huius opuſculi lectu digniſſimi auctor de infelici puerorum hoc morbo adfectorum ſorte, et de peruerſa medicorum curatione a peruerſa, ſubtili nimis, magis in futili ſpecierum diſtinctione, quam in vera morbi natura perquirenda poſita theoria, candide diſſerit. Species enim exanthematum, quae capillatam capitis partem occupant, tam copioſas, auctores, inprimis Arabes, propoſuerunt, vt qui eas ſtudioſe perſequatur vix ſciat, quaenam pro veris fictisque habenda ſint. Latent inſuper penitus verae tineae cauſſae, omniaque, quae circa eas a celeberrimis viris dicta ſunt, eo redeunt, vt humorum aut tenacitas nimia, aut acrimoniae variae, ſalſae, aut denique impurae luis venenum accuſentur.

Alia ſententia, cui ipſe Ill. auctor fidem quandam conciliare videtur, ea eſt, tineam capitis locale malum conſtituere et medicamenta ipſi loco adfecto applicata internis longe praeferenda eſſe. Hanc ſententiam exemplis pluribus morborum externorum, externis medicinis ſanatorum exemplis confirmatam, copioſius defendit, enarrata breuiter eam ob cauſſam partis capitis capillatae ſtructura.

Quaenam pars in tinea ſpeciatim adfecta ſit, dici non poteſt, nec forte, ob partium ſubtilitatem, poterit. In bulbis capillorum certe mali ſedes non eſt; iis enim euulſis, malum absque metu reuerſionis non tollitur, etiamſi hoc tentamen pluries repeta-

petatur. Haec Ill. vir ipſe in quibusdam aegris obſeruauit. Potior tamen mali ſedes in folliculis pinguedinoſis cutis, vel ipſo textu celluloſo quaerenda. Forte etiam in tineoſis muci Malpighiani vberior prouentus obtinet.

Probabile quidem admodum eſt, in tinea peculiare inquinamentum humorum totius corporis locum non habere, ſed corporis malos ſuccos omnes in capitis corio coaceruari, attamen in aliis locis ſubinde veſtigia fomitis affinis, vel eiusdem occurrunt, exanthemata, verrucae in ore, caet. Vidit etiam in puella tinea adfecta Ill. auctor digitum deformiter tumidum, inflicto ei vulnere eundem humorem, quem caput tineoſum, reddidiſſe. In vetuſtiori malo labes profundius ſaeuit, colli glandulae tumeſcunt, corpus emaciatur. (Glandularum nuchae, earum, quae pone aures et ad maxillam inferiorem ſitae ſunt, tumores inueterato morbo proprii quidem ſemper ſunt, attamen ſaepius etiam priusquam tinea effloreſcat, oriuntur, inprimis priusquam exanthema in capite copioſe effloreſcat. Tumor etiam peculiarem naturam habet, ab aliis earundem partium tumoribus paululum recedentem, ita vt, conſpicuis his tumoribus, inſtantis tineae praeſagium facillimum, et niſi medicina opportuna morbus inſtans auertatur, tutiſſimum ſit. Haec nos ex copioſiſſimis exemplis cêu ſtabilia veraque didicimus, eaque ſententiam Illuſtris auctoris de mali originibus quodammodo infirmare videntur.)

Internae medicinae aut debiles nimis, aut fortes ſunt, aut aliam labem inducendo nocent. Plurimum tamen praeſidii in purgantibus ſitum eſt, quae tamen morbum penitus non tollunt, niſi accedente efficaci externa medicina. Nec multa fides curationibus per internas medicinas habenda eſt, quum

ſaepe

saepe aetatum et temporum mutatio morbum sponte sanet. Externas cum internis medicinis alii efficaciter iungunt. Ipse Ill. Auctor morbum absque capilli exstirpatione solis externis medicinis curandum putat. (Nos in copiosissimis, quas curauimus, tineis, haec seruauimus: Corpus aegrorum iterato purgauimus datis per interualla resoluentibus, puluere vtplurimum alterante Plummeri. Finem purgationibus imposuere glandularum tumores euanidi, aut admodum minuti. Caput interea quotidie tepida aqua lotum est, vt inprimis omnia, quae puris stagnationi fauent, praepedirentur. Postea euanidis glandularum tumoribus, iuniperi baccas tusas cum calcis aqua decoqui iussi cum eaque decoctione caput lauari. Hoc modo plurimos sanaui, in iisque paucis, qui non sanati sunt, morbus ob curationis neglectum, ob incongrua alia medicamenta simul data, inprimis ob neglectam munditiem perstitit.) Duplici methodo, aut inunctione mercurii praecipitati albi cum vnguento rosato, ex qua aliquid mali nunquam percepit, adhibitis simul purgantibus ex ialappae radice, aut altera methodo, qua tineam fauosam depulit. Altera methodus est, quam in addita morbi historia enarrat. Tinea capitis laboranti puellae admodum iuveni, quum purgans aluum paululum methodus nihil proficeret, venereique inquinamenti suspicio adesset, puluerem alterantem Plummeri, at incassum exhibuit. Exhibitum etiam pari successu viuum antimoniatum Huxhami est, externeque vnguentum ex mercurio praecipitato albo applicatum. Externe postea mercurii sublimati diluta solutio cum mica panis, cataplasmatis forma adhibita est, posteaque vnguentum ex aerugine, sed pariter sine leuamine, saltim morbi eadem ferocia, cessante viu, redeunte. Tandem cicuta interne et

externe adhibita, excitatis copioſis in capite abſceſſibus, pus probum fundentibus, diuturnum admodum et taedii plenum morbum feliciter ſuſtulit.

IV.

Experimens ſur la digeſtion de l'homme et de differentes eſpeces d'animaux, par l'Abbé SPALLANZANI, Profeſſeur de l'hiſtoire naturelle dans l'Univerſité de Pavie — avec des conſidérations ſur la methode de faire des expériences, et les conſéquences pratiques qu'on peut tirer en médecine de ſes decouvertes, par IEAN SENNEBIER — à Geneve chez Chirob 1784. in 8. Conſideratio methodi Spallanzanianae pag. 128. opus autem SPALLANZANII pag. 336. complectitur.

i. e.

Experimenta circa digeſtionem hominis et variorum animalium inſtituta. Acceſſit methodus SPALLANZANII, experimenta inſtituendi — conſiderata, auctore SENNEBIER. —

Eiusdem libri Germanica verſio prodiit, titulo:

Herrn Abt SPALLANZANI's *Verſuche über das Verdauungsgeſchäft des Menſchen und verſchiedener Thierarten, nebſt einigen Bemerkungen des Herrn* SENNEBIER. *Ueberſetzt und mit einem Regiſter verſehen von Dr.* CHRIST. FRIEDR. MICHAELIS. *Leipzig, im Verlag der Dykſchen Buchhaudlung.* 1785. *in* 8. 440 *pagg.*

Pri-

Primum difficultas diſquiſitionum phyſiologicarum, in primis autem earum, quae circa digeſtionis negotium inſtituuntur, a SENNEBIER, V. Cl. exponitur, in eaque tractatione viae plurimae, quae phyſiologos, ob experimentorum difficultatem, in auia deuiaque deduxerunt, ſatis diligenter enarrantur. Expoſita poſtea eorum parte, quae ad obſeruationes et experimenta inſtituenda requiruntur, in quibus methodus a SPALLANZANIO, V. Ill. adhibita admodum laudatur, ipſa haec methodus, ipſeque obſeruationum et experimentorum modus, quibus SPALLANZANIUS abditas naturae in digeſtione vias perſequutus eſt, fuſe exponitur.

His omnibus fuſe pertractatis, attamen cum nimia paene viri iam omnibus laudatiſſimi laude, corollaria practica ex SPALLANZANII experimentis eruuntur, expoſitoque ſummo maſticationis ad digeſtionem vſu, primum corollarium eſt, ſtomacho calorem ſuum omni ſtudio ſeruandum eſſe, vt digeſtio ſuccedat: omnia enim experimenta a SPALLANZANIO inſtituta manifeſte probant, humorum gaſtricorum actionem lentam admodum, imo minimam eſſe, dum calori, quem atmoſphaera habet, expoſiti ſunt. Nimius etiam potus vitandus eſt, ne humores digeſtiui nimis diluantur. Neque alimenta ſumere expedit, quae vim gaſtricos liquores alterantem habent; his enim media natura eſt, et ab acidis, alcalinis, acribus, caet. admodum mutantur. p. 66.

Diſſoluens autem vis quum gaſtrico liquore inſita ſit, opus eſt, vt tantum alimenti aſſumatur, quantum liquor ipſe diſſoluere poteſt, denique vt talia tantum alimenta aſſumantur, quae a gaſtrico liquore cuique animalium generi ſpecifico diſſolui poſſint. Humanus autem liquor gaſtricus licet omnia ali- p. 74.

menta ſoluat, in omnia tamen non eadem vi agit, pro varia eorum duritie, mollitie, caet.

p. 80. Stomachi morbi, in quibus digeſtio laeſa eſt, ſi Noſtro fides eſt, quam tamen illi non facile in his dabimus, omnes a gaſtricis liquoribus aut quoad quantitatem, aut quoad qualitatem, praeter naturam mutatis pendent. Si mali ſunt aut admodum minuti, digeſtio aut magnopere infirmatur, aut penitus tollitur. Ipſi autem liquores gaſtrici praeternaturales quum a corporis oeconomia praeter naturam comparata pendeant, patet, ad ſtomachi vitia delenda toti corpori ſaepe ſuccurrendum eſſe.

Ipſi autem gaſtrico liquori etiam medicata vis ad morbos complures inſita eſt. Vim, qua vulnera vlceraque glutinat, Clariſſimi viri CARMINATI, SPALLANZANI, SENNEBIER, alii experimentis inſtitutis probarunt, ipſe vero SPALLANZANIUS Noſtrum certum reddidit, ſe eodem gaſtrico liquore calculos humanos liquaſſe, et hoc quidem modo, vt, ſoluto liquatoque animali glutine, quo lapideae maſſae glutinantur et in lapidem coëunt, ipſi hi lapides, a vinculo ſuo glutinante liberati a ſe inuicem diſceſſerint.

p. 89. Noſtro autem mens fuit de fluidorum digeſtione librum conſcribendi, attamen, quum SPALLANZANIUM eundem librum praeparare intelligeret, a propoſito ſuo deſtitit. Experimenta tamen inſtituit circa vim, quam liquor gaſtricus in lacte glutinando habet, eaque cum amico ſuo communicauit. Is, inſtitutis experimentis aliis, obſeruauit, lac vaccinum a ſaliua non coagulari, coagulari autem a chymo, ob gaſtricum liquorem in eo contentum, et a gaſtrico liquore omni, ex quocunque animali deſumtus fuerit. Ipſique vis coagulandi tanta inſita eſt, vt, catulis aſſumto lacte ſtatim necatis, ventriculus eorum coagulatum iam coactumque lac exhiberet.

Con-

Concluſio ex his omnibus (eaque ſatis certe memorabilis) eſt, lac, humorem, qui iam animalem naturam aliquam habet, tamen, vt in cuiuscunque animalis ſubſtantiam tranſire et aſſimilari poſſit, hac coagulatione mutari et praeparari debere, quae praeparatio omnium animalium corpori eo magis neceſſaria eſſe debet, quum liquor gaſtricus in animalibus, ſtatim, vbi nata ſint, hanc qualitatem eadem, quam in adultis, efficacia habeat.

His omnibus praeclare expoſitis, de bilis vſu agitur. Hic humor ex Noſtri mente non ex iis eſt, qui chylum componunt, quum, ſi hoc ita ſe haberet, bilis in ſanguinem cum chylo tranſitura eſſet, quod tamen ipſi a natura denegatum eſt. Ipſe chymi in duodeno inteſtino et ſuperiori inteſtinali tubo contenti color albiſſimus, ſapor dulciſſimus, reſiduaque, abſorpto chylo, flaua et amaricans manifeſte materies ſatis probant, bilem chymo non intime admiſceri. p. 95.

Eadem confirmantur ex eo, quod bilis in inteſtino duodeno tantum in chymum agat, neque, chymo in ieiuno inteſtino abſorpto, bili tantum temporis ſuperſit, vt diſſolutionem inducere valeat (?). Eadem etiam Noſtro excrementorum naturalis qualitas, eaque, quae in alui fluxibus quibusdam decedunt, probare videntur.

Sed ſi bilis hos vſus non habet, inutilis forte penitus foret? Summam ad digeſtionem et nutritionem vſum habet, chymum in chylum mutando, eamque vim potiſſimum exſerit ob qualitates non ſoluentes, ſed praecipitantes ipſi inſitas. Mutationes autem omnes, quas chylus experitur, dum excrementitia materies ab eo ſecernitur, huic facultati praecipitanti bilis ſolum adſcribitur, quam Cl. noſter Auctor inſtitutis experimentis compluribus, mixta cum liquore gaſtrico amygdalarum emulſione,

lacte coagulato bile, probare ſtudet. Praecipitatum autem eſt ex omnibus mixtionibus aliquid, excepto coagulato lacte, quod intactum permanſit.

p. 103. Gaſtricum liquorem ex folliculis glanduloſis et arteriolis in ventriculo excerni SPALLANZANIUS viderat. Modum, quo hic liquor, repleto ab alimentis ventriculo exiſtente, excernitur, a tenſione Noſter explicat.

p. 106. Tandem experimenta enarrantur a GOSSE, V. Cl. circa digeſtionis negotium inſtituta. Facultas huic viro eſt aërem deglutiendi, isque deglutitus atmoſphaericus aër vomitum ei conſtanter concitat. Hinc omnia circa digeſtionem experimenta in ſe ipſo inſtituit; aſſumtis alimentis variis, iisque ſtato tempore, aëre hauſto, vomitu eiectis. Quibus experimentis idem euictum eſt, quod SPALLANZANII experimenta probauerant, ſolui ſcilicet non poſſe alimenta in ventriculo, niſi diluta liquore gaſtrico fuerint, ipſum hunc liquorem celeriter agere, redactis poſt horae et quod excurrit ſpatium alimentis in pultem, quae tamen aliam naturam non induunt, ſed fluida tantum redduntur, neque acidi aut lixiuioſi quiddam oſterunt, nullam etiam fermentationem patiuntur.

Experimenta idem Cl. Vir inſtituit cum alimentis plurimis, quoad facultatem eorum, qua digeſtionem aut nullam, aut difficilem, aut leuem admittunt.

Quae experimenta quum ad diaetam medicinamque omnem plurimum conferant, nec in alio quouis talium experimentorum opportunitas ſit, vomitu a nulla paene medicina, ab innoxio iſto aëre conſtanter excitato, recenſere expedit, quaenam alimenta non digeſſerit, et quaenam difficulter, aut facile expertus fuerit.

I. *Subſtantiae non digerendae*, aut tales, quae ſtato tempore, elapſis ad ſummum tribus horis, indigeſtae penitus redditae ſunt. p. 114.

1) partes tendinoſae et aponeuroticae carnium paene omnium.
2) oſſa.
3) ſubſtantiae pingues et oleoſae animales.
4) oui album coctione duratum.
5) fungi.
6) ſemina oleoſa vegetabilia qualiacunque paene, iuglandes, amygdalae, piſtaciae, nuclei pomorum et complurium fructuum horaeorum.
7) olea vegetabilium pinguia.
8) vitis viniferae baccae ſiccatae, maſticatae.
9) tegumenta externa, quibus fruges, legumina obducta ſunt.
10) cortices externi pomorum, prunorum, fructuum horaeorum, malorum aurantiorum, citreorum.

II. *Subſtantiae vix digerendae.*

1) caro porcina qualicunque modo praeparata.
2) ſanguis omnis coctus.
3) ouorum vitellus duratus.
4) alimenta omnia, quae cum ouis, farina et lardo coctione praeparantur.
5) herbae crudae, quae in acetariis adhibentur, omnes. Amararum, v. g. naſturtii aquatici, facilior digeſtio eſt.
6) braſſica cauliflora, quae braſſica rubra difficilior digeſtu eſt, beta, porrum, cepae, dauci radices, cichorei radices in acetariis.
7) panis recenter coctus, calidus.
8) ficus recentes, ſiccae.
9) omnia, quae coctione cum farina et oleoſis parata ſunt. Hae ſubſtantiae omnes in ventriculo perfecte non ſoluuntur. Perfecta ſo-

lutio ſuccedit aut gaſtrici liquoris vi perdurante, aut bilis actione accedente.

III. *Subſtantiae digeſtu faciles*, hoc eſt tales, quae elapſa hora, aut parte horae adhuc accedente, in ventriculo in pultem ſoluuntur.

1) carnes animalium, pulli gallinacei, ouina tenerior, nec non carnes volatilium, inprimis iuniorum.
2) oua ſorbilia.
3) lac vaccinum.
4) parco piſcis cum aqua coctus.
5) olera, ſpinachia, apium, aſparagus progerminans, lupuli germina teneriora.
6) puls ex pomis variis et horaeis fructibus, nec non ex frumentaceis fructibus, leguminibus, cocta.
7) panis aliaque ex farina ſine butyro cocta, non admodum recentia. Cruſta panis mica facilius non digeritur. Panis ſalſus melius digeritur inſulſo.
8) rapae, ſolani tuberoſi radices.
9) gummi arabicum, quod vero mox aceſcit.

Digeſtionem iuuarunt.

1) Sal marinus.
2) aromata, piper, cinamomum, nux moſchata, caryophylli aromatici.
3) Sinapi ſemen, armoraciae radix, raphani radix.
4) vinum, ſpiritus ardentes paruis doſibus ſumti.
5) caſeus, praeſertim vetuſtus.
6) ſaccharum. Amarae ſubſtantiae variae.

Digeſtionem retardarunt.

1) Aqua, inprimis calida, magnis doſibus ſumta. Hac ſumta, alimenta in inteſtinalem tubum tranſeunt mutationes neceſſarias non perpeſſa.

2) aci-

2) acida omnia.
3) adſtringentia omnia. Corticis Peruuiani ſcrupulus dimidia poſt ſumtum cibum hora ſumtus digeſtionem retardauit.
4) pinguia omnia.
5) Fortis dulcamarae decoctio per diem ſumta digeſtionem alimentorum facillime digerendorum tantopere praepediuit, vt in acorem tranſirent.
6) Eundem effectum induxit kermes mineralis granum poſt prandium ſumtum.
7) Retardata etiam digeſtio eſt ſumto mercurii ſublimati corroſiui grano.

Suſpenſa etiam digeſtio eſt animi occupatione poſt prandium, nec non a pectore antrorſum, ad tabulam flexo. Subuenerunt digeſtioni animi quies, verticalis corporis ſitus, exercitium corporis poſt prandium leuius.

V.

Obſervations importantes ſur l'uſage du Suc gaſtrique dans la chirurgie; aſſemblée par IEAN SENNEBIER: avec quelques additions de M. l'Abbé SPALLANZANI, à ſes experienzes ſur la Digeſtion. à Geneve, chez B. Chirol. MDCCLXXXV. 3½ pagg. 8.

i. e.

Obſeruationes de vſu liquoris gaſtrici in chirurgia, auctore IO. SENEBIER *).

Propoſuerat Cl. Vir in obſeruationibus ſuis in SPALANZANII circa digeſtionem opus varia

 gaſtrici

*) *Wichtige Beobachtungen über den Gebrauch des Magenſaftes in der Wundarzneykunde, geſammelt von* IO-

HANN

gaſtrici liquoris in chirurgia vſum concernentia; verum licet plurimam probabilitatem coniecturis ſuis et obſeruationibus dederit, metus tamen ipſi fuit, ne chirurgi ob naturalem ipſis nouorum experimentorum cum medicamentis ad talem vſum adhiberi hactenus non ſolitis metum, et experimentorum pigritiem haec negligant, obſeruataque Auctoris in immeritam obliuionem labantur.

Sed alius rei euentus fuit. IURINE, doctus apud Geneuenſes chirurgus, certior ab Auctore de obſeruatis ſuis redditus, gaſtrici liquoris vſum in chirurgia tentauit, plurimosque praeclaros effectus obſeruauit, quos omnes diligenter literis conſignatos Auctori tradidit. TOGGIA, medicus veterinarius Taurinenſis, de his certior ab Auctore redditus, eadem experimenta in bobus repetiit, eodem plane cum ſucceſſu, quem IURINE obſeruauerat. SPALANZANIUS tandem, ad quem eiusdem rei fama per Auctorem noſtrum peruenerat, CARMINATUM, in vniuerſitate Patauina profeſſorem celeberrimum, ad eadem experimenta inſtituenda induxit, quae in opere proxime edendo diligenter enarrabit.

IURINI experimenta haec ſunt: Gaſtricum liquorem ex bobus et ouibus elegit, praetuliſſet vero aquilarum gaſtricum liquorem, ſi copia opportuna earum fuiſſet. Qui ſuccus, vt eo copioſior obtineatur, opus eſt, vt animalia diem, priusquam iugulentur, ſine alimento viuant. Colatur is liquor ex ventriculo deſumtus per linteum et in vaſis idoneis aſſeruatur, vſus ipſius vero is eſt, vt vlceroſae partes

HANN SENNEBIER, *Prediger und Bücherſaalaufſeher des Freiſtaates Genf. Aus dem Franzöſiſchen. Manheim in der neuen Hof- und Academiſchen Buchhandlung.* 1785. *in* 8. 48 *pagg.*

partes eo tepefacto bis per diem lauentur, lintea carpta eo imbuta iis imponantur, faſciisque eo madefactis deligentur. Medicina in initiis dolores intenſos excitat, ſub altera tertiaue deligatione perfecte euanidos. Effectus autem medicina hos habet, vt atrociſſimos dolores ſedet, malum exulceratarum partium odorem corrigat, vlcera ipſa purget, puris quantitatem moderetur, qualitatem corrigat, eaque ſatis cito ad cicatricem perducat.

Vt autem cognoſceret Cl. vir, num eadem vi putredini aduerſa gaſtricus liquor ex animalibus valeret, quae victu vegetabili vtuntur, qua is valet, quem carnem vorantia ſuppeditant, experimenta cum gaſtrico liquore ex boue inſtituit, quibus conſtitit, gaſtricum liquorem ex ruminantibus animalibus deſumtum a calore cito putreſcere plurimumque ad putredinem ipſius conferri, ſi carnibus miſceatur. Concluſio ex his experimentis eſt, gaſtricum liquorem, qui aeſtiuo tempore ex ruminantibus animalibus ad vulnera adhibetur, omni die aut ſaltim biduo recenter ex animali deſumendum eſſe.

Sanauit autem hoc medicamento IURINE, V. Cl. vlcus ſerpens in vetula muliere ex varicibus in crure natum ſpatio XIV. dierum, in murario fabro vlcus antiquum tibiam interiorem occupans ſpatio trium hebdomadum, horrendum in alia muliere vlcus in tibia per XVIII. menſes perdurans, ſaniem copioſam, tenuem, admodum male olentem profundens, cum hectica febre. Mitigatum admodum eodem medicamento cancroſum vlcus mammam occupans in foemina eſt. Trienne circa patellam vlcus eodem ſex hebdomadum ſpatio ad cicatricem perductum eſt.

Ad omnia autem vulnera gaſtricus liquor ex auibus ſolis carnibus viuentibus magis valet, ob antiputridam maiorem vim a SPALANZANIO detectam,

tectam, a SENNEBIER confirmatam. Hoc medicamento vlcera plura inaequalia, inueterata, indurata, a venerea adeo labe oriunda, imo ſphacelum ſanauit, ſeparata mortua carne a ſana deciduaque, foetore depulſo, vlcere a carnium lapſu oriundo conſolidato. Cancroſum oris vlcus idem liquor mundum reddidit, ichorem rodentem, foetorem depulit, dolores mitigauit, mali progreſſus retardauit.

Gaſtricus animalium, quae herbis veſcuntur, liquor dolores partium diuturnos ſedat, externe impoſitus, omni eo in caſu, vbi diſcutientia externe adhibere expedit. Depulſi hoc medicamento dolores humeri ſunt continui ex hemiplegia nati. Multum etiam valet idem medicamentum ad contuſiones, tumores partium aquoſos, inflammatorios, nec non ad diſcutiendos tumores a luis venereae miaſmate natos.

Tentatum etiam eſt, quid interne ad ventriculi morbos hic liquor valeat. Cum ſummo ſucceſſu tribus mulieribus datus eſt, quae digeſtionem difficilem cum ventriculi tumore, dolore et virium languore habuerunt, nec non duobus pueris, qui ex ingluuie ſtomachi dolorem atrocem ſibi contraxerant. In alia muliere ex continuis ad vomendum conatibus tabida vomitus hoc medicamento ſublati ſunt. In ventriculi doloribus a laxitate, aut a neruorum ſenſibilitate nimia oriundis ſine omni ſucceſſu datum eſt. Noxios effectus ex ruminantibus animalibus liquor in febribus ſtomachicis edidit, ſperat tamen IURINUS, fore, vt plus vtilitatis liquor ex carniuoris animalibus, ob vim maiorem putredini aduerſam, adferat. Depulſae gaſtrico liquore febres intermittentes autumnales duae et ſex vernales ſunt tribus illius vnciis datis. Fefellit tamen et medentem ſubinde ſpes, ita vt pro certo febrifugo haberi

non

non queat. Mitigatae tamen ſemper a medicamento febres ſunt, eoque adhibito cortici facilius ceſſerunt.

Gaſtricus liquor ex auibus carniuoris ſaporem ſalſum, amarum habet, acidumque manifeſte prodit. Continet reſinam obſcuri coloris, ſaporis admodum amari, animalem eiusdem coloris materiem, ſalis ammoniaci parum, plus marini. Mediae indolis liquorem habent, quae cibo ex vegetabili et animali mixto veſcuntur. Humanus ex aqua copioſa, animali materie et ſalis marini parca quantitate compoſitus eſt. Acidus eſt in animalibus, quae graminibus veſcuntur, non ruminantibus, in ruminantibus, praeter acidum, ſalis ammoniaci particulam continet. Lixiuioſus ſal, quem ſaepe SENNEBIER, V. Cl. in gaſtrico liquore deprehendit, a putredine ortus nec proprius gaſtrico naturali videtur.

Deſtillationi ſubiectus ex carniuoris animalibus liquor gaſtricus dedit plurimam aquam, acidum, pingue et acre oleum ſalſamque materiem odorem ſalis lixiuioſi volatilis habentem. Mortuum caput ſalem marinum exhibet, nec non terram calcaream puram. Animalium, quae variis cibis veſcuntur, liquor gaſtricus dedit aquam plurimam ſubinde alcaleſcentem, ex recenti tamen liquore omnis ſaporis expertem, olei nigricantis, acris particulam. Ex animalibus graminivoris liquor dedit aquam initio alcaleſcentem, tandem acidam, oleum nigrum, acre. Mortuum caput ſalem marinum, alcalinum, terram calcaream exhibuit.

Carniuororum animalium gaſtricus liquor ſine omni putrida corruptione in vaſis vitreis permanſit, donec penitus ab aëre exſiccaretur; ex animalibus, quae mixtis alimentis veſcuntur, plurium menſium tempore ſine putredine permanſit. Eas-

dem

dem qualitates acidus liquor gaſtricus animalium graminiuororum habet, alcalinus autem ſubito corrumpitur.

VI.

SEBASTIAN GOLDWITZ, *der Philoſophie und Arzneywiſſenſchaft Doctors, neue Verſuche zu einer wahren Phyſiologie der Galle. Bamberg, bey Dederich* 1785. *in* 8. 250 *pagg.*

i. e.

Noua experimenta ad indagandam veram bilis phyſiologiam.

Occaſionem libro dedit, in quo plurima experimenta circa bilis naturam vſumque inſtituta continentur, bilioſa epidemia, Vindobonae anno 1778. graſſans. Non ſuffecere Noſtro ad explicanda complura phaenomena in morbis acutis et diuturnis his temporibus crebro obuia ea, quae medici circa bilis naturam erant philoſophati, hinc, abiectis reiectisque omnibus auctoritatem quandam prae ſe ferentibus, ipſe Noſter experimenta, ad bilis naturam eruendam, inſtituit.

Introductionem, qua de phlogiſtici principii in omnibus corporibus naturalibus et animatis praeſentia et actione generatim agitur, bilis hiſtoria ſe-
p. 13. quitur. Verum haec hiſtoria non tali, eoque quo decet maxime modo enarrata eſt, vt hiſtoria experimentorum et opinionum ſecundum temporum ſeriem deducatur, Noſter potius in ſcribenda hac hiſtoria in hoc potiſſimum elaborauit, vt, poſitis expoſitisque contrariis auctorum diuerſis ſaepe temporibus florentium et diuerſis principiis theoreticis deditorum opinionibus, probaret, de vera bilis natura

tura doctrinam non satis hactenus expositam nec experimentis comprobatam esse.

Historiam tractatio *de bile, illius secretione et partibus eam constituentibus* excipit. Quoad constituentes bilem partes auctores, qui experimenta circa eas instituerunt, in eo quidem conueniunt, bilem ex aqua, spiritu, oleo, aëre, et carbone residuo conflari, sed circa alia bilis principia, circa partium memoratarum adeo veram quantitatem, dissentiunt. Salem volatilem in bile visum a quibusdam HOFFMANNUS et SPIELMANNUS non videre. Salem alcalinum mineralem in bile detexisse alii arbitrati sunt, aliorum experimenta docuere, salem marinum bili inesse. Alii alcalinum principium bili penitus denegarunt. p. 36.

Tam dubiis incertisque experimentis et opinionibus medicorum circa bilis veras partes constitutiuas existentibus, Noster ipse, institutis copiose, nec sine studio, quod saepe mirati sumus, experimentis, in eruendis veris bilis partibus elaborauit. Experimenta ignis ope instituta parum eum docuere; conuenere enim, quae ignis extorserat, omnia, cum iis, quae alii, iisdem experimentis ducti, de bilis natura dixerant. Hinc alias vias, neglectas hactenus, ingressus est. p. 50.

Bili recenti bouillae (hanc fere semper elegit ad experimenta sua, quum praestitisset sine dubio, ad bilis humanae naturam eruendam, bilem ex animalibus sumsisse victu ex animali et vegetabili composito vtentibus, tunc certe certiora omnia, dubiisque minus obnoxia euasissent) lixiuiosum salem varium admiscuit. Adfusum miscelae vitrioli oleum efferuescentiam produxit, coagulumque natum est, fluido innatans. Coagulo, fluidoque sapor acidus non fuit. Bili bouillae adfusum vitrioli oleum, intercurrente temporis spatio satis longo, sedimentum

tum profunde virideſcens in vaſis fundo induxit, cum ſapore ſedimenti fluidique ſuperi manifeſte acido. In humana bile eodem modo tractata coagulum ſubito natum, flauusque color in viridem mutatus eſt. Eadem in bouilla bile acciderunt, in qua, ob moram, flauus color natus fuerat, nullo tamen coagulo conſpicuo. Bilis ex boue deſumta ſumme putrida, adfuſo oleo vitrioli, nullum lixiviosi ſalis indicium dedit. Eadem perfecte in humana bile euenere, licet ſumme putrida et tali modo ſeruata, vt aër acceſſum non habuerit.

Efferbuit paululum bilis in aperto vaſe ſeruata, forte cum aliis ſubſtantiis animalibus mixta, alcalinaeque indolis indicia dedit. Attamen cryſtalli, tentata liquoris inſpiſſatione, natae non ſunt. Craſſior pars vaſis fundum petiit, ſuperusque humor manifeſta acidi indicia dedit. Aeſtum, efferueſcentiam, vitri adeo incaleſcentiam excitauit vitrioli ſpiritus bili putridae in anguſto admodum vaſe ſeruatae adfuſus. Sed talia in ampliore vaſe non euenere, in quo coagulatio ſine turbis omnibus ſequuta eſt. — Concluſio hinc eſt Noſtro, auctores, inſtitutis hoc modo experimentis ſuis, alcalinam indolem bili tribuiſſe, quum tamen phaenomena omnia, quibus ſeducti alcali ſuſpicati ſunt, a vaſis anguſtia origines duxerint. Caeterae concluſiones ex his experimentis ſunt, lixiuioſum ſalem nec in naturali, nec in putrida bile contineri, eundemque ſalem bili conſtituendae non accedere.

Circa olei praeſentiam in bile ab omnibus ſtabilitam et chemicis experimentis confirmatam quaeſtio a Noſtro iure mouetur, num, licet experimento oleum ex bile vi extorqueatur, idem oleum bilem naturalem, ſanam, igne non tortam ingrediatur. Deſtillatione itaque bilis ab auctore noſtro inſtituta, albicans quaedam pinguisque materies re-

tor-

tortae collo adhaesit, quae collecta, attactuque, dum caluit, lubrica, aquae iniecta fundum vasis statim petiit; chartaeque calefactae iniecta, notas chartae nullas, ab omni pinguedine alias residuas, impressit, sed lente exsiccata massam exhibuit, in aqua non solubilem, lymphae ignis ope coactae forsan propaginem.

Bili vetustae adfusa aluminis solutio albidam massam, pinguedinis solidae nomine ab HOMBERGIO insignitam, statim produxit. Eandem produxere acida omnia, tam mineralia, quam vegetabilia, hoc tamen modo, vt vitriolum album, ferri vitriolum fuscum, coeruleum vero viridem massae colorem induceret. Haec massa exsiccata lente duram, friabilem se exhibuit, albumque colorem retinuit, artificiali vero, aut naturali solis calori expositа, albus color in flauum, postea in viridem, deinde in fuscum, tandem in nigrum mutatus est. Fundum vasis semper aquae iniecta petiit. Chartae iniecta et carbonum calori expositа statim cerae instar liquata est, acidosque vapores emisit, nulla pinguedinis in charta relicta nota. Igni expositа statim flammam concepit. Massa haec cum clauellatis cineribus aqua solutis cocta verum sulphuris hepar exhibuit, quod hepar, institutis etiam sicca via experimentis, pariter productum est. Nec saponis indicia experimenta dedere.

Concluſio ex his omnibus est: in bile oleum nullum contineri: oleum, quod destillatione bilis instituta obtinetur, non bili, sed lymphae coagulabili proprium esse: talem huius olei miscelam, quae saponiformem miscelam constituat, in bile non adesse, massam denique acidorum ope a bile separatam indolem adiposam non habere, sed sulphuream.

Experimenta etiam circa aërem in bile contentum inſtituta ſunt, iisque, ſed non copioſis, nec hoc modo inſtitutis, vt omnem dubitandi occaſionem amoueant, patere putat Noſter aërem nullum in bile contineri.

p. 86. Maiorem attentionem merentur, quae de ſale lactis ſaccharo aemulo in bile contento proferuntur. Experimentis in altera operis parte deſcribendis eo ſcilicet Noſter peruenit, vt ſiccatione et lotura lapideam ex bile maſſam obtineret. Haec maſſa ſpiritui nitri dulci iniecta in eo liquata eſt, remanſere tamen corpuſcula alba, ſubrotunda, quae dentibus fracta et ſaliua ſoluta ſaporem dulcem excitarunt. Eadem corpuſcula in alia lapidea materie cum nitri ſpiritu non tractata crebro ſe exhibuerunt. Sed bouilla bilis verno tempore collecta hunc ſalem tantum exhibuit. In humana, anſerina, piſcina bile experimenta ſumma cura inſtituta eam non demonſtrauerunt.

Varia etiam circa ferri praeſentiam in bile experimenta inſtituta ſunt. Vitrioli oleum bili veteri adfuſum coagulationem ſolitam ſtatim induxit. Elapſis diebus aliquot liquor, in quo coagulum ſubſederat, pulchre viridem colorem, et vitriolicum ſaporem habuit, cum lixiuioſo tamen ſale non efferbuit. Gallarum decoctio huic liquori adfuſa colorem in illo lacteum, non pellucidum ſtatim induxit. Eundem colorem produxit ſpiritus ſalis ammoniaci liquori adfuſus. Natum autem poſtea ſedimentum eſt, nullum ferrum continens. Nec aliis experimentis ferri in bile praeſentia euinci potuit.

Quibus omnibus copioſiſſime et cum experimentis plurimis expoſitis, ex quibus ſequitur, alcalinum ſalem, oleum, aërem, ferrum partibus bilem conſtituentibus adnumerari non debere, ad veras partes bilem conſtituentes tranſitus eſt.

Vt

Vt autem hae partes exacte cognoſcantur, ſcire 98
expedit, bilem ex duobus diuerſis humoribus conflari, humore ſcilicet ipſi proprio et lympha coagulabili. Lympham coagulabilem in ea contineri, coagula ab acidis adfuſis in ea oriunda iam probant. Haec vero coagula lympham puram non exhibuerunt, eo tandem Noſter peruenit, vt eam puram obtineret.

Sed quodnam principium bili amaritiem, colorem, eam proprietatem, qua flamma admota inflammatur, qua cum ſalibus lixiuioſis in hepar ſulphuris mutatur, impertit? Hoc inflammabile ſine dubio eſt. Eiusque principii praeſentiam experimentum euicit, quo calx viua humori iniecta, ex quo coagulum omne iam ſubſederat, humori aquoſo penitus et omnis ſaporis experti colorem viridem, odorem bili recenti proprium, ſaporem amarum, et acido adiecto pronitatem ad coagulandum impertiit.

Terrae in bile praeſentiam euicit experimentum, quo bilis inſpiſſata, aqua ſoluta, in eaque ſaepe lota, terram reſiduam exhibuit gryſeam, omnis ſaporis expertem, odore moſchum referente praeditam, inflammabilem, ablato vero inflammabili principio calcaream cum acido phoſphori in ea contento.

Aquoſus humor ex putrida bile praeparatus, inodorus pariter et ſaporis expers, calce viua adiecta ita mutatus eſt, vt colorem ex fuſco flauum putridae bili aemulum indueret.

Secretionem bilis quod attinet, in eo quidem Noſter cum BOERHAAVIO conſentit, ſanguinem ex portarum vena iecinori allatum putridarum ſubſtantiarum partem admodum copioſam continere, non vero concedit, hunc ſanguinem eam ipſam ob cauſſam lixiuioſo ſale refertum eſſe, quum lixiuio-

ſus ſal putredinis ſummae ſoboles ſit, quae in viuo animali corpore locum habere nequeat: affirmat potius, quum inflammabilis principii euolutio ſolutioque a putredine primum producatur, eundem ſanguinem hoc principio plenum ad iecur conuehi. Eiusdem principii inflammabilis copiam ſanguis in ſplene ſtagnans liquatusque contrahit. Arteriis hepaticis id tribuitur, quod partes craſſiores cum inflammabilis principii parte, terreas et mucoſas ex ſanguine ſecernant.

p. 117. Altera operis parte *bilis proprietates et agendi modi, nec non bilis in corpore animato vſus* pertractatur.

Externas bilis proprietates quod attinet, vidit Noſter, bilem ab hiemali frigore in glaciem lamelloſam tranſiiſſe, inſperſo lamellis liquore a frigore 19. graduum thermometri Reaum. non coagulabili, ipſam bilem ſerius a frigore ſemper, et ad gradum tantum 6. coagulari. Siccatam ignique admotam ignem concipere, at facile exſtingui, agitatam in ſpumam mutari, in humido aëre admodum liquari.

Bilis in olea varia actis variis experimentis varie demonſtrata eſt. Olea expreſſa varia bilis a diverſis animalibus deſumta non ſoluit, non in vnum corpus redegit, quamuis admodum agitaretur mixtus humor. Nec tritura oleo bili admiſcendo ſuffecit. Amygdalae cum bile tritae emulſionem non dederunt, amygdalino oleo tritura expreſſo bili pertinaciter innatante. Nec hoc effecit bilis, vt communis aqua oleo admiſceretur. Eadem perfecte phaenomena deſtillata olea exhibuerunt bili nullo modo, nec aqua interueniente, admiſcenda. Balſamum Peruuianum aliaque mutata quidem ſunt paululum, Peruuiano lacteus color inductus eſt, balſamum vero de Copaiua in cremorem mutatum, at

at aquae haec balſama non admixta ſunt. Subſedere in fundo vaſis reſinae qualescunque naturales et arte factae.

Nunc ad veram bilis actionem tranſitus eſt. Prima Noſtro eſt, *quod oleum ex ſubſtantiis, quibus admixtum eſt, propellat.* Charta oleo ricini ſaturata aquam non tranſmiſit, bilem vero ſtatim. Oleo ſaturata charta emporetica bilem non tranſmiſit. Literarum notae chartae a typographis impreſſae deletae ſtatim ſunt, ſi talis charta bili exponeretur. Concluſio ex his experimentis omnibus eſt, bilem, quam amicam oleis BOERHAAVIUS putaverat, iis inimicam pertinaciter eſſe. p. 145.

Sed peculiarem agendi modum bilis habet olea qualiacunque in cremorem mutando. Hic modus agendi bili proprius, et ab omnibus hactenus non viſus, experimentis compluribus demonſtratur, admixta bile oleo amygdalarum, ricini oleo, cum ſapone ſoluto, ipſis amygdalis minutim conciſis, lacti. Eundem cremorem bilis ſumme foetida produxit, bouilla, humana, ſemperque hic cremor natus eſt, admixto, licet ſaepius bili, quae olea in cremorem mutauerat, recenti oleo. Bilis vncia olei tenuioris ſcrupulum in cremorem mutauit. Bilis, quae exhalatione craſſior euaſerat, vncia olei ſcrupulos duos in cremorem mutauit.

Altera bilis actio ea eſt, quod acidam fermentationem impediat. Lac bili mixtum elapſis horis XXIV. acidum odorem non exhibuit, nec fermentationis vllius indicia, ſeruata in calido loco miſcela. Sed partes lactis admixta bilis perfecte ſeparauerat. Acidam panis ſecalini dentibus maſticati fermentationem in ſpirituoſam bilis addita ſtatim mutauit. Bilis pani addita, qui fermentationem acidam non paſſus fuerat, fermentationem accelerauit, ſed non p. 161.

acidam, verum ſpirituoſam. In putredinem maſſa poſtea tranſiit, ſine vllo acidi veſtigio.

Experimentis nunc eruitur, quid acida in bile recente et putredine corrupta efficiant. Vini acetum bili recenti additum eam non mutauit. Vitrioli oleum in eadem bile ſedimentum profunde viridescens produxit. Elapſis aliquot diebus eadem bilis ab eodem oleo in albidos grumos coagulata eſt. Experimenta omnia comprobarunt, acida in recentem bilem aut non, aut leuiter agere, in bile vetuſta vero coagulationem ſtatim producere. Bile acidis mixta, liquor, adiecto lixiuioſo ſale, acidi nulla indicia dedit.

p. 171. Quaeſtio nunc eſt, quomodo chylus praeparetur. Chymus, qui ex Noſtri ſententia in ventriculo acidae fermentationis initia paſſus fuerat, in duodeno inteſtino cum bile miſcetur, quae eum penetrat, praeſentem iam fermentationem accelerat, acidam fermentationem in ſpirituoſam mutat, aërem expellit, ſales obtundit, particularum oleoſarum cohaeſionem cum aliis partibus ſoluit, easque, cremoris forma, ſine vllo muci adiumento in chymi ſuperficiem propellit. Isque cremor chyli nomen habet.

p. 177. Tertia operis particula plurima continet, quibus quaeſtiones variae enodantur. Prima eſt, num bilis lactis coagulationem impediat. Experimenta docent lactis coagulationem a bile non praepediri, illius potius coagulationem a bile induci, eamque ea fortiorem eſſe, quae a vini aceto inducitur.

Altera eſt, num bilis aëris in inteſtinis contenti copiam minuat. Experimenta probarunt, aërem non minui, imo a bile addita augeri.

Tertia eſt, num bilis in ſanguinem retrocedat, quod de bilis ſubtilioribus particulis affirmatur, de naturali vero bile negatur.

Quarta

Quarta eſt, num bilis ſanguinem ſoluat. Sanguinem in grumos coactum non ſoluit. Quum autem ſanguis, vena ſecta, in vas infunderetur bilem calefactam continens, ſanguis ſero coiit, coagulata pars admodum mollis attactu fuit. Patet hinc, ſanguinem a bile ſolui.

Quinta eſt, num excrementitius humor bilis ſit. Secretorium et excretorium ſimul eſſe aſſeritur. P. 195.

Sexta eſt, num bilis in chylo parando ipſa mutetur. Excrementa aluina humana cum aqua terendo tractata aquae flauum colorem dederunt. Adfuſo huic aquae vitrioli oleo, aqua ſedimentum depoſuit, coagulo accedens, rubrum. Concluſio eſt, bilem non mutari.

Septima eſt, num bilis in veſicula fellea contenta hepaticae praeſtet. Adſeritur, eam praeſtare, omniaque experimenta optatum magis habuiſſe ſucceſſum, bile ad ea adhibita, quae mora aliqua vim fortiorem contraxerat.

Octaua eſt, num bilis cum adipe conueniat. Bilis grauitatem ſpecificam longe maiorem habet, amarities pinguedinis ranceſcentis et amaricantis longe alia eſt, quam ea, quae bili propria eſt. Sapo demum ex bile praeparari nequit.

Tandem rationes in fine operis copioſae adducuntur, quare lac, morbo putrido perdurante ano iectum, ſtatim coaguletur, quare homines, in quibus bilis abundat, nullo ſymptomate acidum indicante vexentur, caet.

VII.

Materialien für Gottesgelahrheit und Religion. Erſten Bandes zwote, dritte und vierte Sammlung. Gera bey Beckmann. 1785. in 8vo.

i. e.

Materialia ad theologiam et religionem. Voluminis primi faſciculus II. III. IV.

Ad medicinam biblicam pertinentia plura in hoc opere occurrunt ab ACKERMANNO, V. Cl. profecta, quorum breuem enarrationem exhibere lubet. Primi faſciculi cenſuram iam dedimus *).

p. 57. Altera pars enarrationem morborum exhibet, qui in noui teſtamenti libris memorantur. De paralyſi noui teſtamenti inprimis agitur, quam inter ſanatos a ſoſpitatore noſtro morbos biblici ſcriptores frequenter memorant. Difficultatem autem quandam explicationis habent ſymptomata paralyſi a ſacris ſcriptoribus adſcripta, huic morbo alias non communia, dolores ingentes videlicet, βασανοὶ, qui ſummum cruciatuum gradum indicant, aliaque non paralyſi, quo ſenſu apud medicos ſumitur, ſed potius articulorum rigori communia.

Vt autem paralyſin noui teſtamenti interpretes medici paralyſi medicorum accommodarent, in varias ſententias tranſierunt. Quidam, videntes, paralyſin in colica pictonum dolores ingentes ſequi, eiusdem generis has paralyſes fuiſſe putarunt, ſed parum ſano conſilio; de pictonum enim colica conſtat, vtrum eo tempore homines tam frequenter inuaſerit. Alii rariſſimis exemplis reſolutionis nervorum ducti, in qua motus deficit, ſenſus autem ſubin-

*) In Commentar. noſtror. Vol. XXV. part. III. p. 472.

ſubinde paulo acutior remanet, noui teſtamenti paralyſin pro tali habuerunt: verum nec apud hos veritas eſſe poteſt, ſiquidem tam rara reſolutionis neruorum cum dolore in partibus adfectis aucto exempla ſunt, vt Noſter vix vnum alterumue in libris medicorum omnis aeui inuenerit. — Suadet hinc ſana ratio, vt diſpiciatur, quid veteres de paralyſi ſenſerint, quorum in morbis notiones noui teſtamenti ſcriptores forte ſequuti ſunt: verum nec hi ſub paralyſeos morbo alium intelligunt, quam talem, in quo aut ſenſus motusque, aut ex his alter reſolutus ſit, de ſenſu aucto motu deperdito in paralyſi non loquuntur, licet diuturnitatem morbi ſummam, difficultatem ſanationis, corpus mouendi impotentiam, caet. omnes concedant. Hinc alii ad ſpaſmos tranſiere, cum paralyſi coniunctos, vt G. W. WEDELIUS, qui vero dolorem non excitant; alii verbum βασανίζεσθαι non de doloribus vere exiſtentibus, ſed de morbi magnitudine, intenſitate et difficultate intellexerunt.

Verum aliam ſententiam, et quidem iure, vt videtur, Noſter tuetur. Praemonitis quibusdam de morbis, qui in nouo teſtamento memorantur, maxime ex methodicorum veterum ſcriptis ſyſtemateque explicandis, quaenam COELIUS AURELIANUS de paralyſi ex antiquiorum methodicorum ſcriptis tradiderit illuſtrantur, et cum iis, quae noui teſtamenti ſcriptores de paralyſi memorarunt, conferuntur. Ex iisque patet, duo paralyſeos genera methodicis fuiſſe, alterum *extenſione*, quod paralyſis recentiorum veterumque omnium eſt, alterum *conductione* effectum, in quo articuli cum dolore contrahuntur, et motus cum dolore difficultas eſt. Hanc conductione effectam paralyſin methodicorum, ſiue articulorum contracturam recentiorum paralyſin fuiſſe, quam in nouo teſtamento

ſcriptores memorant, collatis methodicorum compluribus cum ſcripturae ſacrae locis copioſe probatur.

Tandem, quidnam miraculi in ſanationibus huius paralyſeos ſpeciei a Chriſto copioſe peractis ſubſit, expenditur, eam praeſertim ob cauſſam, quoniam plures e recentioribus omnia ſoſpitatoris noſtri miracula in ſanandis morbis peracta negare, ſaltim parui facere videntur. Probatur autem, paralyſin N. T. talem morbum non eſſe, qui adhibita quacumque naturali medicina ſubito cedat, et ſanationes paralyſeos a Chriſto breuiſſimo tempore peractas vim communes naturae vires excedentem certiſſime ſupponere.

p. 24. Tertia parte de partium ſingularium corporis humani extenuatione agitur ad loca S. S. 1. Reg. 13. 4. Matth. 12, 10. Marc. 3, 1. Luc. 6, 6. Ioh. 5, 5. illuſtranda. Ξηρότης Graecorum eſt, aridura membrorum Latinorum, cui explicandae Cl. vir operam dedit. Hoc nomen morbo dederunt LXX. interpretes, quo Ierobeam rex affectus eſt, quum ſacris adminiſtrandis temere operam daret. Aridura articulorum cum contractura eum hominem affectum fuiſſe putat Noſter, qui ad Bethesdae piſcinam per longiſſimum tempus decubuerat, non paralyſi, vt quidam putarunt; paralyſis enim aut ſenſus, aut motus, aut amborum impotentiam ſupponit, qua aeger ad Bethesdae piſcinam decumbens non laborauit.

Notandum in morbo regis Ierobeam maxime hoc eſt, quod protenſa manus, morbo rege ſubito adfecto, hunc ſitum retinuerit, adeo vt rex retrahere ad truncum manum nequiuerit. Aegri vero noui teſtamenti eodem aridurae morbo adfecti adfectos articulos extendere non potuerunt. Videtur adeo aeger ad Bethesdae piſcinam a Chriſto ſoſpitatore

ſana-

ſanatus infernos articulos retractos habuiſſe, cum corpus quidem, attamen lente, mouere poſſet, non tamen ab altiori loco in profundum decedere. Sequitur inde, regem Ierobeam, licet verbis morbus eius deſcribatur, quae exſiccationem manifeſte ſupponunt, morbo diuerſo ab iis laboraſſe, quo aegri N. T. adfecti fuerunt. Nec fieri potuit, vt protenſum regis brachium exſiccaretur, ſi etiam ſupernaturalem in inflicto hoc morbo vim ſtatuimus, quum exſiccatus articulus qualiscunque, naturali lege retrahi ſemper attrahique debeat. Indeque Noſtro concluſio eſt, regem, terrore ſubito et ingenti a prophetae aduentu prehenſum, tetano manus extenſae particulari adfectum eſſe.

Vera manus aegrae aridura aeger laborauit, cuius mentio Matth. 12, 10. Marc. 3, 1. Luc. 6, 6. occurrit. Nec de morbo, quo aeger ad Bethesdae piſcinam decumbens laborauerit, dubitationes magnae ſunt, maiores autem circa ſalutiferam piſcinae ipſius virtutem a doctis viris motae ſunt.

Complures medici virtutem hanc ab animalium partibus in hac piſcina maceratis et putreſcentibus deduxerunt, ſed haec explicatio difficultatibus ſummis oppreſſa eſt. Minorem longe difficultatem in explicando hi habent, qui omnem vim piſcinae a particulis mineralibus coeno inſitis, motoque coeno cum aqua aquae ipſi communicatis explicarunt.

Quarta parte de mortuis in vitam reuocatis, quorum mentio in veteri et nouo teſtamento occurrit, agitur. p. 73.

Omnia eo redeunt, vt diſcrimen vere mortuorum, eorumque, qui apparenter mortui ſunt, recte conſtituatur. Apparens mors Noſtro ea eſt, ſi ſublatis effectibus virium vitalium externis omnibus, in organis interioribus, corde, vaſis maioribus, motus adhuc quidam locum habet, arte, admota

mota debita medicina auxiliisque, reſuſcitandus. Alia eiusdem mortis ſpecies ipſi ea eſt, ſi, ſuſpenſis ad tempus virium vitalium effectibus penitus, ipſae vires vitales earumque organa in hoc ſtatu ſunt, vt adhibito conuenienti auxilio ſopitae vires excitari iterum poſſint.

Notiſſima medicis exempla ſunt hominum, quos vere mortuos plurimi putauerant, in vitam reuocatorum, quae copioſe ab Auctore noſtro, in theologorum vſum, ad quos talia non copioſe proueniunt, ſunt prolata. Notiſſima ſunt, quae de incertis admodum mortis verae ſignis, de diligenter iis explorandis, medici copioſiſſime expoſuerunt.

p. 97. Traditis copioſe iis omnibus, tranſitus ad ea eſt, quae de mortuis in vitam reuocatis in veteris nouique teſtamenti ſcriptis occurrunt. Puer, quem Elias in vitam reuocauit. I Reg. 17, 17. morbo ſine dubio laborauerat ſubitaneo, a pituitoſa conſtitutione oriundo. (Conuulſiones ſupponere videtur Noſter, aut epilepſiae inſultus.) His morbis, ſi ſubito necant, apoplexia ſatis frequens eſt, ſubinde animi deliquium, perdurans ſyncope. Modus, quo Elias vitam puero reddidit, ſatis probat, puerum vere mortuum non fuiſſe; Elias enim ſuum calorem puero impertiit, et preſſione oppreſſam reſpirationem reuocauit. Nec pertinaciter vita ſopita ſanationi reſtitit, puero poſt adhibitum auxilium reuiuiſcente.

Puer, quem ſol nimius laeſerat ita, vt vita ipſi non ſupereſſet, omnia inſolationis ſymptomata paſſus eſt, et apoplecticorum modo vita priuatus. Ex his multi in vitam reducuntur, debito adhibito auxilio. Tale auxilium adhibuit Eliſa exanimi puero, cuius corpus in locum ſoli non expoſitum translatum fuerat, ſpiritum inhalando.

Vitam

Vitam perfecte non perdiderat is, qui iniecto corpore suo in Elisae sepulcrum in vitam reducebatur. II Reg. 13, 21. Plura huic opinioni fauent, propera admodum Iudaeis sueta cadauerum sepultura, cadaueris in antrum sepulcrale Elisae proiectio violenta.

Eutychum (Act. Apostol. 5, 6 — 10.) ipse Paulus non pro mortuo habuit, animam, ψυχὴν, ipsi adhuc inesse omnibus dicens. Frequentia omnibus paene sunt symptomata mortem perfecte referentia, quibus caput vehementer laesum est.

Iairi filia, Matth. 9, 18. Marc. 5, 22. Luc. 8, 41. statim vitam ediderat, quum Christus in auxilium vocaretur. Morbi, quo occubuit, nulla mentio apud scriptores est. Ipse adeo sospitator noster confessus est, animam puellae adhuc supereſſe dormienti, nulla vitae indicia edenti. Physici tamen auxilii nulla mentio occurrit, nisi quod Lucas perhibeat, Christum alta voce exclamasse, manu illius prehensa.

Minorem longe dubitationem admittit adole- p. 112.
scentis historia Luc. 7, 11. a Christo, quum ex vrbe efferretur, quasi in transitu in vitam reuocati. Omnia in hac historia opinionem confirmant, iuuenem vere mortuum, aut saltim supernaturali vi in vitam reuocatum esse, physica auxilia adhibita nulla, reuocatio in vitam verbis: adolescens surge, peracta, caet. Minimam, imo nullam penitus dubitationem Lazari historia admittit, cui, vere mortuo, diuina sospitatoris omniaque humana longe excedens vis vitam salutemque reddidit.

VIII.

VIII.

FRANCISCI HENR. BIRNSTIEL, *med. Doct. ciuit. Bruchſalienſ. atque in eadem copiarum militarium, noſocomii F. F. miſericordiae ad St. Lazarum dicti, orphanotrophii et ſophroniſterii nec non caeteri principatus Spirenſis ciſrhenani ordinarii phyſici et medici*, de dyſenteria liber, ſiſtens praeter completam dyſenteriarum in annis 1778. 1779 et 1780. epidemicarum hiſtoriam huius morbi, ſingularem naturam, cauſſam et Hippocraticam medendi methodum vna cum perbreui morborum intercurrentium recenſione. Mannhemii, impenſis C. F. Schwan et Goetz. MDCCLXXXVI. 20 pagg. in 8v.

Frequentiſſimus pernicioſiſſimusque dyſentericus morbus quum ſit, laudabili cura factum eſt, vt magiſtratus medicique praeſtantiſſimi illi partim auertendo, partim mitigando, operam darent, efficacem quidem felicemque in eo, quod diri morbi poteſtas noxia decreuerit, non talem autem, vt parcum ex hac peſte periculum hominibus ſuperſit. Hinc et ſua Noſter conferre ad eiusdem morbi hiſtoriam et curationem, ſuadentibus inprimis ſummis in arte medica viris IO. PETRO FRANCK et MAXIMILIANO STOLL, non recuſauit, tradita primum morbi atrocis a ſe obſeruati hiſtoria, expoſitis poſtea cauſſis ex auctoribus medicis, tandem curatione morbi data.

Hiſtoria dyſenteriae anni 1778. *vna cum ſuccincta et generica morborum intercurrentium recenſione.* Pleuritis rheumaticam indolem habens, nec ſolis ſputis, ſed ſudore et vrina ſimul iudicata, hyeme graſſata

eſt, poſtea idem morbus putridae labi adiunctus eryſipelatoſam pulmonum inflammationem concitavit, non venaeſectione, ſed vomitu, alui fluxu concitato, quem aegri cum leuamine tulerunt, ſanandam. Morbus ante vigeſimum diem vix iudicatus eſt, neque decurſum, ſuetum aliis acutis morbis, ſeruauit. Arnicae radices, camphora, ammoniacus ſal, ad hunc morbum admodum valuerunt.

Intercurrentes huic morbo febres remittentes, gaſtricae, copioſae, eryſipelati aut veſiculari exanthemati in capite adiunctae crebro obſeruatae ſunt, quae in intermittentem tertianam frequenter transiere. Iunio menſe, ſub ardoribus ſolis intenſiſſimis diarrhoeae huic febri copioſe adiunctae ſunt. Iulio febris cum torminibus et depreſſorum ſpirituum vitalium ſymptomatibus aucta eſt, aegrique in inteſtinorum difficultatem delapſi ſunt, quae Auguſto menſe, ſparſo admodum contagio, homines, nulla aetate excepta, inuaſit. Rheumaticam indolem morbus, primis diebus, manifeſte habuit, bilioſis ſimul ſordibus ſurſum turgentibus, vomitu immani cum acerbo dolore iuncto ſimul vtplurimum excitato. Vomitum aluus torminoſa, copioſa, crudeli teneſmo iuncta, excepit, morbusque in initiis, adminiſtrata leniter purgante et mucilaginoſa medicina, facile depulſus eſt. Qui grauius aegrotabant, tertio die horrore nouo correpti ſunt, cui ſiccus calor cum ſcabra ariditate, ſiti, ſummas anxietates, ſingultum aut ſingultuoſos ructus inducente, ſucceſſit. Largi viſcidique ſudores tormina admodum intenderunt, aluus autem copioſe quidem, at parca, ichoroſa, ſanguinolenta, ſpumoſa, vna cum inteſtinalis tubi ramentis reddita eſt, flammea ſimul et paene intercepta vrina. His omnibus adiuncta ſummae debilitatis et neruorum peſſime adfectorum ſymptomata.

Poſt

Poſt quatuor aut ad ſummum duodecim dies febris vel in ſanitatem tranſiit, vel in exquiſite putridam, anginam inflammatoriam, parotides inflammatas, in decubitus ad articulos, vel in maniam mutata, aut ſanguinis profuſione quadam iudicata eſt. Nouam autem febrem horror leuis, minutis torminibus, indicauit. Adiuncta ei ſymptomata peſſima quaeuis, ſingultus, extremorum frigus, internis partibus calentibus admodum, abdominis inflatio, mors. Vomitum concitantes medicinas non facile, nec ſemper tulit morbus, ob internarum inflammationum metum: plus effecere purgantia mitia, ex rhei radice confecta, mucilaginoſa, dolorem et neruos ſopientia. Sequuntur vndecim morborum hiſtoriae, quibus dicta illuſtrantur.

p. 65. *Hiſtoria dyſenteriae anni* 1779. Hyeme febres catarrhales acutae cum eryſipelatoſo tumore graſſatae ſunt, remittente vero Ianuario menſe hyberno frigore, pleuritides, pleuroperipneumoniae, morbique rheumatici acuti plures inuaſerunt. Febres inſultum, rheumaticorum inſtar, omnes paſſi ſunt, pectoris tamen acuti morbi tuſſi ſputis copioſe eiectis omnes iudicati ſunt. — Februario menſe, diuturnis exceptis morbi pauci, Martio vero exeunte colici dolores, torminibus cum teneſmo adiuncti, frequenter homines corripuerunt. Euacuantia parum ſucceſſerunt, ſignis tamen impurae colluuiei praeſentibus. Sanitas aegrotis mucilaginoſa medicina et camphora cum nitro data reſtituta eſt. — Poſtea remittentes et intermittentes febres, venae ſectionem facile ferentes, phlogiſticae, poſtea euacuantibus medicinis ſanandae apparuerunt, et dyſenterici morbi Aprili menſe initia, qui a Iulio vſque ad Octobrem menſem latiſſime diſperſus plurimos corripuit pluresque iugulauit. Exortum dupli-

duplicem habuit, alterum, febri insigni lassitudine adiuncta, cum vomendi conatibus, qui tamen absque colluuiei impurae indiciis perstiterunt, quo in casu mucilaginem praebentes medicinae cum maximo leuamine succesſuque datae sunt, alterum, cum plurimo ardore, aluo copiosa, sanioſa statim, lotio intercepto, erysipelatoso oris tumore, sordium in primis viis collectarum signis, dolentibus praecordiis. Qui morbus vbi in vltimum stadium, illi perfecte simile, quod elapso anno finem tristem vtplurimum morbo imponebat, transiit, accedente praesertim singultu, semper paene mortem attulit. Dicta, sex morbi historiis adiectis, copiose illustrantur.

Historia dysenteriae anni 1780. Rheumaticam iterum indolem dysenteria huius anni, morbique eam praecedentes alii habuere. Martio mense frigidissimo et hyberno magis, quam verno, copiosissimi biliosi morbi, rheumaticum genium habentes, exstitere, inprimis biliosa pectoris inflammatio, venaesectione, iterata etiam, datis postea emeticis et aluum leniter ducentibus medicinis, et vesicante emplastro dolenti pectoris regioni imposito sanata. Quosdam etiam, rheumatismis antea affectos, silente dolore attonitus morbus inuasit, at vesicantibus et antimoniatis medicinis restitutos. Aprili mense inflammationis nota in pectoris acutis morbis manifestior, qui tamen biliosam manifestam indolem habebant, vt adeo pleuritis ictero etiam iudicaretur, acido - dulcibus et saponatis medicinis facile profligando, aut biliosa diarrhoea spontanea, larga, aliquot dies persistente. Sudor pauciſſimis erupit. Morbus eodem modo, quam Martio mense, sanatus est. Variolae etiam discretae grassatae sunt, duranteque hoc populari morbo ad vnum fere omnes alio morbo, varioloso multum adfini, vexabantur, p. 91.

remittente febre, cum tuſſicula et crebra ſternutatione, lacrymantibus oculis, accelerato ſpiritu, aquoſo vomitu, difficili deglutitione, ſopore, qui tamen mortem vix vlli intulit, ſudore quippe ſpontaneo, ſalutari iudicatus.

Iulio remittens bilioſa febris cum torminibus et aluo ſubinde ſanguinolenta apparuit, ſanguinis detractione, mucilaginoſa medicina, et ſale ammoniaco ſanata. Quosdam dyſenteria iam intercurrens necauit. Auguſto menſe arthritis inflammatoria, rheumatici et eryſipelatoſi maligniſſimi ingenii morbi, furunculis et anthracibus coniunctis, periculoſiſſime decurrentes et quosdam adeo necantes, obſeruati ſunt. Dyſenteria ſimul plurimos inuadens Nouembri menſe demum ſiluit, aut cum impuritatis in primis viis collectae ſignis aegrotantes inuadens, aut ſine iis. Facilius morbum tolerarunt, quos febris ſtatim corripuit, difficilius, qui ante febrem tormina per aliquot dies fuerant perpeſſi; in his enim vires aegrotantium ſtatim admodum lapſae ſunt. Morbum vtrumque ſudor calidus excepit, quo perfecte iudicatus eſt. Aegrotantium hiſtoriae nouem adiectae ſunt, quibus epidemiae indoles et medendi methodus illuſtrantur. Qui dyſenterico morbo colluuiei impurae experte laborarunt, mucilaginoſis praeſertim medicinis et ammoniaco ſale reſtituti ſunt.

p. 131. Morborum, quas hactenus commemorauimus, hiſtoriae, tribus ſectionibus pertractantur. Quarta *de cauſſis dyſenteriae* agitur. Sed in his enarrandis nimio fere et inutili ſtudio auctor verſatus eſt. Quum enim conſtet inter medicos, auctores in diuerſas admodum de dyſenterici morbi originibus et natura opiniones tranſiiſſe, veterum inteſtinorum difficultatem longe aliam, quam recentiorum, fuiſſe, latamque admodum eiusdem morbi apud veteres ideam,

ideam, sequitur, veteres alias etiam longe morbi sui causſas dediſſe, quam recentiores, qui ſub dyſenteriae nomine non tam late patens morbi genus comprehenderunt. Hinc ad vtilitatem qualemcunque huic tractationi conciliandam certe opus fuiſſet ſegregatione quadam idearum, qua omnis vitata confuſio certoque morbo certae cauſſae aſſignatae forent: ſed hoc non perfecit Noſter. Plura quidem legit, verum ſine ſtudio rerumque iuſta aeſtimatione, vt adeo haec libri pars non digeſtam bene vſuique commodam cauſſarum enumerationem, ſed inconditam nullamque vtilitatem afferentem rerum ab auctoribus diuerſis, mendacibus et vera referentibus, farraginem contineat. Nec eſt, quod eam ob cauſſam Noſtrum laudemus, quod adducta librorum a ſe lectorum tanta mole doctrinam quandam affectet, ſiquidem tale doctrinae genus facile ſibi comparare quisquam poteſt, qui libris ſufficienter inſtructus, res in iis contentas tranſcribere quidem, at digerere, vera a falſis, conuenientia reique illuſtrandae accommodata a contrariis ſeparare, omniaque, vt vtilitatem adferant, in lucido ordine, quem requirunt, exponere, non valet. Hinc fuſa haec tractatio operi magis detrimento, quam ornamento eſt, et in rebus medicis nondum confirmato ſatis tyroni plus noxae, quam vtilitatis, adferet.

Eadem paene valent de his, quae quinta ſectione pertractata ſunt, ſpecioſo admodum titulo: *de indole et ſede morbi dyſenterici* ornata, in qua auctori propria nulla ſunt, ſed omnia ex aliis auctoribus, ſine vllo probatorum delectu, et ſine plurimo ordine prolata, adeo, vt, lectis diligenter omnibus, ſpei, quam ex titulo conceperamus, tam male inſenſeque haec tractatio reſponderit, vt falſa quidem plurima, ambigua quaedam, vera admodum pauca, eaque omnibus medicis notiſſima, copioſiſſime p. 156.

expoſita legerimus, naturae et ſedi morbi dyſenterici lucis nihil adfundentia, tyrones adeo facile a veritatis iuſto tramite deducentia, nec conſummatis medicis quid vtilitatis adferentia.

p. 187. Eadem plane in ſexta ſectione obſeruata ſunt, qua *de dyſenteriae curatione* agitur, ita tamen, vt auctorum variae ſententiae in claſſes quasdam redigantur, curatioque ſecundum has claſſes pertractetur. Hae vero claſſes Noſtro ſunt:

1) *putarunt auctores, vt illa, quae ducere oportet, per loca conferentia, et quo maxime natura vergit, ducantur,*

2) *alii adſtringentia eaque ſola, ſine aliis medicinis, omni morbi tempore praeceperunt,*

3) *alii denique curationem inuiſcantem et demulcentem, ſubiuncta leniter euacuante, et antiphlogiſtica, commendarunt.*

Etſi autem negari non poteſt, medicos in dyſenterici morbi curatione in diuerſas partes tranſiiſſe, et recentiores quidam medici alui ſolam et continuatam purgationem ad dyſenteriam ſanandam praeceperunt, adſtringentibus tamen recentiores medici (veteres enim aliam morbi naturam ſuppoſuerunt, nec tamen in ſolis adſtringentibus acquieuerunt) vniuerſam dyſenterici morbi curationem non comprehenderunt, ſed purgata prius aluo laxatisque inteſtinis, purgationes cohibendas cenſuerunt. De mixta autem hac medendi methodo, quae admodum inualuit, et ſine qua dyſenteriae curationem abſolui vix poſſe, plurimi auctores ſtatuunt, Noſter vix loquitur, vti et ea ſilentio fere penitus praetermiſſa eſt, qua, demto inteſtinali tubo anodynis medicinis mordaci ſenſu, deceſſus minui ſolent et requies aegro dolorum reddi. Caeterum et hac ſectione res hoc modo expoſitae ſunt, vt auctor copioſiſſimos quidem auctores citet, ſed de ſuis nihil

hil adferat, nec diiudicandis confutandisue auctorum opinionibus falsis operam det.

Sed *propria super morbo dysenterico sensa* auctoris nostri septima sectione proponuntur. Ait, se, longo tempore aliis locis peragratis, nullius ante solo tritis, eo tandem deuenisse, vt determinandae ac firmissimo talo stabiliendae *vnicae, genuinae morbi dysenterici caussae, naturae, sedi, ac medendi normae* se parem factum non temere confidat. p. 242.

Quae si ita essent, certe nullo praeconio esset opus; hedera enim vinum auctoris non indigeret. Iudices postulat Noster, sed theoria, quam hiatu tanto promisit, ipsius, talis est, vt etiam sine iudicio cadat. Quod re ipsa sine dubio magis probabitur, quam speciosis verbis, quibus ipse carus noster post diuturnas sudationes et algores inuentor vsus est:

„*Causam morbi dysenterici ex superantem aëris hepa-*
„*tici seu sulphurei foetentis copiam, alcalina acrimonia*
„*plus minus imbutam largius, aut parcius, citius, aut*
„*serius, continuo, aut tardius, modo ex humoribus in-*
„*quilinis, maxime tamen gastricis, modo ex ingestis*
„*euolutam, modo ex resorptis effluuiis reliquos humo-*
„*res eadem peste inficientibus vberius in tubum alimen-*
„*tarem* — alterum praeter pulmones sanguinem
„a superabundante vel phlogisto, vel mephiti alca-
„lina depurans, atque hodie aut plane ignotum,
„aut saltem admodum obscure patens solennius or-
„ganon, *quouis medio depositam, ibique virtute sua*
„*venenata ludentem, ac nauseas, ructus varios, singul-*
„*tum, cardialgias, vomituritiones, actuales vomitus,*
„*borborygmos, tormina, aluum crebram, parcam, di-*
„*uersissimam, subinde nullam, tenesmum varium, pro*
„*ratione sedis, quam occupat, ac tandem cum varia*
„*febri, reliquam dicatam huic morbo symptomatum*
„*familiam generantem dico.*“

En praeſagii communis, fore, vt aërea de morbis doctrina reualeſcat, euentus felices! En de aëre chemicorum doctrinam in diriſſimi morbi pathologiam introductam! En explicata per hanc doctrinam omnia tam belle, vt intellectum omnem ſuperent! Non autem Noſtro ſatis fuit, morbi atrocis nouam ex aëre explicationem tradere, placuit illi inſuper famoſam illam de aëre factitio vario chemicorum doctrinam nouo aëris genere, *aëre* ſcilicet *hepatico*, amplificare. O virum ſane de chemia et pathologia ventoſa meritiſſimum, o doctiſſimum caput!

Sed haec Noſtro non ſufficiunt. Subtilis etiam eſt, GAUBIUM aemulatus, vt paene mirer, virum, cui aliud meritum circa pathologiam haud eſt, quam quod melius omnia exactiusque digeſſerit, BIRNSTIELIUM noſtrum in conſortium elegiſſe: vt enim probet ſua ventoſus noſter foedusque pathologus, et auctoritate ornet, dyſenteriam morbum eſſe dicit, quem GAUBIUS *de materiarum ſingularium miſcela in aequabili et cohaeſione mutua imminuta dixerit.*

p. 246. Definitio autem dyſenterici morbi ipſi haec eſt: „*Eſt colicae flatulentae ſpecies, ab extricatione aut ſe-*
„*ceſſione aëris caeteris humorum noſtrorum maſſam*
„*conſtitutiuis partibus alias admixti, nunc vero natu-*
„*ram aëris hepatici alcalina acrimonia plus minus in-*
„*duentis nata, mediante cuius, tormina ſumme dolori-*
„*fica, eaque vel vaga, vel fixa, ſolutionem alui acer-*
„*biſſimis ſub doloribus, eamque modo tenuem et par-*
„*cam, diuerſiſſimi coloris et qualitatis, modo nullam*
„*plerumque vrgentia, producuntur, tracta quandoque*
„*in conſenſum veſica vrinaria.*“

Dignam ſuo inuentore definitionem plurimis illuſtrat deſumtis ex ſcriptis chemicorum celeberrimorum, quae vero tam male quadrant, vt optimis rebus peſſima quaeuis. Notanda in primis ſunt,

quae

quae circa aëris hepatici ſulphurei praeſentiam in corpore humano proferuntur, inde explicanda, quod carus noſter vir de aëris phlogiſtici praeſentia in corporibus morborum quorundam generibus affectis quaedam audiuerit quidem, verum non rite intellexerit.

Caeterum vti mos viris eſt, qui noua vbique auide arripiunt, licet ſanae rationis, iudicii et experimenti lance nondum ponderata, praecipua dyſenterico morbo adiuncta phaenomena a noui huius hepatico-ſulphurei aëris vi explicantur, ratio, quare dyſenteria tempeſtate calida ſimulque humida graſſetur, quare regionibus tali aëre gaudentibus endemia ſit, quare putredini concitandae tam prona ſit, caet.

Sed nec haec ſagaciſſimo (vtinam ſcilicet ſagaciſſimo) naturae ſcrutatori noſtro ſufficiunt. Morbum dyſentericum, pro ſymptomatum et effectuum eius ratione vberius expendit, reſpectu ſcilicet ad aërem ſuum habito. Miaſma aëreum a putredine productum aëri atmoſphaerico commixtum vbi corpus organicum, fauente vitioſa aëris conſtitutione, intrauerit, fermentum ex Noſtri mente putredinoſum euadet, ſuccum nutritiuum hoc modo corrumpens, vt plaſticam vim amittat atque adhaeſiuam, et in tabum putridum diſſoluatur. Inde corpus calidius, humidius, diſſolubilius, bilioſius, mollius, febrium, haemorrhagiarum aliarumque praeternaturalium et colliquantium euacuationum generationi aptius. Hinc etiam ex ſua mente idem eſt principium putridae diſſolutionis demortuis, aeque ac viuis, niſi in viuis tempus ſuppetebat depurationi proprio demortui veneni exturbatori. — Omnia, verbo, quae ad origines morbi dyſenterici pertinent, ex hoc aëreo princi-

pio deducuntur, tranſitu etiam ad morbos putridos qualescunque, qui mire confunduntur, facto.

Sed non ſufficit Noſtro, origines, decurſum, effectus tranſitumque dyſenterici morbi hoc modo explicaſſe, tranſitus ipſi ad altiora etiam eſt, medendi videlicet methodum, in qua plurima proferuntur, quae glorioſum oſtentatorem magis, quam verum et fidelem naturae indagatorem miniſtrumque, redolent. Eluſa enim opera Clariſſimorum virorum, qui in infringenda morbi dyſenterici vi lethifera operae ſuae partem haud exiguam cum plurima laude et ſucceſſu ſummo poſuerant, Noſter, magno certe hiatu vanus et glorioſus promiſſor, gloriatur, *ſe primum primas lineas* (medicamenti ſcilicet antidyſenterici generalis et vniuerſalis) *indigitaſſe, qua ratione vna morte minus moriamur.*

Methodus autem eius omnem a dyſenteria mortem depellens haec eſt: Omnia ſcilicet eo redeunt, vt alcalinus aër corrigatur, vtque mediam naturam, ammoniacalem, adeoque putredini aduerſam, acquirat, vt, mixtione in viſceribus corporis internis inſtituta, ſpiritus MINDERERI emergat. Hinc ſuperflua putat, immo nociua omnia, quae exterminandae materiae per morbum corruptae aut ipſi morbidae fauent, vomitum concitantia, purgantia aluum, corrigi enim omnia in viſceribus debent, medicinis conuenienter datis. Haeque medicinae in eo conſiſtunt, vt arnicae florum infuſio cum aceto propinetur et aqua cum vitrioli ſpiritu copioſe potentur (ob aërem forte ex acidi mineralis in vegetabile actione natum.) His medicamentis factum eſt, vt morbus dyſentericus, ſiue inflammatorius, ſiue putridus, nunquam diem quartum curationis ab adhibita radicali medela transſcenderet, vtque per totum hoc tempus nec fomento, nec linimento, nec clyſtere opus eſſet.

Non

Non autem ſoli dyſenteriae curandae haec medendi methodus ſemper conuenit, verum etiam inteſtinorum inflammationi, ſiue a dyſenteria, ſiue a tubi alimentaris ſpasmis inductae.

Prophylaxis etiam morbi huic theoriae ſuper- p 311.
ſtructa eſt. Qui diu noctuque inter dyſentericos verſantur, morbo rariſſime corripiuntur, ſi medicamento ex camphorae grano, aluminis crudi granis quatuor et ſalis ammoniaci granis duobus vtuntur.

Habes nunc, commentariorum noſtrorum lector beneuole, methodum, qua dyſenteriam atrociſſimam mortis expertem reddere, ſine euacuatione, ſine dolorum lenimine, ſine adſtrictione plurima vales. Sed quam parum omnia ad dyſenteriam haec valeant, experimentis celeberrimorum virorum comprobatum eſt, qui aegros acidis copioſiſſime datis ſanare non potuerunt. Plura certe in dyſenteria medicamentis peragenda ſunt, quam Noſter, vana, nullo modo probanda theoria ductus, praecepit. Nos autem, licet impenſe laetemur, chemicam ſcientiam noſtris temporibus a tot ſummis viris magnopere nouis inuentis exornatam, pathologiae tamen fata dolemus vehementer, cui omnia vix inuenta, neque ſatis adhuc diſcuſſa, Minerua tam rudi applicantur, quaſi humanum viuum corpus alembicus eſſet, in quo omnia eodem modo ſuccederent, quali chemico igni ſubiecta ſuccedunt.

IX.

Aetiologie der Krätze, von IOHANN ERNST WICHMANN, *der Arzneygel. Dr. Königl. Grosbritt. Hofmedicus zu Hannover, Mitgliede der Königl. Geſellſchaft der Wiſſenſchaften in Göttingen und*

der Geſellſchaft naturforſchender Freunde zu Berlin. Mit einem Kupfer. Hannover, in der Königl. Hofbuchhandlung der Gebrüder Helwing. 1786. in 8. 9 plagg.

i. e.

Scabiei aetiologia, auctore IOANNE ERNESTO WICHMANN.

Rixas multiplices et contentiones eruditorum varias exanthematum in corpore animali variorum origines mouerunt, aliis ea a verminoſa progenie deriuantibus, aliis vero ab humorum partim totius corporis, partim ſubcutaneorum aut ſpontanea, aut caſu, aut artificio inducta corruptione. Quae rixae quum compoſitae nondum ſint, LINNEO inprimis cum aſſeclis ſuis, celebratiſſimis maxima ex parte viris, exanthematum ab inſectis vermibusque origines defendente, aliis vero easdem pertinaciter negantibus, operae pretium ſe facturum illuſtris opuſculi huius, cum doctrina plurima et ſagacitate in obſeruando haud vulgari conſcripti, auctor putauit, ſi in ſcabiei origines exactius inquireret.

Occaſionem autem quum crebram admodum haberet propriis experimentis exactisque obſeruationibus dubiam de ſcabiei originibus quaeſtionem enucleandi, omnesque obſeruationes ſtudio haud vulgari inſtitutae illum de inſectis, ad acarorum genus pertinentibus, ſcabiem inducentibus tam certum redderent, vt veram ſcabiem non exſtare iure putet, quae animalculis talibus non producta et in alios propagata ſit, laudabili opera, quae in priuatos ſuosque vſus didicerat, publici iuris fecit, plurimis praeſertim noſtris temporibus LINNEI, ROSEN-

SENSTEINII, PRINGLII aliorumque, qui ſcabiem ab inſectis vermibusque deduxerant, opinionem parui facientibus et negligentibus.

Ipſum autem opuſculum licet anguſto admodum 140 pagellarum ſpatio comprehendatur, plurima continet notatu inprimis digna illuſtrandis ſcabiei et aliarum efflorescentiarum originibus apprime inſeruientia, quorum paulo prolixiorem in commentariis noſtris rationem dare expediet.

Satis antiqua eſt de ſcabiei ab inſectis originibus opinio, originesque illius in ea tempora cadunt, quibus animalis pathologia et aequiuoca generatio a medicis ſtabilita eſt. Sed hanc opinionem medici non habuerunt, vt ſcabiem ab inſectis produci adſererent, putredinem potius accuſantes et inſecta per eam nata. Saeculo vero XVII, quo microſcopiorum experimentis magis accommodatorum vſus inualuit, plures eorum adminiculo in nouis eruendis detegendisque verſantes, animalcula viua inſectaque vbique inueniſſe putarunt, mira quidem imaginatione ſubinde ſeducti, attamen etiam videntes armato oculo quaedam, quorum veritatem poſtera demum aetas demonſtrauit. MOUFETVS, Anglus, microſcopio ſine dubio adiutus, ſcabiem inducentes acaros in opere MDCXXXIV. edito deſcripſit, facta etiam Germani nominis mentione, quo probatur, Germanis haec inſecta diu iam nota fuiſſe. „Ita ſub cute habitat ſyro (ita acarum ſcabiei vocat), vt actis cuniculis corpori, praecipue manibus ingeneret, extractus acu et ſuper vngue poſitus mouet ſe, ſi ſolis etiam calore adiuuetur. Hoc obiter obſeruandum, ſyrones non in ipſis puſtulis, ſed prope habitare. Humore aqueo in puſtula abſumto vel exſiccato, breui omnes intereunt. Neque ſyrones iſti ſunt de pediculorum genere; nam illi extra cutem viuunt, hi vero non.“

Haec

Haec ex MOUFETO desumta verba nota ipsi fuisse haec insecta satis probant. Germanorum autem medicinales libros his temporibus conscriptos copiose euoluens Noster, vix loca inuenit, quibus nota medicis fuisse eadem insecta probari posset, recepta forte solum a vulgo opinione. HAUPTMANNUS tamen, insignis iste pathologiae animatae instaurator, in libro Lipsiae XX. post MOUFETUM annis, anno scilicet MDCLVII. edito: *uhralter Wolkensteinischer Bad und Wasserschatz*, nomen acarorum siue cyronum Germanicum et Latinum adducit, conuenientiaque haec insecta cum casei acaris videri adserit. Primus etiam figuram acari scabiem inducentis, at rudem, aucta microscopio forma, exhibuit.

Caeteri horum temporum et antiquiores scriptores, quos Noster euoluit, omnes de his insectis silent, MOUFETUS vero ex AVENZOARE locum citat, quo eadem insecta describuntur. HAFENREFFERUS in cutis nosodochio acarorum in transitu quasi mentionem fecit. REDI eos non memorauit, datamque ad se epistolam BONOMI, qua haec insecta describuntur, neglexisse videtur.

BONOMO autem haec gloria debetur, quod insecta haec exactius, quam antea, descripserit, eorumque veras origines effectusque demonstrauerit, epistola ad FRANCISCUM REDI anno MDCLXXXIII. italice data, postea miscellaneis academiae naturae curiosorum et transactionibus Anglicis inserta. Ea in Germanicam linguam versa in opusculo legitur.

Cuius rei fama ad exteros quidem statim peruenit, at theoriam de scabiei originibus non mutavit. Qui etiam de iis scripsere medici, omnia ex BONOMO desumserunt, proprii nihil addiderunt. BONANNIUS, RIVINUS et BAKERUS eadem in libris suis repetierunt, quae BONOMUS dixerat, ico-

nes

nes etiam ex BONOMO desumserunt. Qui armato oculo perscrutandae naturae operam dederunt, celeberrimi viri LEEUWENHOEKIUS, REAUMUR, SWAMMERDAM, alii, acaros hosce praetermiserunt.

Nullius paene medicis vsus fuere a BONOMO detecta, ad ea vsque tempora, quibus LINNEUS naturali historiae operam dedit. Scripta anno MDCCLVII. dissertatio eius de viuis exanthematibus effecit, vt acarum exulcerantem plurimi medici scabiei caussam vnicam statuerent.

Transitus, historia data, Nostro nunc ad ipsum acarorum genus est, cui accurate determinando et describendo parum operae hactenus insumtum est. Non autem cum vniuerso et amplissimo acarorum genere Noster occupatur, sed cum iis tantum acaris, qui scabiem inducunt et in farina situ corrupta nidulantur. Hos summi viri miscuere, vnamque speciem constituere statuerunt, LINNEUS praesertim, qui adeo scabiem in pueris oriri adserit, si corpus eorum, ad madorem absumendum, farina vetusta conspergitur, PALLAS tamen scabiei acarum acaro farinae consanguineum dixit, differentia inter vtramque speciem notata. Magis adhuc differentiam notauit DE GEER, notis etiam additis, quibus vterque acarus cognosci queat, et iconibus datis, differentiam apprime illustrantibus. Eandem differentiam Noster, copiose institutis obseruationibus, constantem inuenit, eademque responsio summi in hac historiae naturalis parte viri, GÖZE, fuit, differre essentialiter acaros farinae, casei et scabiei docentis, vt adeo scabiem inducens acarus *humani acari* nomine insigniri queat.

In scabiei autem pustulis, humanus aca- p. 42.
rus certe sedem habet, non vero in omnibus, quam ob caussam etiam plures in historiae naturalis studio

non

non ſatis verſati hos acaros penitus negarunt, aut de efficacia eorum in ſcabie inducenda dubitationes mouerunt, minime in latis iſtis, flauis et diu ſuppurantibus puſtulis, in quibus, data licet enixe opera, Noſter acaros nunquam inuenit. Conſtanter autem acarus in his ſcabiei exanthematibus reperitur, quae nouiter exorta humorem albidum pellucidumque continent. Hinc in aegris ſcabie recenter infectis obuii maxime ſunt, in his, qui malum hoc per longum tempus iam perpeſſi ſunt, non aeque. Naturali acie oculi in recentibus dictis veſiculis punctum albidum, colore ſuo a reliquo diſtinctum conſpicitur, quod inſtrumento extractum ferreo, ligneoue, cui tenaciter adhaeret inſectum, motu ſpontaneo gaudens, viſui obuium conſtituit. Saepe, ante talem veſiculam in cute natam, linea rubra in cute conſpicitur, ſulcum ſiue canalem referens, quem acarus ſibi parauerat, in talibusque canalibus acari frequentiſſime reperiuntur. Videntur haec animalia, aliorum inſectorum more, ſobole generata procreataque ſtatim mori. Amicus Auctoris, ſcabie affectus inſtitutis crebro experimentis adiutusque microſcopio, ex his canalibus acaros copioſe protraxit, terminatis ſubinde canalibus in pellucidas iſtas puſtulas, quae tunc acaros non continebant, aut pluribus e puſtulis canalibus prodeuntibus, acaris ſedem et domicilium praebentibus.

p. 49. Vt autem magis pateat, quinam morbus ab acaris producatur, qualisque, ſymptomata, quibus ſcabies ab aliis morbis illi ſimillimis diſtinguitur, exacte deſcribuntur. Non enim in qualicunque cutaneo exanthemate, neque in puerorum morbis ſenumque ſcabiem referentibus, neque in venerea, ſed in vera ſolum et exquiſita ſcabie talia inſecta reperire licet.

Vera

Vera autem *ſcabies* has origines habet: puſtulae, albae, exiguae, diſperſae, ſolitariae, nodulos referentes apparent, quae mox in puſtulas veſiculasue eleuantur, humorem pellucidum continentes, mole ſenſim creſcentes, primum digitorum manusque articulos, poſtea totum corpus, ore tamen ſemper excepto, ſenſim occupantes. Pellucidus humor ſenſim flauedinem purulentam induit cruſtamque, laceratis puſtulis, albam format. Scabiei inter ſiccam humidamque differentia nulla eſt. Pruritus a pellucidis veſiculis tantum pendet, isque pruritus, nocte, a lectuli calore exacerbatus, ſymptoma primarium, quo ſcabies ab aliis ſimilibus morbis diſtinguitur, conſtituit, vt vere medicus aſſerere queat, ſcabiem tunc ſemper adeſſe, ſi aeger a lecti calore intenſum pruritum ſentit. Verae ſcabiei contagium ſolo attactu propagatur.

Facile autem cum ſcabie alii morbi, diuerſam longe naturam habentes, confunduntur, nempe

1) chronicus quidam cutaneus morbus, totum corpus, infernos praeſertim articulos occupans, ſcabiem tam perfecte referens, vt tantum in primis ſuis originibus a vera ſcabie diſtingui queat. Oritur autem hic morbus non tali, quo ſcabies, modo, excitatis ſtatim in vniuerſo corpore maioribus papulis, pruritum intolerandum paene inducentibus. Hic morbus medicamenta externa, ſcabiei ſanandae idonea, non fert.

2) venerea incongrue dicta ſcabies, alio nomine inſignienda, alias origines habens, et aliam curandi methodum requirens.

3) Non raro accidit, vt decrepiti ſenes cutaneo quodam morbo corripiantur ſcabiem ex omni paene parte referente, in eo tamen ab ea diuerſo, quod totam corporis ſuperficiem occupet, intactis tamen a morbo digitis manibusque, quodque puſtulis nodulis.

dulisue ſolitariis, non pellucidis, die etiam pruritum vix tolerandum concitantibus conſtet. Hoc exanthematum genus admodum rebelle eſt, et ſine inſigni alio valetudinis detrimento per plures annos ferri ſolet. Ceſſit ſubinde, at raro, medicinis antimonialibus datis.

Demonſtrata acarorum in vera ſcabie praeſentia, quaeſtionem nunc mouet Noſter, num ſcabies ab his acaris inducatur. Difficilis autem ad eam eſt perfecta et ex omni parte abſoluta reſponſio, quum cauſſarum et effectuum permutatio admodum facilis ſit. Viam Noſter hanc elegit, vt, diſcuſſis confutatisque aliorum de ſcabiei originibus opinionibus, ſuam adſtruat, quod in re tam dubia ambiguaque ſatis laudari non poteſt.

p. 70. Primum itaque argumenta eorum illuſtrantur, qui inſecta quidem in ſcabie praeſentia admiſerunt, verum in iis non cauſſam morbi, ſed potius munditiei neglectae effectum poſuerunt. Complures ex his inſectorum ex putredine generationem aequiuocam ſupponunt, exploſam iam ab omnibus naturae veris ſcrutatoribus. Alii eosdem in ſcabie fontes inſecta habere putant, quales in vulneribus neglectis, vlceribus antiquis vermes habent, hique, neglecto vero horum inſectorum ſtudio, vermes etiam in ſcabie ſuppoſuerunt. At cadit eorum opinio nullis experimentis ſtabilita, neque ſtabilienda, ideo praeſertim, quod tales acari, quales ſcabioſi habent, in vera tantum ſcabie, nec in vllo morbo alio aeque licet immundo et impuro adſint. Alias etiam longe vulnerum vlcerumque vermes origines habent, quippe qui a muſcis in ea feruntur, dum iam adoleuerunt et putredine corrupta ſunt. Si denique ſcabiei eadem ratio, quam vlcerum verminoſorum, eſſet, inſecta in puſtulis grandioribus, in quibus humorum corruptio intenſior eſt, copioſiſſima

fissima reperirentur. Et tamen acari semper fere in scabiei recentis vesiculis primum exorientibus, non pure, sed albo humore repletis, reperiuntur. Nec ab effoetis antiquisque pustulis pruritus amplius est, hinc etiam acari in iis vix quaerendi. — Qui munditiei enixe studeant, a scabie quidem immunes vtplurimum manent, verum hos ideo morbus vix occupat, quoniam acaris nulla occasio sedem figendi datur. Hinc scabie affectae lotrices manus vtplurimum ab exanthemate scabioso liberas habent.

Transitus ab his ad alteram quaestionem est, p. 78.
num critica aut a materiae morbidae in alium locum ductae metastasi scabies vere existat. Non existere talem scabiem probatur, vti et venereus morbus, qui scabies dici possit, non existit. Certum quidem est, adduci a medicis exempla plurima morborum diuturnorum admodum rebellium, sanationem non admittentium, nisi sparsa per vniuersam corporis superficiem scabie: et talia morborum hoc modo iudicatorum exempla ex nosocomiis ciuilibus et militaribus maxime proueniunt, in quibus scabiei, ob vix praefocandos acaros, ob munditiem vix satis servandam, lectulos crebros scabiosis acaris conspurcatos, caet. summa opportunitas est. In tali nosocomio decumbens scabiem vix vitare poterit, vti morsus a rabido cane hydrophobiam. Notum est, chronico morbo correptos in nosocomiis scabie vtplurimum tentari, ob moram videlicet in nosocomio diuturnam; acutis enim morbis in iisdem decumbentes non tam facile eodem. contagio inficiuntur, quoniam hi morbi citius terminantur.

Suspecta sane admodum critica dicta scabies est, vilioris conditionis hominibus quippe tantum communis, caeteris, inprimis opulentioribus, nunquam superueniens. In errorem medici illapsi sunt (par-

tim criticam cutaneam efflorescentiam morbo superuenientem eumque soluentem pro vera scabie habentes, partim) ea, quae post morbum quendam accidunt, pro morbi effectu necessario habentes. Errores circa morborum causas commissi medicis admodum sane faciles copiosique sunt. Negata autem critica scabie, non est, quod simul negemus, posse, inducta obortaque difficili quodam et diuturno morbo decumbenti scabie, hos morbos a nouo morbo aut vehementer mitigari, aut propelli. Sed in hoc casu scabies eodem plane modo agit, ex Nostri sententia, quo vesicae arte in corporis superficie excitatae, sinapismi, setacea, fonticuli (crediderim tamen paulo alio, ob constantem magis, vniuersalem corpori inductam irritationem, ob humorum cutaneorum corruptionem, liquationem, ab infestis cutaneis insectis inductam.) Artificialis etiam insitio, morbos, quorum causa instituitur, depellens, probat salutiferam quidem cutaneam a nouiter inducto morbo irritationem, nec tamen theoriae de acaris scabiem inducentibus penitus aduersa est.

p. 83. Aduersum etiam ab acaris haustae theoriae id esse videtur, quod expelli scabiem ab aquarum mineralium potu quidam dixerint. Sed aquae sulphuris copiam maximam continentes scabiem vix propellunt, nisi in corpore iam exstiterit.

Morbis autem quibusdam, cutaneis praesertim diuturnioribus, naturam adsuesci omnesque humores nociuos sibi infestosque in eam corporis partem propellere, quae exanthemate aut vlcere quodam laesa est, in dubium vocari nequit. (indeque etiam, inconcussa penitus de acaris scabiei theoria, pars effectuum a scabie nimis propere sanata oriundorum petenda est.) Attamen vbi acuto morbo scabie infecti corripiuntur, scabies constanter paene

eua-

euaneſcit, omnesque tunc morbum acutum a retrogreſſa ſcabie ortum eſſe putant, inprimis quum, ſuperato acuto morbo, ſcabioſa exanthemata priſtina loca iterum frequenter occupent. Satis ſpecioſa concluſio ex his eſt, acutum morbum a ſcabie euanida ortum morbumque eundem, reſtituto cutaneo morbo, ſanatum eſſe. Sed permutatio cauſſarum et effectuum hic locum certe habet. Scabies enim tutelam aduerſus alios morbos non praebet, et occaſione data, ſcabioſi in alios, acutos etiam, morbos incidunt. Vidit Noſter, quod et ab aliis viſum eſt, variolas ſcabioſos pueros occupaſſe, ſcabiemque ſiluiſſe, donec, ſuperato varioloſo morbo, recruduit. Apparet ex his, molem morborum a retrogreſſa ſcabie tantam vix eſſe, et opinioni, qua in externis ad ſcabiem medicinis periculum tantum ponitur, firmitatem deeſſe. — Frugum molitores piſtoresque ſcabie rariſſime tentantur, licet farinam acaros continentem ſaepius tractent: at hi acari non hanc naturam habent, vt ſcabiem inducere poſſint.

Firmum itaque Noſtri de acaris ſcabiem indu- p. 91.
centibus theoria fundamentum habet, licet ſcabiei ſubinde immundities anſam det, ipſaque poſt morbos varios, aquarum mineralium vſum, appareat, retrocedat, neque frugum molitores piſtoresue corripiat. Omnibus autem aliis de quocunque morbo theoriis haec praeferenda eſt, quae ſymptomatum praecipuorum, et naturae ipſius explicationem facillimam et maxime naturalem ſuppeditat. Forte etiam ipſa adeo ſcabiei retroceſſio et retropulſio ab ipſis hiſce acaris explicanda eſt. Forſan ipſi hi acari a reuehentium vaſorum oris excepti et in internas partes delati turbas ibi creant, forſan ouula inſectorum vaſis excepta in internas partes deducuntur: conſtat enim, maioris molis corpora ab his vaſis excepta eſſe, molemque inſecto-

rum ſaltim huic opinioni non aduerſam eſſe. (Forte tamen non opus eſt, vt ad ipſa haec inſecta ouula-ve recedamus. Corrumpi cutaneos humores in ſcabie ab inſectis, ab irritatione, inflammatione, quam inducunt, ſuppuratione, certum eſt: hi vero corrupti humores ſi ſine acaris in internas partes feruntur, plures certe noxas, irritando, alioue modo inducere poſſunt: minus difficultatis ſane haec explicatio habere videtur prae illa, quam doctiſſimus et ſagaciſſimus Auctor attulit, qui ſolos acaros reſpexiſſe videtur, non vero effectus eorum praeſentaneos neceſſariosque, quibus cutaneos humores ab his inſectis corrumpi oportet.)

Scabies in febrium acutarum initiis ſtatim euaneſcens facilem explicationem admittit. Febrilis horror vniuerſam corporis ſuperficiem mutat, nec abſonum eſt a veritate, quin haec inſecta, hoc horrore durante, rigeant et in ſolitum talibus animalculis ſoporem coniiciantur. Pruritus, ab acarorum motu pendens, torpidis acaris, ceſſat, puſtulae exſiccantur, plures autem acari licet vere moriantur, quidam tamen ſuperſtites manere poſſunt, forte ouula etiam foeta, quibus, ſuperato acuto morbo, antiquus morbus facile regeneratur. Pruritus calore ſemper auctus, frigore remiſſior, huic explicationi ſane admodum fauet.

Aſthmata tamen aliosque pectoris morbos poſt ſcabiem retropulſam ſolui balnei ſulphurei vſu et propellentium medicinarum certum eſt, et ex acaris ab infenſo illis ſulphureo veneno concitatis explicandum.

p. 98. Vt autem ſcabies ab altero in alterum tranſeat, diſpoſitione quadam corporis, receptiuitatem vocant, opus eſt. Omnia autem phaenomena hic obuia ex acaris facilius longe explicari patiuntur, quam ex alio quocumque fermento vel miaſmate.

Nec

Nec aduerſum de acaris ſcabiem excitantibus theoriae eſt, quod in quibusdam morbus, licet contagio illius expoſiti ſint, non producatur. Cuilibet homini ex Noſtri ſententia propria atmoſphaera, ſpecifica exhalatio eſt, qua mediante canes domini odorem a quocunque alio diſtinguunt. Si autem exhalatio cuidam talis eſt, vt acari eam fugiant, talem hominem ab ipſo morbo immunem permanere neceſſe eſt.

Maximum autem probationis pondus theoriae hactenus expoſitae a remediorum ad ſcabiem vtilium effectu deducitur. Certum eſt, medicos complures ſcabiem externorum medicamentorum ope ſanaſſe, ignorata licet vera illius cauſſa; ſulphuris enim vſum iam CORN. CELSUS commendauit. Arcanis quoque vix numerandis ad ſcabiem medicinis ſemper ſulphur aut argentum viuum ineſt, vt gummi guttae omnibus aduerſus taeniam medicinis. Quae externae medicinae ſcabiem ſemper depellentes argumento ſunt, morbum in ſola cute reſidere, omnemque ſuam in cute cauſſam habere.

Longe infeliciorem ſucceſſum curationis hi experiuntur, qui ſcabiei origines ab interna caçochymia quadam deducentes morbum, externa medicina feliciter ſanandum, internis, ſanguinem alterantibus, adgrediuntur. Exempla enim copioſa admodum proſtant ſcabioſorum, datis etiam medicinis efficacibus maxime, nullo modo ſanandorum, facile vero, adminiſtrata externa medicina. Externae autem medicinae morbo, ab interno humorum vitio nato, ſanando certe non ſufficiunt. Internae medicinae ſcabiei ſanandae quum rariſſime hactenus ſuffecerint, neque multa ſanatae verae ſcabiei ſolis internis medicamentis exempla a ſulphuris aut mercurii in cutem actione tamen explicanda ſubinde proſtent, patet quidem, morbos cutaneos ſca-

biem referentes his medicinis ſanatos, raro vero verum morbum, quem internae medicinae omnes, neglectis externis, admodum protrahunt.

Repulſionem ſcabiei non impoſſibilem eſſe, acaris ſcabiem excitantibus, ſupra probatum eſt. Hi vero ab adhibitis externis morbi non ſemper origines has habent, vt a morbida ſcabiei materia retrograda pendeant, ſed potius ab ipſis medicamentis externis nimis propere, praepoſtere, larga manu, caet. adhibitis. Efficaciſſimae medicinae ſemper maximum vitae periculum ſibi adiunctum habent, vnguentaque qualiacunque, praeſertim cum mercurio compoſita noxas certiſſimas adferunt, ſi, obducta iis magna ſuperficiei corporis parte, corpus frigori exponitur. Morbus vero tunc non ex retropreſſo cutaneo morbo, ſed a perſpiratione ſuppreſſa naſcitur. Facilis ſane admodum externorum etiam ad ſcabiem medicamentorum eſt abuſus, inprimis quum medici errore ſeducti alium ſaepe cutaneum morbum, internis ſanandum medicinis, pro ſcabie vera habeant.

p. 130. In externis itaque medicinis vera ad ſcabiem medicamenta auxiliaque fita ſunt, nec opus eſt, vt nouis admodum inhaereamus, veteres habentes et antiquas probatiſſimas. His medicinis, balneis et munditie omnis curatio abſoluitur, nec opus eſt, vt exactam valde aegroti diaetam obſeruent. Quibus medicinis ſi morbus non cedit, ſemper cogitandum eſt alius naturae morbum ſubeſſe, ſuis medicinis ſanandum.

Expellentes medicinae omnes admodum a compluribus medicis laudatae parum auxilii praebent, omne quippe in interno ſulphuris vſu, calore, balneis tepidis, cutem fouentibus et emollientibus poſitum eſt. Si neceſſaria aegro ſcabies eſt, inſitio artificialis vix ſpem vnquam fallit. Febribus autem

autem perſeuerantibus, ſcabies expelli non debet, ſponte, ſuperato febrili morbo, reditura.

Tandem de phthiriaſi, illiusque cum ſcabie ſimilitudine agitur. (Phthiriaſin non ſatis commode, nec ad veterum mentem vocat capitis tineam, infantilem praeſertim morbum conſtituentem.) Haec etiam externis tantum medicamentis cedit (non penitus certe, et cum cura ſumma adhibendis: hic enim morbus, quem pediculi ſine dubio intendunt augentque, facilius quidem tollitur munditie ſtudioſiſſime obſeruata, depulſisque inſectis iſtis: at vix ſine ſummo vitae et futurae proſperae valetudinis periculo, quod etiam MURRAY, V. Ill. nuper praeclare probauit, ſolis externis medicinis ſanatur, ſiquidem humorum ad caput delatorum degenerationem quandam, internis medicinis corrigendam ſupponit.)

Tandem adſeritur medicinas ex ſulphure aut p. 138
mercurio paratas optatum effectum edere, ſi veſiculae albidae iſtae aut ſulci acaros continentes adſunt. Antiqua et ſuppurantia ſcabioſorum vlcera his medicinis non cedunt, ſed aliis, quibus excoriatis carnibus cicatrix inducitur.

Tabula aenea adiecta acarorum formam variam ex BONOMO et propriis doctiſſimi Auctoris experimentis exhibet.

X.

Rudimenta pyretologiae methodicae. Auctore C. G. SELLE, medicinae Doctore et Profeſſore et charitatis noſocomii Berolinenſis medico. Editio altera, priori auctior et emendatior. Berolini, apud Chr. Frideric. Himburg, MDCCLXXXVI. in 8. 1 Alph. 2 plagg.

Congeſſerat Illuſtris huius operis praeclari iterum editi doctiſſimusque Auctor febrium acutarum diuerſa genera ſpeciesque, digeſtasque commode in inaugurali diſputatione Halae habita, exhibuerat. Qui labores quum a medicis admodum laudarentur febrium ordinandarum methodum naturalem maxime continentes, digeſto copioſius febrilium morborum ordine, notis genus et vnamquamque ſpeciem diſtinguentibus ex optimis probatiſſimisque auctoribus additis, nec non compluribus ad his morbis medendi methodum, libri forma Berolini, anno MDCCLXXIII. editi ſunt *), quem nouis laboribus auctiorem longe et varie amplificatum Illuſtris Vir iterato edidit. Non eſt itaque, quod totius libri argumentum copioſe exponamus, opus autem eſt, vt, quaenam addita recenter ſint, paucis enarremus.

Febres, vt notum omnibus eſt in continentes, remittentes, atactas et intermittentes Noſtro diuiduntur. Continentes aut putridae aut inflammatoriae ſunt, remittentes, aut cum colluuie primarum viarum impura, bilioſa, bilioſo-putrida, pituitoſa, aut cum verminoſa colluuie, aut cum metaſtaſi lactis ad viſcera abdominis, qui articulus noviter huic editioni acceſſit, iunctae ſunt, aut ab interno vlcere viſcerumue obſtructione pendent. Atactas autem febres neruoſae acutae ſporadicae, aut acutae ex contagio, aut denique lentae neruoſae conſtituunt.

Hic generalis ordo eſt, quem Ill. Vir in febribus ordinandis et enarrandis obſeruauit, in quo hoc forte taxandum eſt, quod exorſus a ſupremo quoad vim, periculum et decurſum febrilium morborum genere, ad inferiora, mitiorem decurſum habentia

*) Vid. comm. noſtr. Vol. XX. P. I. p. 77.

tia tranſierit, tandemque intermittentes febres pertractauerit, quum praeſtitiſſet forte ab intermittentibus ad remittentes, ab iisque ad continentes, ordine modoque ſatis naturali commodoque transgredi.

Primo ordini, quo inflammatorii morbi pertractantur, plura haud addita ſunt, quaedam tamen continentis inflammatoriae enarrationi, HEWSONI et HEY potiſſimum de cruſtae inflammatoriae originibus opinionem exhibentia, nec non ex MOSCATI experimentis quaedam, ad phlogiſticae diatheſeos naturam ex phlogiſto explicandam pertinentia. Addita quaedam etiam ſunt, quibus diſpoſitionem ad febres in neruorum inſueta ſenſibilitate et muſcularium fibrarum agilitate ſumma conſiſtere aſſeritur. p. 102. p. 103. p. 104.

Synocho imputri GALENI notae diſtinctiuae acceſſerunt, nec non de vniuerſalis ſuppurationis ſpecie quaedam, quae in cadaueribus hac febre demortuorum animaduertitur, quaedam etiam de febribus inflammatoriis pro cauſſarum materialium concurſu ordinandis, pluraque alia, inprimis de inflammatione absque vlla febrili nota decurrente. p. 106.

Speciebus continentis inflammatoriae acceſſere inflammatio laryngis membranacea, angina polypoſa etiam recentioribus dicta, bronchiorum inflammatio, ſiue pectoralis angina, in inflammationis partis conuexae hepatis notis plurima mutata ſunt, nec non in notis inflammati a varia cauſſa, ab ardore ſolis, aliisue cerebri. Peſti inflammatoriae quaedam ex recentioribus obſeruatoribus, de MERTENS, SAMOILOVITZ, acceſſere, aucta etiam admodum in varioloſum morbum epicriſis eſt. Inflammatoria continens exanthematibus cutaneis adiuncta febris ſpecie variolarum ſpuriarum aucta eſt, quas a veris gradu tantum p. 118. p. 132.

p. 168. tum differre, Noſter autumat. Eidem generi rubeolae etiam acceſſere, et tractationi de febre miliari inflammatoria quaedam, quibus probatur, morbum hunc ſaepe a retropulſo lacte aut a lymphae abundantia oriri.

p. 197. Continentis putridae enarratio additamentis compluribus, maxime ad curationem, aëris fixi efficaciam, caet. pertinentibus, aucta eſt, nec non in ſpeciebus pharyngis inflammatio, peſtis. Novas ſpecies carbunculus, rubeolae, conſtituunt.

p. 240. Remittenti bilioſae inflammatoriae febri vteri inflammatio acceſſit, nec non febris bulloſa bilioſa inflammatoria. In flauae Americanae febris enarratione notisque plurima mutata ſunt. Febri remittenti bilioſae putridae inflammatoriae vteri inflammatio acceſſit.

p. 283. Maximum autem additamentum, idque admodum inſigne, operi acceſſit febrium enarratione, quae cum metaſtaſi lactis ad abdominis viſcera fiunt, morbum puerperis proprium conſtituentium. Characterem huius febris generalem conſtituunt ex Noſtri mente abſentia, vel diminutio, vel retroceſſio, vel deprauatio lactis mammarum, abdomen maxime tenſum, tactum non ferens, dolores vagi, lancinantes in tota abdominis regione, pulſus parvus, ſpaſmodicus, lochia puriformia, alba, raro foetida. Haec febris ab aliis omnibus, quae puerperas inuadere ſolent, probe diſtinguenda, congeſtionem, vel potius metaſtaticam lymphae et lactis coaceruationem pro cauſſa materiali habet, eaque metaſtaſis a ſpaſmo oritur. — Purulenta colluuies, quae poſt mortem in abdominis cauo reperitur, inflammationis productum ſane eſſe nequit, quoniam, partium inflammatione exigua exiſtente, puris copia inſignis, et vice verſa eſt, quoniam hae inflammationes ab humoris extrauaſati acredine ſaepius oriun-

oriuntur, nec extra puerperium puriformis humorum haec collectio inflammationem inteſtinorum et omenti frequenter ſequitur. Caeterum nullum inflammationis veſtigium in cadaueribus deprehenditur, niſi ab ipſa colluuie in abdomine extrauaſata oborta ſit.

Hanc vero materiem, quam peritonei vaſa reddunt, lac vel lympham corruptam eſſe patet, quoniam morbus ſaepe immediate retrogreſſionem lactis e mammis ſequitur, lactis depoſitio in mammis, ineunte hoc morbo; locum non habet, lacteus humor, qui in mammis corruptus eſt, omnibus qualitatibus ei, qui in abdominali cauo profuſus eſt, eſt conſimilis, et lactis denique metaſtaſes ad alia loca lac in abdominis cauo etiam profundi poſſe probant.

Inſignis praeterea partium genitalium internarum cum mammis conſenſus ſatis docet, poſſe tales lactis aberrationes facile in abdomine, ob vterum accidere, et ſi etiam lactiformis humoris collectio talis in abdomine ſaepe fit, vbi nulla antea ſecretio lactis in mammis facta eſt, hoc tamen theoriae, quam Noſter profert, non aduerſum eſt. In abdominis enim cauum lympha congeritur, cui ad mammas acceſſus denegatus eſt.

Prima autem metaſtaſeos cauſſa inflammatio excluſiue eſſe nequit, quoniam morbus longiorem decurſum ſaepe obſeruat. Corporis autem conditio et cauſſarum ſatis probant, ſpaſmum eſſe, quod morbo anſam praebeat, morbumque in metaſtaſi lacteae aut lymphaticae materiae ſitum eſſe. Quae metaſtaſis ſi non adeſt, febris vtplurimum mitiorem et benigniorem decurſum ſeruat, nec periculum ſemper cum hac metaſtaſi iunctum portendit. — Notandum tandem eſt, hanc febrem rariſſime ſporadice occurrere, ſed fere ſemper epidemice ſaevire.

vire. Quando nempe febres bilioſae graſſantur, haec febris praecipue in puerperio timenda eſt, atque ſumma arte motus febriles omnes auertendi. — In medendi methodo id obſeruandum eſt, vt cauſſa ſpaſmi ſoluatur et congeſta materies eliminetur, quod modo, quem natura maxime indicat, peragitur.

Species autem ſecundum cauſſarum differentias ſequentes Noſter obſeruauit:

p. 289. 1) *Febris puerperarum cum conſtitutione bilioſo-inflammatoria.* Signa colluuiei bilioſae in primis viis et lactis metaſtaſeos in ea adſunt, indolemque hanc habet, vt epidemice vtplurimum ſaeuiat. Curationem perfecte eandem, quam bilioſae, requirit, crebriorem tamen, reliquis medicamentis interponendum antiſpaſmodicorum vſum.

2) *Febris puerperarum ex animi pathemate.* Obſeruauit Noſter, febrem puerperarum ſaepius inde oriri et lactis deprauationem immediate terrorem ſequi.

3) *Ex refrigerio.* Accidit praeſertim nulla conſtitutione epidemica obtinente. Praeter memoratas ab occaſionalibus cauſſis pendentes plures huius febris dantur ſpecies.

4) *Ex inflammatione.* Si inflammatio inteſtinorum et vteri omnino cauſſae occaſionalis ſpeciem prae ſe fert, febris puerperarum nomine hi morbi inſigniendi ſunt, quando lymphae lactiferae congeſtionem ſimul contrahunt. Vidit Noſter laeſo vterino durante partu orificio veriſſimae lactiformis humoris copioſam extrauaſationem, cum omnibus puerperalis febris phaenomenis.

Patet ex his omnibus, ipecacuanhae radicem, ſpecificae medicinae inſtar commendatam a compluri-

pluribus, admodum conferre, dum lymphae et lactis congeſtio ab acris colluuiei circa praecordia haerentis irritatione pendet. Hoc praecipue de epidemica puerperarum febre valet, quae ſemper bilioſam indolem habet. Si autem in debili et irritabili neruoſo ſyſtemate cauſſa latet, omnes irritationes vitandae, morbus vero ſedantibus, emollientibus, temperantibus et blandis diaphoreticis medicinis proſequendus eſt.

Phthiſicae remittenti febri, illique, quae ab obſtructione viſcerum pendet, quaedam, ad notas diſtinctiuas pertinentia, acceſſere. Ataxis acutis ex contagio febris neruoſa putrida ex GRANT p. 318. V. Cl. obſeruationibus, ataxiae lentae complicationes cum ſcarlatina, pemphygo, dyſenteria acceſſere. In intermittentibus quaedam, ſed non multa, mutata ſunt.

Maximum autem augmentum ſimulque ornamentum liber accepit additamento addito, quo Illuſtris et in rebus ad medicinam pathologico-practicam apprime verſatus Auctor, ſyſtematis aegritudinum omnium naturalis ichnographiam exhibuit. Quales labores etſi viri complures in iisque in vniuerſa ſcientia medicinali verſatiſſimi iam cum plurima laude ſuſceperunt, non tamen ſupervacuus putandus is eſt, cuius epitomen Noſter exhibet, in diuidendis morbis et ſuo ordini adſcribendis verſatiſſimus. p. 357.

Syſtema autem hoc naturale morbos acutos et diuturnos complectitur, hoc modo, vt ordines ſummi, eorumque genera pertractentur, ſpecierum vero nulla mentio iniiciatur; mens enim eſt Illuſtri Auctori hoc ſyſtema naturale morborum fuſius et copioſius pertractandi, omnibus cuique generi propriis ſpeciebus, cum eſſentialibus notis ſimul expoſitis.

I. *Morbi*

I. *Morbi inflammatorii.* (Cauſſae magis exponuntur conſtitutioni inflammatoriae producendae faventes, quam eiusdem ſymptomata.)

Genus primum.

febris inflammatoria.

(Miaſma epidemicum, contagioſum, quod generatim nimis Ill. auctor poſuit, in his morbis certe non ſemper ſubeſt. Neque miaſmatis idea in inflammatoriis morbis ſatis clara. Aliud enim eſſe contagium per aëra ſparſum, aliud miaſma, pathologia ſatis declarat.)

Genus ſecundum.

Morbus inflammatorius chronicus.

Species.

Plures haemoptyſeos, incipientis phthiſeos, rheumatiſmi chronici et inflammationis partium externarum ſpecies.

II. *Morbi putridi.* Diſſolutio et corruptio partium vel ſolidarum, vel fluidarum. (Dubitare tamen licet, num natura hanc diſtinctionem obſeruet: quis enim putridum morbum ſine vtrarumque partium affectione ſibi cogitet?)

Genus primum.

febris putrida.

Genus ſecundum.

Gangraena.

Genus tertium.

Sphacelus.

(Num autem ſphacelus a gangraena tam diverſus, vt certum et a gangraena eſſentialiter, quoad naturam, diuerſum genus conſtituat? Ego vix putauerim, ſtatuentibus licet pathologiae ſcriptoribus paene omnibus.)

Genus quartum.

Necroſis.

Genus quintum.

Caries.

III. *Morbi*

III. *Morbi bilioſi.* Ordo I. *febres bilioſae.*
Genus primum.
febris bilioſa inflammatoria.
Genus alterum.
Febris bilioſa putrida.
Ordo II. Morbi bilioſi chronici.

IV. *Morbi pituitoſi.*
Genus primum.
Febris gaſtrica pituitoſa.
Genus alterum.
Morbus chronicus ex pituita.

V. *Morbi verminoſi.*
Genus I. lumbrici. *Genus* II. aſcarides et tricocephali. *Genus* III. taenia.

VI. *Morbi lactei.*
Genus I.
Febris puerperarum.
Genus II.
Febris exanthematica, miliaris potiſſimum.
Genus III.
Inflammatio pectoris.
Genus IV.
Morbi neruorum a lactis metaſtaſi.
Genus V.
Metaſtaſis lactis vel lymphae ad partes corporis externas.

VII. *Morbi neruoſi.*
Ordo I. febres acutae. *Ordo* II. morbi neruoſi chronici.
Genus I.
Morbi ex idioſyncraſia.
Genus II.
Morbi morales.
Genus III.
Malum hypochondriacum et hyſtericum.

VIII. *Morbi*

VIII. *Morbi periodici.*

Ordo I. Febres intermittentes. *Ordo* II. Morbi chronici periodici.

IX. *Morbi emphractici.*

Genus I.
Obſtructio viſcerum.
Genus II.
Scirrhi.
Genus III.
Calculus veſiculae felleae et ductus choledochi.
Genus IV.
Calculus viarum vrinariarum.

X. *Morbi arthritici.* *Genus* I. arthritis partialis. *Genus* II. arthritis vniuerſalis. *Genus* III. arthritis anomala.

XI. *Morbi rhachitici.*

Genus I.
Rhachitis.
Genus II.
Paedarthrocace.
Genus III.
Caries vertebrarum.

XII. *Morbi ſcrofuloſi.*

Genus I.
Tumores ſcrofuloſi.
Genus II.
Herpes ſcrofuloſus.
Genus III.
Inflammationes ſcrofuloſae.
Genus IV.
Exulcerationes ſcrofuloſae.
Genus V.
Gonorrhoea maligna.

XIII.

XIII. *Morbi cancroſi.*
Genus I.
Cancer ſcirrhoſus.
Genus II.
Cancer phagedaenicus.
XIV. *Morbi venerei.*
Genus I.
Morbi gonorrhoici.
Genus II.
Morbi ſchancroſi.
XV. *Morbi ſcabioſi.* (Huc omnes Ill. vir morbos diuturnos cum efflorescentiis cutaneis refert: at ſcabies ſingulare morbi genus conſtituit, propriumque, a miaſmate quippe peculiari pendens)
XVI. *Morbi ſcorbutici.*
Genus I. Scorbutus epidemicus. II. Sc. ſporadicus.
XVII. *Morbi venenoſi.*
Genus I.
Morbi a veneno acri.
Genus II.
Morbi a veneno narcotico.
Genus III.
Morbi a venenis adſtringentibus.
Genus IV.
Morbi a veneno externo.
XVIII. *Morbi organici.*

XI.

D. IOHANN FRIEDRICH WEISSENBORN *von den Eitergeſchwüren der Leber, durch einen merkwürdigen Fall erläutert. Erfurt, bey Keyſer* 1786 *in* 8*v.* 3 *plagg.*

i. e.

De hepaticis abſceſſibus tractatio ſingulari caſu illuſtrata.

Non ſemper in generandis abſceſſibus et vlceribus hepatis natura vnam eandemque viam eligit. Subinde paucis diebus, ſubinde plurium annorum ſpatio generari ſolent. Vi adeo externa hepati illata vlcus poſt plurium demum annorum ſpatium natum eſt. Exempla proſtant abſceſſuum in iecinore XVIII. poſt laeſionem praegreſſam annorum. In concaua hepatis ſuperficie vlcus ſedem figens difficulter cognoſcitur, nec ſanationem admittit. Pus cum interitu aegri tunc in abdominis cauum profunditur, in colo inteſtino, cui abſceſſus praeter naturam adnatus eſt, effuſum, cum ſalute aegri vtplurimum decedit, ſi pus etiam partes admodum irritabiles et ad vitam neceſſarias tranſit.

Hepatis autem externam ſuperficiem occupans vlcus ſigna ſua habet, tumet videlicet exulceratus locus in dextro hypochondrio, non longe a coſtis ſpuriis ſuperioribus, qui locus vlceri ſedem frequentiſſimam praebet. Difficilius tumoris in oppoſito latere naſcentis cauſſa cognoſcitur. Si ab hepate vitiato pendet, grande praeter naturam hoc viſcus ſemper ſupponit.

P. 5. Diuerſa hepatis ſtructura irritabilitasque ſigna abſceſſuum vlcerumque in hepate admodum diuerſa variaque reddit. Si firmam et elaſticam ſtructuram habet, preſſioni vomicae natae minus cedet, nervisque magis affectis tenſisque partibus intenſior dolor ſuccedet, et v. v. Hinc etiam exulcerato iecinore affecti aegri quidam de dolore, debilitate, febre, vigiliis intenſioribus vix conqueruntur, inprimis ſi natura lente agit et ad vlcus generandum multum temporis requirit. Ipſi adeo nerui ex affectionis conſuetudine quadam vix vehementer irritantur.

Si

Si vero localis laesio praeceſſit, iniuriam ſibi illatam nobiliſſimum hoc viſcus concitatis dolore, pulſu forti, duro, arida lingua, ſiti, vigiliis, virium lapſu, indicat. Maius periculum hanc exulcerationem adferre, ſi vicinae nobiliores partes in conſenſum mali ſimul trahuntur, facile perſpicitur.

Haec omnia morbi hiſtoria admodum notabili illuſtrantur, cuius epitome haec eſt: Vir XXXIX annos natus, ex hepate male affecto diu iam laborans Decembri menſe anni MDCCLXXXV. angina pituitoſa corripiebatur. Purgans draſticum medicus ei propinauit, quo effectum eſt, vt angina perfecte decederet, aeger vero ſtatim in ſiniſtro hypochondrio, ad ventriculi oram, dolore intenſo preſſorio et pungente corriperetur. Aluus pertinaciter obſtructa, purgante medicina data, aquoſa crebro demiſit, perſiſtentibus dictis ſymptomatibus et teneſmo accedente. Arnica aliaeque medicinae per trium hebdomadum ſpatium adhibitae doloris, aucti potius, leuamen non attulerunt.

Vocatus poſtea die 30 Decembr. Noſter pulſum paruum, durum, tenſum, celerem, os pallide flaueſcens, appetitum penitus deficientem inuenit. In loco, quem dolor occupabat, tumor circumſcriptus, ventriculi regionem, ad ſiniſtrum latus, occupans, pulſans manifeſte, et tam fortiter, vt oculis conſpici pulſus poſſent. Certae origines tumoris quidem erant, at natura, ſedes mali dubia. Refrigerantia, aluum cum minima irritatione ducentia in vſum vocata ſunt, quae inſigne leuamen, profligato praeſertim teneſmo, attulerunt. Sitis, vigiliae, febricula recurrens auctae, aucti etiam veſpertini, aegrum admodum exercentes ructus, tumorque auctus neque imminutus eſt. Cantharides tumori impoſiti leuamen attulerunt dolore tantopere minuto, vt attactum, rudiore etiam

manu, ferret. Exploratus exactius tumor ad dorſi ſpinam vſque deſcendit: de originibus ab anginae materie delata in tumidum locum nullum dubium. Debilitate poſtea, animi deliquium referente, frigore extremorum, caet. accedentibus, aegroque in ſummum inde vitae periculum deducto, tenuis et in grumos coacti ſanguinis librae tres aluo reddi-tae ſunt.

Vitrioli naphtha reſtitutis viribus, ſomnus placidus rediit. Altero die purulentus ichor deceſſit, tumoris tamen mole non minuta, aucta potius, cum tenſione et dolore.

Inciſus tandem tumor eſt non ſine metu aneuryſmatis interni, ob pulſationem tam continuam intenſamque. Pus reddidit, vini fecem referens, copioſum, cum maximo aegroti leuamine. Nono autem poſt inciſum tumorem die, dolore et debilitate confectus obiit.

p. 16. Inciſo poſt mortem vlcere detectum tandem eſt, locum hepatis ſiniſtrum exeſum paene illi ſedem praebuiſſe, depulſo ex naturali ſuo ſitu ventriculo. Colon inteſtinum purulento ichore obſitum, calloſum, ſteatomatoſum. Sana caeterum omnia.

Epicriſis addita plurima notatu inprimis digna continet. Signa hepatis exulcerationi communia alias plura defuerunt, nocturni ſudores, ſpiritus olidus, amarus in ore ſapor. Impuritates in primis viis morbo origines dediſſe admodum credibile eſt. Ipſa enim pituitoſa angina vtplurimum ab humoribus in primis viis collectis pendet, omniaque, quae crebro per decurſum morbi aluo decedebant, pituitoſam naturam habuere. Natura in hac pituita ad colli glandulas deferenda occupata, purganteque vehementer medicina turbata, pituitam in iecinore et colo inteſtino depoſuit. Draſtica medi-

cina

cina iterum data dolores, inflammationem vehementer auxit.

Vomitus talibus affectionibus alias communes admodum ventriculus loco ſuo pulſus forte praepediuit, illius vero locum ructus creberrimi veſpertini, nulli praeternaturali in ore ſapori adiuncti occuparunt.

Pulſatio tumoris continua vehemensque ſat notabile etiam ſymptoma conſtituit. Ortum autem ea inde duxerat, quoniam, ventriculo in ſiniſtrum latus a tumore depulſo, deſcendens aorta ſubtus poſita motum ſuum ventriculo et toti tumori impertiit.

Sudores nocturni, ſueti alias a reſorpto pure, nulli adfuere. Cutem aeger conſtanter aridam, ore tantum ſubinde frigide ſudante, habuit. — Mortis cauſſa Noſtro magis colo inteſtino, quam iecinori exulcerato, deberi videtur, ob peculiarem qua hoc inteſtinum gaudet, irritabilitatem et in inflammationem propenſionem.

XII.

De violae caninae in medicina vſu — pro gradu Doctoris publice diſſeret IOANNES HENRICUS ANDREAS NIEMEYER, Nordheimenſis. Göttingae 1785.

Motus variis virtutibus medicinalibus, quae violis omnibus propriae ſunt, vomitoriis, purgantibus, ſanguinem corrigentibus, cutaneos morbos varios depellentibus, cordi robur conciliantibus et odorem grato, ſubinde autem periculoſo imo lethifero modo ferientibus, cum canina viola a medicis vulgo neglecta contemtaque, cui medicorum paene nullus vires medicatas vel leuiſſimas

adſcripſit, Nobiliſſimus Auctor experimenta inſtituit.

Botanica plantae deſcriptione praemiſſa et caſibus, in quibus radix in vſum vocata eſt, copioſe enarratis, concluſio demum, a §. XIX. ex omnibus eſt, radicem violae caninae vim emeticam exſerere haud aegre in hominibus, quos neque prouectior aetas, nec vitae genus, nec morbi praegreſſi, nec medicamenta, praeſertim fortiora emetica, minus in emeſin procliues reddiderunt. Ipſe Nob. Auctor experimenta ſua omnia in pauperibus inſtituit victu craſſo, admodum glutinoſo vtentibus, nulli regimini adſtringendis, (et copioſas admodum vomitum concitantium medicamentorum doſes requirentibus, quod in hominibus ex infima plebe Göttingenſi ſaepius experti ſumus) et tamen medicamentum raro ſine omni ſucceſſu datum eſt. Nec turbas iſtas moleſtorum ſymptomatum excitauit, quae probatiſſimorum emeticorum effectum ſaepiſſime comitantur, nec vllos noxios effectus edidit, dum etiam vomitum non concitauit, immo bonos laudabilesque, ſordibus e primis viis eductis, et viſceribus natiuo ſuo robore reſtituto. Laxans aeque blandum eſt, quam vomitorium, nec vnquam fere vomitum excitat, niſi aluo ſimul ducta. Subinde omnis effectus in ducenda aluo conſiſtit. Nec violenti aut dolentes alui deceſſus ſunt, ſed blandi, dolorum expertes. Sed, dum pituita in ventriculo indigeſta praeualet medicamentum quod eam incidat, prius dandum eſt, ipſaque violae radix in pulvere, ad drachmae pondus vſque, danda eſt, qua forma potentius agit.

Licet autem, ob tardiorem paulo effectum haec medicina in omnibus caſibus, vbi effectus cum celeritate quadam exſpectatur, dari nequeat, commode tamen dabitur in omnibus, quibus lentus ſtimulus

mulus ſufficit, intenſior nocet, mixta aut dubia euacuationis, inprimis quoad viam, per quam euacuatio inſtituenda ſit, indicatione exiſtente. Nec in vnico vomitu radicis effectus ſubſiſtit, prout Cl^mi viri COSTE et WILLEMET obſeruarunt, ipſaque medicamenti forma, quantitas, caet. multum ad augendum vel minuendum effectum facit. Reſpiciendum denique etiam ad ingerendi modum, nec non ad regimen et diaetam eſt.

XIII.

Diſſertationem inauguralem de febre gaſtrica putrida pro gradu Doctoris eruditorum examini ſubmittit CAROLUS FRIDERICUS BORN, Brandenburgenſis, in noſocomio pauperum Petropolitano medicinae et chirurgiae practicus. Göttingae 1784.

Notanda quaedam haec diſſertatio continet, putridarum febrium cauſſas et curationem in Ruſſia expedientia. Endemiam in Ruſſia hanc febrem coeli praeſertim temperies reddit et tanta tempeſtatis inconſtantia, vt vno eodemque die veſtes aliquoties mutare neceſſe ſit, excipientibus diem quam maxime calidum noctibus, verno praeſertim et autumnali tempore, frigidiſſimis. Balnearia ſiue potius vaporaria calidiſſima, inſueto aduenae nullo modo toleranda, ex quibus plebs Ruſſica in frigidiſſimam aquam multamque niuem ſtatim ſe confert, eandem febrem inducunt, grauiorem reddunt. — Qui gonorrhoea et fluore albo laborant, vtut inueteratis et virulentis, febre hac oborta ſtatim a morbo ſuo liberantur, nunquam redeunte. Ipſa adeo luis venereae conſummatae ſymptomata

pertinaciſſima ceſſere febri penitus, ita vt Noſter ſancte adſeueret, neminem ob recidiuam luem veneream hac febre curatam in noſocomium rediiſſe, quod vtique mirandum (nec credendum tam facile eſt), inprimis quum pertinax admodum impura lues in Ruſſia ſit, duplum temporis ſpatium ad curationem et triplam medicamenti quantitatem requirens, — Frequens eſt morbi ad digitos articulorum translatio, qui ſphacelo correpti decidunt, febre penitus cedente. Male curatam aut neglectam febrem hydrops ſaepiſſime excepit, euacuantibus vbique, multis etiam ſordium ſignis praeſentibus, curandus.

In curationis praeceptis plura ſunt non quidem inaudita, attamen commode et vtiliter dicta: Venam his febribus laborantibus incidendi regulae praeclare traditae ſunt, nec non exhibendarum medicinarum, quae vomitum concitant. Summa eſt, dari debere emetica mobilibus ſordibus exiſtentibus et ſurſum turgentibus: ipſe Noſter in grauiſſima ſymptomata incidit, data ei in initio febris vomitum concitante medicina, ſordibus parum praeparatis. Caetera medendi praecepta ſatis obuia notaque ſunt, deſiderandum tamen in tota curatione id eſt, quod Auctor ſolis paene euacuantibus et antiputredinoſis inſiſtat, nullo reſpectu eorum habito, quae natura in his morbis molitur.

XIV.

IOSEPHI QUARIN, Sacr. caeſar. reg. apoſtol. maieſt. conſil. aulic. et archiatr. in noſocomio generali Vindob. directoris ſupremi, animadverſiones practicae in diuerſos morbos. Viennae, apud Rud. Gräffer 1786. in 8v. 338 pagg.

Promi-

Promiſerat ante complures annos Cl. Auctor obſeruationes quasdam in diuturnos morbos; adverſariis autem aut diſtractis, aut dilapſis, ſtare promiſſis, morbis praeterea implicitus, non potuit. Demandata autem ipſi noſocomii generalis Vindobonenſis cura, ex re iuniorum et in arte minus exercitatorum fore arbitratus eſt, ſi, quae apud praeſtantiſſimos ſcriptores medicinales diſperſa reperiuntur, congereret, eaque ſuis obſeruationibus monitisque vel augeret, vel confirmaret, vel, propriis ductus obſeruationibus, infirmaret. Quod hoc modo effecit perfecitque, vt non de chronicis ſolum, verum etiam de aliis morbis, qui occurrere quam frequentiſſime ſolent, ageret, multa tamen, quae ad theoriam ſpectant, omnino non attingeret, quoniam ea omnia fuſe apud alios pertractata ſunt. De cauſſis tamen morborum nonnunquam prolixe diſſeruit, maximam vero operam in experimentis poſuit ad nouorum et nuper laudatorum medicamentorum vim aut demonſtrandam, aut infirmandam.

Vt autem commentariorum noſtrorum lectores aequi intelligant, quaenam in hoc libro contineantur, notatu digniſſima tradere ex eo breuiter expedit.

De apoplexia primum agitur, in eoque primo capite plura exponuntur ſcitu admodum vtilia. Vidit Noſter, plures maniacos hoc morbo interiiſſe. Quae nullis antegreſſis ſignis, veluti vertigine, grauedine, ingruit, periculi plurimum habet; indicat enim aut polypum internum, aut vaſa ſciſſa. Neminem vnquam vidit Noſter, qui, ſi manum eidem capitis parti crebrius admoueret, mortem effugiſſet, mitioribus etiam caeteris ſymptomatibus omnibus. Sudorem etiam copioſum ac validum e toto corpore manantem vtplurimum lethalem vidit, vti et

febrem frigidae apoplexiae ſuperuenientem, quae peſſima eſt, ſi ſpiritum ſimul aeger aegrius ducit. Frigida fomenta, quibus praeclaram vim ad hunc morbum recentiores adſcripſere, Noſtro non probantur, ob coecitatem et immedicabiles neruorum reſolutiones poſt huius medicinae vſum ſubinde natas. Emeticorum vſus merito notatur; ii enim errant, qui ob ſolum materiae bilioſae vomitum emetica propinant, quum a plethora caput turbante nauſea et vomitus aeque oriri poſſint. His tamen, qui ventriculo cibis onuſto admodum in apoplexiam incidunt, faucibus penna irritatis vomitum concitare conuenit. Reliqua curatio apoplexiae ab ea non recedit, quam antiquiores medici praeceperunt, neque copioſa remediorum alcalinorum volatilium tantopere a compluribus medicis commendatorum mentio iniicitur. Ad paralyſin anthos herba et arnicae flores admodum laudantur, belladonnae autem ad eundem morbum, et ingenti quidem doſi, vſus ſuſpectus Noſtro eſt. Colocynthis his praecipitur, qui viſcidi plurimum in corpore ſuo habent.

p. 19. De epilepſia cap. II. Morbi, viris prae feminis familiaris, cauſſae neque omnes, neque ita expoſitae ſunt, vt ex his ſignis cognoſci queant. Feminae duae in ipſo morbi inſultu periere: altera tophum, altera exoſtoſin in cranio ex venerea lue neglecta habuit. Quartana, haemorrhoidibus, diarrhoea, vlceribus, coeli mutatione, epilepſiam ſanatam Noſter nunquam vidit, a plethora autem pendentem in puellis circa pubertatis tempora ſolutam. Cum medicamentis, quibus ſpecificam ad epilepſiam vim auctores tribuere, plura experimenta in noſocomio inſtituta ſunt. Phoſphorus anceps remedium eſt, quernus viſcus lente exſiccatus aliquoties profuit, aurantiorum folia aegrum gra-

grauiſſimis paroxyſmis per diem ſaepe redeuntibus vexatum ſanarunt. Tauri inſpiſſata bile nonnulli epileptici palleſcentis et tumiduli habitus ſanati ſunt. Hyoſcyamus nihil profuit, ſtramonium autem inducta mitigatione ſpem fefellit, re in perniciem poſtea conuerſa. Belladonna epilepſiam non ſanauit, aberrationem tamen mentis minuendo leuamen attulit. Cupri ſulphur nihil praeſtitit, moſcho mentis ſtupor minutus eſt, oleum animale Dippelii recenti malo a menſtruo fluxu intercepto orto obfuit. Praeſtantiſſima autem medicina valerianae ſylueſtris radix eſt, eaque epilepticis ideo ſaepe nullam opem adfert, quod vel in victu, vel aliis rebus delinquant. Pueri adeo liberati a morbo penitus ſunt, medicina hac nutricibus largiter data. — Corpora, in quibus glutinoſum abundat, egregie purgantur, tinctura martis helleborata data. Talibus, ſi vermibus laborant, mercurialia dare non expedit: conſtat enim, lumbricos inteſtinales vix frequentius deprehendi, quam iis in locis, vbi argentum viuum e terra effoditur hominesque aërem mercurio inquinatum continuo hauriunt. Sabadillae ſemen ſaepius aegris datum vomitus intenſos concitauit nec peculiari vi vermes expellere viſum eſt. Tandem de balneorum frigidorum ad epilepſiam viu agitur.

De tuſſi, cap. III. Leuatur ex Noſtri ſententia, quam vero confirmatam non vidimus, tuſſis convulſiua, ſanguinis profuſione accedente, quam ob cauſſam etiam venaeſectio praecipitur. Ceſſit feliciter tuſſis conuulſiuae curatio datis primum ſalinis medicinis cum manna et inuoluentibus ſyrupis, et purgata per aliquot dies aluo, taraxaci cum emollientibus decoctio. Oleoſa conueniunt ſicca tuſſi exiſtente, vrgente autem periculo Kermes minerale. Cortex Peruuianus ad vires inſtaurandas et mor- p. 33.

morbi reditum cauendum praecipitur. Abſtinendum ab eo eſt aucta ſpiritus difficultate et pectoris oppreſſione. Caetera omnia, quae de aliis tuſſis ſpeciebus praecipiuntur, ſatis obuia ſunt.

p. 50. *De haemoptyſi*, cap. IV. Ea frequentior Viennae forte eſt ob adſcenſus praealtarum aedium difficiliores. Multum etiam ad eam creber mercurii vſus facit, inprimis ſublimati. — Nitri vſus in curatione morbi tantum conuenit, ſi fractae aegrotantium vires ſunt et ſanguis tenuis profunditur. Graviorem haemoptyſin, in qua ſanguis valde aeſtuat, vitrioli ſpiritus dilutus depellit.

p. 68. *Phthiſis*, de qua capite V. agitur, omni contagio non vacat. Vidit Noſter aliquot mulieres diu noctuque cum phthiſicis maritis in conclaui verſantes, et eodem morbo demum ſuccumbentes, nec vllum vnquam vidit, qui, ſi calculos tuſſiendo eieciſſet, mortem effugerit. Grauidae etiam phthiſi adfectae ſaepe breui a partu tempore intereunt. Sanati quidam ſunt ſputa grauiſſima, omnino purulenta ac virideſcentia, exſcreantes, nullus autem morti ereptus eſt, dum ſputa copioſa, aquoſa et ſpumeſcentia, quibus purulentae velut inſulae innatabant, egerebat. — Venaeſectio ad curandum morbum tantum valet, ſi denſus ſanguis eſt et cum caeteris ſignis pulſus durus tangitur. Elixirio vitrioli Anglicani parum ſalutiferae virtutis ad hunc morbum tribuitur, praeter eum, qui poſt diuturnas febres natus eſt. Triginta abhinc annis acida mineralia diacodio aut demulcentibus, ne tuſſim exaſperarent, mitigata, phthiſicis Noſter exhibuit, ſed nullo emolumento, immo potius hoc detrimento, vt ſputa odorem teterrimum vix tolerandum acquirerent. — Cucumeres, pepones, caet. morbo ingruente et febre praeualida exiſtente tantum valent, ſi vero humores cum corporis languore ſoluti

luti ſunt, vix conueniunt. Fixus aër inſpiratus, aſphalti oleum, calcis aqua lacte temperata nihil leuaminis attulere: qui ab vltima medicina leuari viſi ſunt, poſtea de ciborum appetitu deleto, omnibus ſimul in peius ruentibus, conqueſti ſunt. Nec in fonticulis et ſetaceis plurimum praeſidii ponitur. Polygalae amarae vſu phthiſicus nullus adhuc reſtitutus eſt; cum ſucceſſu tamen data eſt, vbi materies purulenta muco tenaciori iuncta excernebatur. Islandicum lichenem Noſter maxime exhibuit, ſi aegri corticem non ferrent, nec cum cortex iuuaret, lichene abſtinuit, coniunctis ſcilicet duabus medicinis efficaciſſimis. Cortex autem Peruuianus efficaciſſimus, contra mentem celeberrimorum in arte medica virorum, habetur, cuius inſignem vim vſumque praeſtantiſſimum et plane ſingularem Noſter experientia triginta annorum didicerit. Sed non ad eius vſum progrediendum eſt, niſi poſtquam inflammatorius ſtatus remiſerit. Febrem inprimis cortex potenter debellat, variis, pro ſymptomatum accedentium varietate, medicinis adiungendus, non tamen balſamicis prius, quam febris penitus deſierit; commendata enim a veteribus ad phthiſin ideo fuiſſe videntur, quia iisdem ad putredinem a cadaueribus arcendam vtebantur. Balſamum de Mecca vere genuinum a comite DE SCHWACHHEIM, imperatoris ad Turcarum imperatorem legato, a quo id muneris loco acceperat, Noſtro datum, maiorem vim ſalutiferam non habuit, quam illa, quae terebinthinae coctae, cui pars calefacientis virtutis coctione detrahitur, ineſt. Glandium quernarum toſtarum decoctio nunquam profuit. Nec equitationem profuturam Noſter admodum putat, quoniam augendo ſanguinis motum, ſanguinis per pulmones velociorem tranſitum concitat.

p. 105. *De aſthmate* cap. VI. agitur, quae vero ad pathologiam pertinent, exigui admodum momenti obuiaque ſunt. Nec quae de curatione proferuntur, valde bona ſunt, et falſa ſubinde. Sic dulcamarae ſtipites in infuſione tantum laudantur, quum ingrata palato, ob amaritiem, decoctio ſit, quod conſilium reprehendi debet, quoniam nuperorum obſeruationibus conſtat, medicinales virtutes dulcamarae profunde inſidere, nec aliter, quam protracta decoctione, facile extrahi. Ita etiam abſonum eſt, *pectori inimicam ipecacuanham dicere* eam ob cauſſam, quod puluis illius in foeminis quibusdam ſpaſmodicum aſthma concitauerit; omnia enim medicamenta puluerulenta, pectori alias amiciſſima, irritando agunt cum ſpiritu in pulmones delata, vt notum omnibus eſt. Interne, minuta doſi data, in rebelli aſthmate aliquoties, verum non ſemper, profuit. Gibboſorum aſthma ſquillae extractum, Kermes minerali et ammoniaco gummi mixtum, potenter depulit et hydropis pectoris ſimul metum. Tabaci extractum nullam vnquam opem aſthmaticis attulit. Scrofulis et aſthmati ab eis pendenti ſpongia marina combuſta cum antimonio data maxime obfuit, verum ipſae ſcrofulae vix vlla ſanari medicina poſſunt, praecipue ſi lapideam duritiem tumores nacti ſunt. Eadem marina ſpongia cum elaeoſaccharo aniſi data ſtrumas potenter diſcuſſit, nec vnquam maciem induxit, tumoribus potius in corpore latentibus, quam medicinae, tribuendam. — Digitalis purpurea ab HELMONTIO iam ad ſcrofulas commendata aegris quibusdam ſcrofuloſis tumoribus adfectis in noſocomio data eſt, ad quorum morbum efficaciſſimae alias medicinae nihil valuerant. Succus expreſſus herbae cum extracto datus eſt, et efficaciſſimam medicina ſe praebuit, in primis in morbo poſt ſuppreſſam ſcabiem nato.

nato. Molliti ſenſim tumores pus laudabile demiſerunt, poſtea vulnera coaluerunt. Alii a medicamento titillationem, doloris in adfecta parte ſenſum, febriculam alii experti ſunt, in iisque ab illius vſu Noſter deſtitit, non vero in iis, qui ab eodem medicamento nimia copia ingeſto capitis dolorem, oculorum caliginem, vertiginem, experti ſunt; hi enim, minuta medicinae doſi, perfecte ſanati ſunt. Bona et laudabilis ſemper poſt digitalem datam ſuppuratio fuit, ſcrofuloſis etiam tumoribus extractum cum emplaſtro de cicuta impoſitum vlcera, ſed tardius, ſanauit. Efficax etiam in hydropis ſpecie quadam digitalis purpurea fuit.

Pectoris hydropem, qui cap. VII. pertractatur, ſaepe tum ortum vidit Noſter, cum, haemorrhoidibus nimium fluentibus vena incideretur, aut datis ad menſtruum fluxum poſt ſuperatas acutas febres ob ſanguinis inopiam interceptum expediendum emmenagogis et venaeſectione ſimul adminiſtrata, aut denique copioſe datis *taraxaci, graminis decoctis, extractis*, medicamentis maxime ſoluentibus ad annoſos tumores et ſcirrhoſas viſcerum indurationes ſanandas; facilius enim multo euenire putat, vt humores corporis noſtri nimium ſoluantur, quam vt inueteratae iſtae obſtructiones tollantur. Speciem autem ſingularem, (a medicis hactenus praeteruiſam, admodum tamen notabilem, quippe quae frequentius occurrit, nec a Noſtro bene et copioſe pertractatam) pectoris hydrops, frequentior morbus, quam vulgo creditur, habet, pulmonum hydropem, ſi aqua vel in pulmonum cellulis diffuſa eſt, vel ſacco, vomicis aut hydatidibus continetur. Signa latentis ſaepe morbi et cognitu iis temporibus, quibus a medicamentis auxilium exſpectare adhuc licet, difficillimi copioſe et vtiliter expoſita ſunt; pectoris autem concuſſio inſtitui raro

poteſt,

poteſt, cum minimus etiam motus aegris ſpiritum ſaepe praecludat, nec ſonus, ſi aqua in ſacco collecta eſt, percipiatur.

Curatu autem pectoris hydrops facilior eſt, qui pulmones occupat, inſanabilis vero ſaccatus eſt, vel a polypis aut aneuryſmate ortus: lethiferum etiam eſt, ſi hoc morbo adfecti vrinam copioſam naturali ſimilem aut pallidiorem emittunt: ſalutis autem ſpes adeſt, ſi parum profundius tincti lotii excernitur, diureticisque medicinis adhibitis lotium largius fluit.

p. 130. Ad curationem inefficax nicotianae extractum fuit, nec arnica vllum auxilium praeſtitit. Venaeſectio, pulſu etiam pleno et duro exiſtente, ſemper obfuit. Kermes minerale tam tuſſim quam ſpiritus anguſtiam auget. Purgantia, diuretica, opiata mali plurimum, boni parum aut nihil attulerunt. Vnica in hydrope pectoris ad ſalutem hinc via eſt, vt vrina moueatur, ad eumque finem Noſter extractum ſcillae cum ſaccharo datum admodum commendat, quo vrina potenter pellitur et ſaliuae magna copia, velut a ſumto mercurio, ſed absque faucium laeſione, educitur. Scilliticum vinum effectum ſalutarem non edidit. Plurimi male inde adfecti ſunt, nonnulli perierunt, in iisque cadavera ventriculum cum inteſtinis inflammatum exhibuerunt. Aegris pulmonum hydrope laborantibus medicamentum ex diureticis et emollientibus compoſitum tanto cum ſucceſſu datum eſt, vt alter ingentem ſeri limpidi copiam eiiceret, ſanitate poſtea perfecte reſtituta, alter autem ſcalas aſcendere et ire absque moleſtia poſſet. Compluribus poſtea adiectis et ſatis copioſe enarratis morborum hiſtoriis probatur, ſcillae extractum vere principem et ſumme efficacem ad hanc hydropis ſpeciem medicinam eſſe.

De

De aſcite, cap. VIII. Cauſſae illius, ex Noſtri mente, ſunt plethora vaſis nimium reſiſtens, frigida aeſtuantibus viſceribus ingurgitata, tumores varii carnoſi, ſteatomatoſi, ſcirrhoſi, ſpirituoſorum abuſus, ſoluentia nimia in inueteratis obſtructionibus adhibita, animi aegritudo.

Circa purgantium, praeſertim draſticorum, vſum in hoc morbo plura commode praecipiuntur, felicius autem et efficacius aſcitem diureticis debellari adſeritur: haec enim morbum ſaepe ſanarunt, ad quem profligandum purgantes nobiliſſimas medicinas medici iam praeceperunt. Cantharidum vſus ad aegros, qui glutinoſum corpus habent, reducitur; veſicatoria adeo ampla hydropico impoſita, concitata vrina, aegrum ſanarunt. Meloë proſcarabaeus Lin. in electuario cum roob ſambuci hydropicis datus aquas aliquoties, ſubinde effectu admodum citato, deduxit, in aliis autem non ſucceſſu ſolum medicina caruit, verum etiam parcam vrinae ſecretionem, ſitim, caet. induxit. — Millepedes commendari vix merentur, quum praeſtantioribus medicinis aliis medicinalis materies abundet. Scilla autem omnium efficaciſſima eſt. Oxymel ex ea paratum aegris ſtrictiore habitu praeditis, quorum pulſus celerior eſt, vinum laxis, pallidis, glutinoſis conuenit, raro tamen morbum ſcillae vinum depulit, minori doſi ingeſtum non ſatis efficax, maiori vomitum, tormina, inducens. Extracto maxima vis ineſt, quod tamen magna doſi dari non debet; vidit enim Noſter, dimidium ſcrupulum immanes abdominis dolores, et mortem ipſam ex gangraenoſa inteſtinorum inflammatione induxiſſe.

Colchici extractum quod, tamen ſcillae virtute ſua proxime accedit, ſaepius aſciticis, verum ſemper fruſtra, datum eſt. Gratiolae extractum vrinam potenter depulit, ſpirituoſum, ex foliis para-

tum, aluum magis duxit. Ireos noſtratis ſuccus aegris hoc euentu datus eſt, vt ardor, oeſophagi, ventriculi et inteſtinorum dolores, vomitus, frequens deſidendi conatus absque notabili aluina purgatione, febris, inflammatio, mors, ſequerentur. Aſarum fruſtra datum eſt, nec non lactucae viroſae extractum, cui tamen pharmacopoei ſonchum oleraceum ſaepe ſubſtituunt, et quod efficaciam ſuam a ſcillae extracto ipſi admixto vtplurimum habet. Tartari cremor cum ſexta vel ſeptima boracis parte remixtus mire in hydrope aſcite ab obſtructione viſcerum orto profuit, effectusque edidit a ſolo cremore tartari fruſtra exſpectatos. RACHERI pilulae, quae aluum adſtringunt, ſemper nocuere, vbi febris, calor, ſiccitas adſunt et vrinae foetent; hinc in hydrope non vbique adhibendae: profuere autem admodum maniacis, quorum complures perfecte adminiſtrata hac medicina ſanati ſunt. Nec hellebori nigri cum amaris medicamentis infuſio multum opis hydropicis attulit.

p. 193. *De vomitu cruento*, cap. IX. Pathologiam huius morbi penitus ad noſtra vſque tempora neglecti, cui tamen praeclaram lucem adfudere Cl^mi Viri KAEMPFIUS atque MARCARDUS, praetermiſit Noſter, qui, damno profecto eorum, quae in medium proferuntur, parum ad curationem intereſſe exiſtimat origines illius enarrare. Verum ad curationem morbi conſilia leui quoque et fugiente velvti calamo elaborata ſunt, vt vbique pateat Noſtrum aut morbum ignoraſſe, aut plura in eo notatu digniſſima non vidiſſe: omnia enim ad venaeſectionem et ad adſtringentium et ſtypticorum vſum redeunt, quibus tamen in curatione inſultuum vix ſemper locus eſt. Quum ſcorbutici ſanguinem quandoque vomant, de ſcorbuto ad capitis finem quaedam proponuntur.

De

De cholera cap. X. Venaesectionem in ea inuti- p. 204.
lem atque pernicioſam cenſet ob pulſum paruum atque inaequalem, et ſudores corporis frigidos: ſed in plethoricis adminiſtranda vtique eſt; ſanguine enim miſſo, pulſus cum calore redit. Emetica recte reiiciuntur. Caetera medicamenta inuoluentia, bili aduerſa aeſtuique ob vim et celeritatem morbi ſalutares vires exſerere vix queunt, hinc ſtatim ad opium confugiendum eoque motus ſopiendi ſunt. Superato tandem morbo, ſi impurae ſordes aut alia medicamentis corrigenda reſtant, aluus leniori medicina ducenda eſt.

De dyſenteria cap. XI. Raro penitus inflamma- p. 209.
toria eſt, tuncque dolor illi conſtans, fixus et velvt ardens adiungitur, nec a vomitum concitantibus medicinis auxilium exſpectandum eſt. A ſuppreſſa perſpiratione orta purgantem medicinam non fert, ſolis inuoluentibus, diaphoreticis curanda. In putrida aut bilioſa dyſenteria emetica admodum conueniunt, paregorica poſt vomitus, ad turbas componendas data, exitioſa ſunt, quoniam ſordibus viam praecludunt, febrem, putredinem, augent. Poſtea purganda aluus, deinde lenientibus demulcenda eſt. Ex demulcentibus autem medicamentis ſalicaria eligenda eſt, quae nihil ſtyptici continet, nec noxium effectum vllum, qui ex adſtringentium vſu facile alias conſequitur, edit, phthiſicis adeo in alui colliquatione diuturna admodum proficua. Paregorica demulcentibus iungenda ſunt, ſi inflammatio et primarum viarum impuritas abeſt. Adſtringentia proſunt, ſi his omnibus nihil proficitur. Arnicae radix in putridis febribus cortice Peruuiano *longe inferior* (?) dyſentericis data tormina auxit. Colombo radici praeter adſtrictionem leuem parum proficui ineſſe videtur; nec omnis periculi vitrum antimonii ceratum expers eſt. Diuturna

dyſenteria neglectaque laborantes opio cum ipecacuanha et adſtringentibus dato ſanati ſunt.

p. 237. *De ictero*, cap. XII. Nigrum icterum, ſubito alias lethiferum morbum, aegrum per complures annos in vrbe ambulantem occupaſſe, Noſter vidit. Omnis autem icterus vtplurimum in tympanitidem aut in hydropem aſcitem abit, inprimis ſi albam vrinam aegri copioſe reddunt, et dextri hypochondrii tumor medicamentis non leuatur. Si ſoluentes medicinae ad icterum curandum requiruntur, ſaponariae decoctio omnibus praeferenda eſt: requiritur autem in annoſa viſcerum labe diuturnus admodum ſoluentium medicinarum vſus. Virum reſtituit Noſter, tali curatione per biennium continuata. Pertinaciſſimus, ad quem nulla medicamenta valuere, icterus fructuum horaeorum vſu leuatus eſt. Belladonna in aliis morbis fruſtra tentata paucis ictericis profuit, plures autem nullum inde leuamen percepere. Ricini oleum ad icterum a quibusdam laudatum multisque colica pictonum laborantibus datum maioris efficaciae non fuit, quam amygdalarum oleum mannae iunctum: hoc vero oleum a mercatore allatum fuerat: Vindobonae ex ſeminibus preſſum ad cardialgiam et pertinacem alui obſtructionem praeclare valuit. Ad veſiculae felleae calculos Whyttii ſpecificum ex aethere vitrioli et oleo ſtillatitio terebinthinae maxime laudatur.

p. 257. *De haemorrhoidibus*, cap. XIII. Parum videtur Noſtro ad curationem conferre, vtrum haemorrhoides ex ſyſtemate venae portarum, an e vaſis hypogaſtricis, an e venis aut arteriis fluant. Nunquam autem haemorrhoides ſingulis menſibus, catameniorum more, fluentes vidit. Cauſſarum enumeratio admodum manca eſt, nec memorata a Cl. viris KAEMPFIO et MARKARDO cognita Noſtro eſſe viden-

videntur in practicis recentiorum libris vix satis versato. Vindobonensibus haemorrhoides hodie frequentiores, etsi vino moderatius vtuntur, aromatum abusui, exercitio corporis neglecto, crebrae in rhedis vectioni adscribuntur. Plus nimio fluentibus haemorrhoidibus, millefolii decoctum, quod etiam haemorrhoidali colica laborantibus apprime conuenit, subuenit, vrgente autem sanguinis profusione, adstringentia adhibenda sunt, in quibus martis vitriolum caeteris omnibus praestantius est. Idem et haemorrhagia vteri laborantibus auxilio est. Ipecacuanhae autem radix parcis data dosibus quasdam leuauit, in plurimis autem voto non respondit. Opium non conuenit (nec in vteri haemorrhagia a neruorum structura, cui alias semper auxilio est?) Ad vesicam vrinariam lapsae haemorrhoides demulcentibus curandae sunt: adstringentia imprudenter data inflammationem, suppurationem lethiferam excitarunt. Interceptas etiam ab haemorrhoidibus vrinae vias sola relaxantia expediunt.

De arthritide, cap. XIV. Differentia arthritidis a rheumatismo haec statuitur, quod hic nec hereditarius sit, nec contagio contrahatur, nec omnem membri, vel articuli mobilitatem tollat. In febribus autem articulorum dolori adiunctis cauendum est, ne statim pro arthriticis vel rheumaticis habeantur, quum hi dolores saepe ab impura primarum viarum cruditate pendeant. p. 271.

In non febrili arthritide chamaedryos infusio iuuit, quibusdam tamen ventriculum male adfecit. Egregiam etiam opem aconiti extractum praestitit, nec non sulphuris flores cum antimonio iuncti, bardane decoctione superpota. Decocta etiam cum antimonio parata praeclaros effectus edidere, in viro, etiam qui ab arsenico sumto diriſſimos articulorum cruciatus passus est Mercurialia arthriticis

minus prosunt, neque iis, qui venerea lue adfecti sunt. Hi floribus sulphuris, antimonio et sassaparillae decoctione cum lacte curati sunt. Externa medicina ex sapone, arnica et cicuta parata egregios in hoc morbo et pectoris inflammationibus effectus edidit. Moxa, si pars inflammata est, nocet. Frigida balnea arthritidi auertendae vix idonea sunt.

p. 287. *Podagra*, de qua cap. XV. agitur, a vino origines vix ducit: Austriaci enim rustici, abutentes austero vino, hoc morbo vix corripiuntur. Verosimilius est, dirum hunc morbum ab abundante victu, neglectis corporis exercitationibus, nimio veneris vsu et immoderata mentis agitatione nasci. Quassia in podagra multum praestat: experientia tamen edoctus Noster didicit, gentianae radicem eadem praestare. Methodus autem, qua podagricos per plures annos aut ab insultu morbi liberos seruauit, aut eum admodum mitigauit, haec est: calidioris temperiei aegris verno et autumnali tempore per tres septimanas roob sambuci ad vnciam vnam alteramue cum sulphuris floribus dedit, frigidioribus vero sulphuris flores cum antimonio, frigidissimis et glutinosum corpus habentibus eadem medicamenta, resina tamen guaiaci addita. Piscium esus podagricos a morbo suo immunes non reddit: vidit enim Noster plures Carthusianos saeuissima podagra vexatos, quamquam ex ordinis instituto perpetuo carnibus abstinerent.

p. 299. *De morbis venereis*, cap. XVI. Gonorrhoea, quo propius vesicae collo residet, eo peior habenda est: quae vero in prostata ac cumprimis in seminalibus vesiculis haeret, frequenter omnem curationem respuit. Sanata a Nostro gonorrhoea antiphlogistica medendi methodo iam his temporibus est, quibus Vindobonenses longe alia vtebantur, nitrum vero

vero ob irritationem ab eo inductam, caute adhibendum est. Grauissima a balsamicis mala nata sunt, inflammatoria irritatione praesente datis. Sola vrethrae exulceratio mercurialia interdum requirit, externe etiam, si rebellis morbus est, cum mucilaginosis adhibenda. Saturninae iniectiones in compluribus atrocissimos abdominis et articulorum cruciatus excitarunt, quos quum medici pro talibus haberent, qui ex venerea lue oborti essent, et ad eos debellandos mercurialia adhiberent, insanabiles neruorum aegritudines et corporis consumtio exortae sunt. — Quandoque gonorrhoea sicca est, in qua scilicet vrethrae parietes concrescere velut incipiunt, et dolor inter mingendum intolerabilis percipitur, qui vero expresso ex vrethra muco mitigatur, et emollientibus ac mucilaginosis iniectionibus sanatur.

Condylomata, quae potissimum in immundioribus spectantur, ablata, si crebro recrescant, tormentillae vel bistortae puluerem applicare conuenit, sabinae autem puluis iis insperſus vix memorabilis efficaciae est. Aduersus venerea faucium vlcera tenuem atque acrem ichorem fundentia, in cachecticis praesertim corporibus, puluis ex gratiolae extracto cum cancrorum lapidibus profuit, qui per saliuam et vrinae vias inprimis egit. Cutanei venerei morbi, scabies herpesque pertinacissimus, scordii infuso saturato copiose sumto optime curantur. Saturnina medicamenta in quocumque externo venereo morbo non adhibenda sunt; penem enim cancro venereo affectum sensu atque erigendi potentia penitus priuarunt, symptomata alia complura pessimae indolis excitarunt. Ipsi venereo morbo curando frictio mercurialis, modica per eam salivatione excitata, maxime conuenit. Gummosum PLENCKII mercurium his dare expedit, qui frictio-

nibus vti nequeunt, ſed quandoque plus gummi Arabici, quam auctor praecepit, addendum eſt. Plures etiam lue laborantes ſaſſaparillae decocto cum lacte ſanati ſunt, quod tamen melius ceſſit in his, qui mercurio antea fuerant vſi. Idem medicamentum in tophis, ſcabie venerea, doloribus oſſa occupantibus, opem maximam attulit, nec non in phthiſi et tabe venerea debellandis, in quibus tamen minori quantitate hauriendum eſt.

p. 318. Pauci Noſtro noti ſunt, quibus mercurius ſublimatus corroſiuus auxilio fuit. Pluribus nocuit, membrorum contractionibus, neruorum inſanabilibus morbis, haemoptyſi, lethali phthiſi excitatis; hinc etiam Noſtri conſilio ductuque in generali noſocomio illius vſus penitus exoleuit, periculoſior adhuc, ſi in pilulis exhibetur. — Keyſerianae pilulae colicas grauiſſimas, hypercatharſes, et febres lentas induxerunt.

Venereos morbos in Hungariae confinibus a mulieribus ope radicis aſtragali exſcapi ſanari WINTERL, clariſſimus apud Budenſes medicus profeſſor, ad STÖRKIUM perſcripſerat. STÖRKIUS itaque a Noſtro petiit, vt huius medicamenti vſum in noſocomio tentaret, quod hoc modo factum eſt, vt radicum dimidia vncia cum XV. aquae vnciis ad libram remanentem decoqueretur, quae decocti portio mane et veſperi ab aegris hoc ſucceſſu ſumta eſt, vt, aluo a medicamento primum purgata, poſtea vero lotio et ſudore praeſertim nocturno concitatis, arthritici dolores breui fugarentur, tophi vero exulcerati ſimplici medela externa quartae ab aduentu aegrae ſeptimanae ſpatio curarentur, reliqui euaneſcerent, et aegra incolumis e noſocomio exiret.

Alia aegra eodem modo affecta eadem medicina penitus ſanata eſt. Alia herpete, venereo vlcere

et

et rheumaticis doloribus laborans, depulso perfecte morbo, nosocomium reliquit. Sanitas etiam iuueni eodem medicamento restituta est bubonibus induratis et admodum inaequalibus laboranti.

Experimentis in quatuor tantum aegris instituendis copia medicamenti suppetiit, hique omnes breui sanati sunt, aluo primum concitata, postea lotio et sudore potenter pulsis.

Finem operi vtilissimo, sed sine plurimo ordine conscripto, formulae medicamentorum imponunt.

XV.

10. FRID. BLUMENBACHII, medic. P. P. O. introductio in historiam medicinae litterariam. Göttingae, apud Dietrich, MDCCLXXXVI. in 8vo. 462 pagg.

Quoties de historia artis medicae literaria scholas doctissimus Auctor habuit, maxime molestum et importunum ipsi visum est, quod compendii defectu ad praelectiones academicas apti nomina auctorum et titulos librorum auditoribus in calamum dictare et filum orationis saepius praerumpere necesse fuerit. Cui incommodo hac introductione mederi studuit, ita tamen, vt et in vniversum synopsin quandam praecipuorum medicinae fatorum exhiberet, vtque liber etiam praecipua historiae medicae momenta contineret.

Ordo chronologicus, ceu maxime naturalis et tali tractationi apprime respondens, merito seruatus est: non autem seruiliter huic ordini Cl^mus Vir se adstrinxit, quum subinde aut eiusdem sectae viros, maxime si breuis aeui ea fuerit, iunctim exhibuerit, aut aliqua nomina, quae alias intacta relinquere

oportuiſſet, obiter, occaſione iubente, attigerit. A reſtauratione literarum in quaque periodo iterum ſecundum diſciplinae capita, quae praecipue ab vnoquoque tractata fuere, recenſus eorum factus eſt.

Propoſitum autem Cl^mo Viro fuit non, niſi meritiſſimos de artis incremento viros recipere, ſed quum ambiguum ſaepe de ſelectu iudicium ſit, difficilis ſaepe et ambiguus ſelectus fuit. Normam tamen in eo hanc ſeruauit, vt veteres medicos ad vnum omnes paene recenſeret, quoniam, etſi minime in eodem loco atque dignitate ſunt conſtituti, in vniuerſum tamen primi et principes in re medica auctores et quaſi eius fontes exiſtunt. Seuerior in Latino-barbaris iisque, qui reſtaurationem literarum proxime exceperunt, delectus fuit, paſſim tamen vnius alteriusue minus noti auctoris, praeſertim inter Germanos, memoria ſtudioſius excitata eſt, quoniam haec hiſtoriae medicae pars non vnam ob cauſſam omnium maxime neglecta et inculta iacet. Ex recentioribus plurimi citati ſunt, qui aut artem nouis inuentis locupletarunt, aut docendo, ſcribendo amplificandae illi occaſionem dederunt, aut reſtaurato veterum ſtudio medicinam ad antiquorum mentem reformarunt, a theoriarum ſordibus purgarunt. Hinc ſectarum et dogmatum praecipuorum auctores prae ceteris in medium prolati ſunt, inferioris doctrinae hominibus, HAUPTMANNO, WÜRDIGIO, aliis, exceptis.

Inuentores, aut vtili nouo inſtituto de re medica bene merentes, vbique laudati ſunt, etiamſi pauca ediderint, aut ignoti obierint, quales fuere IOACH. STRÜPPE, qui medicinae vtiliſſimam partem, politiam medicam, ex profeſſo primum tractauit et in libro Francof. 1573 edito: *nützliche Reformation zu guter Geſundheit und chriſtlicher Ordnung* ſapientia plurima conſilia de aëre puro ſervan-

vando, platearum munditie, ſepulturis a viuorum habitatione arcendis, de opificiorum generibus aërem inquinantibus, de obſtetricibus ordinandis, pharmacopoliis, noſocomiis viſitandis, inſtruendis, caet. literis prodidit, primum etiam de mumiis ſingularem librum conſcripſit, IO. REY, qui ex primis aëris factitii inuentoribus eſt, et SEBAST. ALBINUS, qui primus in libro: *Bericht und Handgriff, wie man mit Perſonen, ſo im Waſſer gelegen und für tod heraus gezogen worden, umgehen ſolle*, methodum aqua ſubmerſis ſubueniendi in vſum popularem Germanice prodidit. Tempora etiam ſemper ſtudioſe memorata ſunt, quibus vtilia inſtituta primum inuenta ſunt, aut in vſum venere, mortuorum exactae tabulae, ex quibus poſtea corollaria phyſiologica, pathologica, politica vtiliſſima deducta ſunt, conditarum academiarum ſcientiarum et artium celeberrimarum anni, tempora, quibus maxime inclaruere. Nec philoſophos praetermiſit, ROGERUM BACONEM, NICOLAUM REGIUM, CARTESIUM, LEIBNITZIUM, alios, qui aut nouis ſectis anſam dederunt, doctrinae forma mutata, aut inuentis nouis medicinam locupletarunt.

Viri etiam tales excitati ſunt, qui, licet artem nouis inuentis non auxerint, ſcholis tamen ſuae aetatis illuſtrandis inclaruerunt, ROLFINCCIUS, G. W. WEDELIUS, alii. Alias etiam memorabiles euentus Cl. Auctor non neglexit, qui rei medicae aut fatales valde, aut ſalutares fuerunt, nouorum morborum exortus, pharmacorum celebriorum inuentum, caet. aut qui, quamuis non proxime ad medicinam pertinere videntur, tamen ſummo eidem emolumento fuerunt, vt Indiae vtriusque inuentionem, inuentum artis icones lignis incidendi, caet.

Auctores noſtris temporibus in arte noſtra illuſtres Cl. vir ad annum MDCCLXXXV. recenſuit,

eos

eos ſcilicet, qui ad hunc vſque annum diem ſuum obierunt: viuorum enim delectum literis mandare nimis anceps negotium illi viſum eſt.

Haec paene ſunt omnia, quae in conſcribendo edendoque tali libro, qui inſignem ſine dubio tironibus et in arte ſua quoque verſatis, inprimis amplo librorum apparatu deſtitutis medicis vtilitatem pollicetur, Cl. Auctor ſibi propoſuit. Ipſum librum diligenter legentes atque retractantes laeti experti ſumus, promiſſis ſuis BLUMENBACHIUM noſtrum non ſtetiſſe ſolum, ſed ea etiam ſuperaſſe: omnia enim ſtudioſe vndique conquiſita, verum non tali modo ſunt, vt obuia de qualicunque Auctore quaeuis in aduerſaria haec literaria coniicerentur, ſed eo potius, vt, ſelectu diligenti vbique habito, ſcitu tantum neceſſaria vtiliaque colligerentur, et collecta ſeruarentur.

Quum autem haec literariae medicae hiſtoriae elementa duabus partibus, inuicem quidem ſibi coniugio anguſtiſſimo iunctis, conſtent, hiſtoria ſcilicet fatorum ſcientiae medicae, et literarum medicarum hiſtoria, per ſingulas haſce partes tranſire expedit, vt lectores intelligant, quid praeſtiterit Noſter, et quaenam praeſtanda adhuc ipſi aliisue reſtent.

Hiſtoriam medicinae quod attinet, hiſtoriae literariae intertextam, notandum eſt, quod ad paginam vſque XXII. antiquitatis medicae hiſtoriam ſimul expoſuerit, hiſtoriam medicinae ſcilicet apud Aegyptios, orientis populos quosdam, et eorum temporum, quae ad fabuloſam et mythologicam Graecorum medicinam pertinent, his, quae ad numinum medicinalium Aegyptiorum et Graecorum cultum referenda ſunt, et quae nobis antiquitatibus medicis accenſenda magis eſſe videntur, literariae hiſtoriae crebro intermixtis. Quod quidem ab omnibus ita factum eſt, qui exponendae medicina-

lis

lis ſcientiae hiſtoriae operam dederunt, ſed hoc euentu, vt medicinalium mythorum enarratione progreſſuum ſcientiae ipſius hiſtoria interciperetur et quaſi praefocaretur. Etſi enim facile concedimus, eſſe in his fabuloſis narrationibus plurimum, quod ad progreſſus medicinae in obſcuris hiſce temporibus cognoſcendos inprimis faciat, hi tamen progreſſus, qui in ea praeſertim medicinae parte, quae manu opem fert, inſignes fuere, a Cl. Viro, nimio breuitatis ſtudio ſine dubio ducto, parum notati ſunt, vt adeo omnia, quae ad HIPPOCRATIS vſque tempora proponuntur, EMPEDOCLIS, ALCMAEONIS, HERACLITI, DEMOCRITI, ACRONIS, HERODICI nominibus exceptis, fabularum medicinalium hiſce narrationibus comprehendantur.

Notum quidem omnibus eſt, HIPPOCRATEM primum medicinam in ſcientiae formam exactius redegiſſe, ſacrasque medicinales Aſclepiadarum ſcholas omnibus, qui medicinae ſtudio ducebantur, aperuiſſe, veram itaque medicinae hiſtoriam ab HIPPOCRATE, cuius monumenta nobis reſtant, incipere, omnia, quae ante haec tempora in re medica acta ſunt, aut non certa penitus, ſaltim nondum curioſe ſatis conquiſita, aut fabuloſa nimis eſſe, quam vt plurimam fidem mereantur. Quae quum ita ſint, melius hiſtoriae ſuae *literariae*, quae principem operis partem efficit conſtituitque, conſuluiſſet Noſter, ſi, praetermiſſis omnibus, ad ea vſque tempora, quibus Hippocrates vixit, pertractatis, cum ipſo ſtatim HIPPOCRATE hiſtoriam ſuam incepiſſet, praemiſſa, quod opus fuiſſet, diligenti enarratione eorum, in quibus Graecorum medicina vniuerſa conſtiterit temporibus, quibus HIPPOCRATES ampliſſimo ſuo ingenio ſcientiam tantopere auxit.

Quod

p. 23. Quod autem ad hos progreſſus pertinet, quibus medicina ab HIPPOCRATE magnifice dilatata eſt, hi omnes eo redeunt, vt Noſter eum *omnis medicae profeſſionis et methodi ſcientificae conditorem* cenſeri debere arbitretur, quae certe non omnia, nec ex noſtra mente merita praecipua ſunt, quibus hic vir, quem nemo hactenus vel e longinquo eſt aſſequutus, de medica ſcientia meritus eſt. Caeterum quae ad librorum, praeſertim editionum, hiſtoriam pertinent, praeclare expoſita ſunt, niſi hoc aliquo modo reprehendas, quod proprium de genuinis aut ſpuriis operibus iudicium Cl. Vir non addiderit, ſed HALLERUM ſit ſecutus, cuius merita in hac ſcientiae medicae parte aequiparari his vix poſſunt, quibus in aliis medicinae partibus paene omnibus laudem maximam promeruit.

p. 34. Subiuncta eſt hiſtoriae literariae operum Hippocratis enarratio ſtudioſa collectionum medicorum veterum, chirurgorum, gynaeciorum et librorum eorum, qui de medicina veterinaria agunt.

p. 60. De GALENO idem paene, quod de HIPPOCRATE, Noſtro iudicium eſt. Vir ſummus et vnicus dicitur, cui, ſiue vaſti ingenii acumen, ſiue immenſum doctrinae ambitum ſpectes, vix alterum vniuerſae antiquitatis aequiparare liceat. — Polygraphus, qui nullam non medicinae partem ſcriptis ſuis auxerit, de vniuerſa arte optime meritus, XIV. ſequentium ſaeculorum idolum, et in omni re medica fons et norma. Tandem narratur, quod vena, quae ventriculo cerebri tertio incumbit, et torcular HEROPHILI intrat, nomen eius retinuerit. Notae p. 63. additum eſt, criticas curas, quas HIPPOCRATIS operibus adhibuit, ad maxime immortalia merita GALENI pertinere. Quae quidem omnia praeclare vereque dicta de ſummo viro ſunt, ſed nec per ſingulas medicinae partes merita, nec pro-

progreſſus, quibus medicina ab hoc viro amplificata eſt, comprehendunt, adeoque *progreſſus ſcientiae ipſius hiſtoriam*, quod tamen in animo Cl. Vir habuit, vix illuſtrant. Caeteri alii Latini Graecique medici optime enarrantur, nulla tamen meritorum cenſura addita. Notatum tamen eſt, a ſeptimo inde ſaeculo ferream barbariem indies magis magisque incaluiſſe, vniuerſamque medicinam incultam et alto quaſi ſopore ſepultam iacuiſſe.

Ad Arabes qua ratione Graecorum et Romano- p. 86.
rum medicina peruenerit, et per vniuerſam Africam borealem et magnam Europae auſtralis partem per eos fuerit propagata, breui exponitur. Hi ſine dubio plurima ex Graecis fontibus hauſerunt, at multum etiam ad materiam medicam et rem alimentarium amplificandam contulerunt, imo in chemicis et pharmaceuticis principes auctores exſtiterunt. (Morbos etiam nouos deſcripſerunt, cutaneos praeſertim complures, adeoque et ex hac parte pathologicam et practicam medicinam amplificarunt.) Claſſici tantum ex vaſta eorum tribu nominantur, IOANNES filius MESVES, IOANNES filius SERAPIONIS, RHAZES, HALY filius ABBAS, AVICENNA, ALBUCASIS, AVENZOAR, AVERROES et MOSES MAIMONIDES, Hebraeus, Arabibus merito adiunctus.

Hos *Latino-barbari* ſequuntur, inprimis Salerni- p. 95.
tanae ſcholae breuis hiſtoria, nec non aliarum antiquarum, Montispeſſulanae, Pariſinae, Bononienſis. Scriptores autem ex his celeberrimos ſecundum ſcientias medicas, in quibus eminuerunt, Noſter recenſuit. Anatomen antea ſopitam reſuſcitauit FRIDERICUS II. Imperator, qui ipſe in opere ſuo de arte venandi cum auibus obſeruationes accuratiſſimas ad anatomen comparatam conſcripſit et humanorum cadauerum publicas in vſum medicorum diſſectio-

sectiones et demonstrationes institui iussit, cui vero vtilissimo instituto mox se opposuit BONIFACIUS VIII. edicto anno 1300 dato, quo sceletos excoquere vetuit, quod MUNDINUM, principem horum temporum anatomicum, etiam deterruit, ne in basin cranii accuratius inquireret. MUNDINI autem in rebus anatomicis fides tanta fuit, vt, quod cum descriptione eius in corporibus incisis non conueniret, posteri monstrum dicerent.

P. 78. Sopitas autem musas excitarunt ingenio et ordine diuersi admodum duo viri, alia quidem molientes, attamen quod restaurandis in Europae parte maxima literis ansam dederint, celeberrimi, AMURATES Turcarum Imperator, et LAURENTIUS IANSZON, vulgo COSTERUS alter, Thessalonica expugnata, ex qua THEODORUS GAZA, doctissimus vir, in Italiam profugit, quem deinde, Byzantino regno euerso, plures sequuti sunt, alter arte typographica casu inuenta. Medicinae, praesertim botanices et anatomes, incrementum auctum quoque mirifice est inuento artificio figuras ligno incidendi, quae primum occurrunt in libro: *ortus sanitatis, s. de herbis et plantis*, quem PETRUS SCHÖFFERUS Moguntiae sine dubio impressit. Animalium icones Zoologico scapo exhibitae primae occurrunt, quantum videlicet Nostro innotuit, in *dialogo creaturarum* ALEXANDRI ANGLICI, Goudae, 1480 impresso. Splanchnologicas figuras, et Hundtianis quidem 1501 Lipsiae editis praestantiores IO. DE KETHAM, verum tamen admodum rudes in fasciculo medicinae, Venet. 1500 fol. exhibuit.

Multis etiam incrementis medicina dilatata est America detecta, quae exoticorum studio, historiae naturali amplificandae, inprimis occasionem dedit. Multis etiam nouorum morborum generibus patho-

logia

logia et practica medicina aucta est, scorbuto 1482. in Germania primum viso, sudore Anglico, petechiis, (sine dubio, quod GRUNERUS, V. Cl. in praeclaro libro de morborum antiquitatibus probauit, antiquo morbo et Graecis iam noto) venerea lue, quae saltim anno 1493. insolita symptomatum vehementia erupit.

Anatomen restaurauit MARCUS ANTONIUS DE LA TORRE, primus princepsque tabularum anatomicarum ad ipsam naturam perfectarum auctor, qui infirmato studio, quo MUNDINUM sequuti sunt medici, ad GALENUM et naturam rediit, laborum socio adscito LEONHARDO DA VINCI, pictore celeberrimo, cuius rubrica delineatae et postea lineis atramento ductis distinctae tabulae in bibliotheca Magnae Britanniae regis seruantur. Floruere etiam saeculi XVI. prioribus temporibus summi Viri ANDR. VESALIUS, GABR. FALLOPIUS et BARTH. EUSTACHIUS. p. 117.

Botanici sequuntur. Primus icones stirpium curate ad naturam factas exhibuit OTHO BRUNFELS, vti etiam vniuersae botanices restauratio vnice Germanorum industriae debetur. Medicinales horti saeculi XVI. initiis primum coli coeperunt, et priuati quidem primum EUR. CORDI, CONR. GESNERI, postea academici, quorum primus exstitit Patauii 1533. p. 126.

Primus res naturales studiose vndique congessit, primumque physiophylaceum condidit GEORGIUS AGRICOLA, sanioris insuper metallurgiae classicus auctor. — Eiusdem saeculi priori parte dimidia in Germania, vt videtur, primum institutum est, vt medicamentis in pharmacopoliis diuendendis certa pretia auctoritate publica constituerentur. Prima tabula, qua medicamentis pretium constituitur, Lindauiensis est, anno 1538. edita.

p. 148. Sequuntur, PARACELSI hiſtoria literaria data, ANT. BENIVENIUS, primus inſtituti hiſtorias morborum et obſeruationum ſingularium conſcribendi Auctor, HIER. BRUNSCHWYK, primus Germanorum, qui chirurgicas inſtitutiones vernacula lingua conſcripſerunt, et reſtauratae artis obſtetriciae primus Auctor EUCHARIUS RÖSSLIN. Medicinam etiam forenſem Germani primum et maxime coluerunt, (coluntque) cui, vt notum omnibus eſt, origines dedit celeberrima iſta conſtitutio criminalis Carolina.

Nouam et maxime memorabilem hiſtoriae naturalis epocham CASPAR SCHWENKFELD conſtituit, qui patriae tantum naturales diuitias inquiſiuit et omnium fauniſtarum et floriſtarum parens merito dicendus eſt. Primus res naturales in Gallia collegit BERNARDUS PALISSY, figulus autodidactus, qui iam anno 1575. praelectiones in hiſtoriam naturalem habuit.

p. 191. Non auſpicatum admodum medicinae ſaeculum XVII. fuit. Tricennale bellum Europae principes tantopere occupabat, vt naturae et medicinae ſtudia vix adiuuare poſſent. Inſuper non noua quidem, ſed cum medicina paene nata at exaſperata his temporibus calamitas medicinam preſſit, vanum ſcilicet hypotheſium ſtudium, apud Carteſianos, Helmontianos, Syluianos admodum conſpicuum, quod progreſſibus medicinae admodum obfuit. Ferebatur autem ardore viuido ad obſeruationum ſtudium, idque omnibus tam medicis, quam naturam ſcrutantibus admodum commendabat FRANC. BACO DE VERULAMIO, inualuit etiam Zootomiae et viuiſectionum ſtudium, quo denique factum eſt, vt vera ſolidaque phyſiologiae fundamenta ponerentur.

Nouae

Nouae ſectae a FRANCISCO DE LE BOE SYLVIO conditae dogmata praecipua, quod in prioribus et pariter celeberrimis non conſueuerat Cl. Vir, enarrantur, neque merita viri, qui pathologicae et practicae medicinae tantam perniciem induxit, praetermittuntur, ſcilicet quod noſocomia in ſtudioſorum vſum primum inſtruxerit, anatomen, chemiam pharmaceuticam pluribus inuentis locupletauerit.

Vltimo ſaeculi XVII. dimidio vniuerſa medicina, inuentis microſcopiis et anatomicis iniectionibus admodum dilatata eſt. Conſpicillis quidem et microſcopiis iam vſi ſunt HARVAEUS et CAESIUS, ſumma tamen eorum dignitas demum emicuit MALPIGHII et SWAMMERDAMII laboribus. Iniectionibus ceraceis (aqua enim et colorati liquores venis iam antea infuſi ſunt) IO. VAN HORNE primus vſus eſſe videtur, inuento poſtea SWAMMERDAMIO communicato, Batauis autem potiſſimum debetur, quod hoc inuentum ſtatim ad perfectionis mirum gradum euexerint. p. 244.

Dephlogiſticatus aër IO. MAYOV ſpiritus nitri aërei nomine iam notus erat. — Inſignia iisdem temporibus incrementa medicinalis materies cepit cortice Peruuiano, et alimentaris, thea et caffea detectis, quae alios morbos rariores, alios frequentiores fecerunt. — Primus myſticam e chemia nubem feliciter depulit ROB. BOYLE. Breuiter etiam hiſtoria transfuſionis ſanguinis perſcripta eſt.

Haec vero eum in finem ex ipſo hoc doctiſſimo libro tradita ſunt, vt, praelibatione velut quadam, lectores iuſtam ſibi de his ideam formare poſſint, quae doctiſſime et copioſiſſime exponuntur. Caeterum quoad formam et tractandi modum HALLERUM ſequutus Cl. auctor eſt, cuius ampliſſimis inſtructiſſimisque bibliothecis frequenter vſus eſt.

XVI.

IOHANN FRIEDRICH ZÜCKERTS *medicinisches Tischbuch, oder Cur und Praeseruation der Krankheiten durch diaetetische Mittel. Dritte vermehrte Auflage. Berlin, bey Mylius.* 1785. *in* 8vo. 376 *pagg.*

i. e.

Commensale medicum, siue de morbis per diaetetica medicamenta curandis et auertendis. Editio tertia, auctior.

Nouam editionem operis praeclari prodiisse satis est indicasse. Nouiter pauca admodum accessere, licet titulus praefatioque plurima accessisse perhibeant.

XVII.

Nouveaux Mémoires de l'Académie royale des sciences et belles lettres a. MDCCLXXXIII. avec l'Histoire pour la même année. à Berlin imprimé chez G. I. Decker 1785, 80 et 546 pagg. 4.

i. e.

Noua Acta Academiae regiae Berolinensis a. 1783.

p. 40. Ex historia pauca commemorabimus, quae ad rem medicam physicamque spectant. Recensentur SAMOILOWITZII Commentationes de peste, eius-
p. 47. que medela; inserta etiam est epistola Cel. COURT DE GEBELIN Philosophi Galli, qui, cum hepatis morbo pedumque tumore laboraret, insigne leuamen a magnetismo animali percepisse sibi visus est, ideo-

que

que MESMERUM immodice laudat. Nihilosecius tamen credulus ille magnetismi admirator, morbo, qui latuerat tantum, recrudescente, in ipsis praestigiatoris amplexibus ante hos tres annos fato succubuit. — Cl. ACHARD sal quoddam ex vrina bubula paratum, et a BECKERO Pharmacopoeo Magdeburgensi ad Academiam regiam missum, studiose examinando, nullum acidum nitrosum, quod inesse BECKERUS existimauerat, inuenire in illo potuit, certe exiguam tantum huius acidi portionem, eamque casu fortuito et ex aëre, non vero in ipsis animalis humoribus natam esse declarauit. — MARGGRAFII et UHDENII memoriam in consessu academiae solemni oratione commendauit Cl. FORMEY. p. 50. p. 63.

Ex actis Academiae, more consueto, ea tantum lectoribus nostris proponemus, quorum argumenta ex arte medica et scientia naturae petita sunt.

ACHARD *de aëris ortu ex fluidis vaporum forma per tubos ignitos transmissis.* p. 1.

EIUSD. *Experimenta, eo consilio instituta, vt conditiones, sub quibus aqua vel fluida vel in vapores reducta, ignitorum corporum auxilio in aërem mutari possit, declarentur.* Contenderunt nuper CAVENDISHIUS et LAVOISIERIUS, aquam aëris inflammabilis et dephlogisticati sobolem esse, ita vt sub deflagratione vtriusque produci, iterumque ignis adminiculo destrui et aëris naturam adipisci possit. Experimenta, quibus ducti celeberrimi illi viri hoc statuerunt, noster, noster, experimentis ipse fultus, parum fida esse demonstrat. p. 49.

EIUSDEM *Dissertationes duae de mutationibus, quas subeunt terrae calcesque metallicae cum sale lixiuo vegetabili fusae.* Prima Dissertatio continet experimenta cum terra aluminis (siue argilla pura) calcarea, magnesiaca, et volatili fluoris mineralis in- p. 15.

ſtituta. Altera experimenta cum calcibus metallorum inſtituta exponit.

p. 70. COTHENII *Commentatio de diſcrimine, quod corticem peruuianum rubrum et communem intercedit.* Exhibetur ab initio ſuccincta vtriusque corticis hiſtoria, deinde experimenta ab auctore inſtituta enarrantur, quibus apparuit, corticem rubrum communi ponderoſiorem eſſe, extracti tam gummoſi, quam reſinoſi, maiorem copiam praebere, ferro magis abundare, ſed ſalis lixiui copia a communi cortice ſuperari. Corticem rubrum ab ipſo arboris trunco arborumque vetuſtiorum ramis maioribus, communem autem a ramis iunioribus deglubi auctor exiſtimat.

p. 84. ACHARD *experimenta, quibus declaratur* 1) *modus et ratio, qua aer in fluida agit, ſi pondere ſuo horum calorem ſub ebullitione intendit*; 2) *cauſa, cur corpora varia, pari aeſtus gradu calentia, modo citius, modo tardius in variis aëris generibus refrigeſcant.* Caloris augmentum ſub ebullitione non ſoli ponderi, ſed potius elaſticitati fluidorum prementium reſpondet. — In aëre fixo corpora calefacta citiſſime, tardius in aëre communi, phlogiſtico et dephlogiſticato, tardiſſime in aëre inflammabili refrigerantur.

p. 98. EIUSDEM *Experimenta cum ligno carioſo phoſphoreſcente inſtituta.* Apparuit per haec experimenta, ligni putridi fulgorem in ſpatio vacuo et ſub aqua conſtantem eſſe, in aëre dephlogiſticato non intendi, exſtingui autem ab aëre fixo, nitroſo et ab omnibus fluidis, quae putredini ſolent reſiſtere: electricae materiae progeniem non eſſe; per corpora diaphana colorata non penetrare, et priſmate vitreo non ita, vt ſolet lux ſolaris, diuerſicolorum radiorum ſpecie findi poſſe.

p. 107. GERHARD *de noua quadam lapidis flexilis et elaſtici ſpecie.* Lapis iſte ſchiſtoſus eſt, ex lacteo co-

lore

lore flaueſcens, particulis conſtans micaceis, quarzoſis, pellucidis, laxo modo inter ſe cohaerentibus. Ad chalybem allifus, ſcintillas edit, quaqua verſus flexilis eſt, et concuſſus tremulo motu agitatur. De loco natali parum certi conſtat. Pondus proprium ad aquae pondus ſe habet, vt 3,750 ad 1,000. Chemica analyſis docet, centum huius lapidis partibus ineſſe ferri 1, terrae calcareae 2, argillae 3, ſiliceae terrae 92 partes. Flexilitas micaceae ſtructurae tribuenda eſſe videtur.

EIUSDEM *diſſertatio de noua vitrum conflandi methodo.* Auctor ex ſpati ſcintillantis partibus quatuor et lapidis calcarei ſ. cretae partibus tribus vitrum parauit pulcherrimum, quod communi praeferendum eſſe cenſet. Poteſt enim cum minori temporis, operarum et ignis diſpendio, absque vlla cinerum clauellatorum additione conflari. Accedit, quod et durius ſit, et aëris viciſſitudines, ſalua pelluciditate, facilius ferat. p. 113.

Commentationum mathematicarum titulos tantum indicabimus.

BEGUELIN *obſeruationes meteorologicae Berolini inſtitutae a.* 1783. p. 125. EIUSDEM *Diſſertatio de barometricarum obſeruationum certitudine et auctoritate.* p. 148. DE LA GRANGE *Theoria variationum periodicarum, quibus motus planetarum obnoxius eſt.* p. 161. EIUSDEM *Commentatio de corrigenda methodo vulgari approximationis, quae ad integrandas aequationes motus planetarum adhiberi ſolet.* p. 224. DE CASTILLON *de regula Cardani et aequationibus cubicis.* p. 244. LAMBERT *de quadrato celeritatis dynamico.* p. 266. DE LA GRANGE *Methodus ſingularis approximationis et interpolationis.* p. 279. EIUSDEM *Obſeruationes de noua quadam proprietate centri grauitatis.* p. 290. EIUSDEM *Commentatio IIItia de orbitis Cometarum determinandis.* p. 296. SCHULZE *Com-*

putatio virium, quas homines et equi mouendis machinis impendunt.

Reliqua, quae ad Philoſophiam theoreticam artesque elegantiores ſpectant, hoc loco, cum ſint ab inſtituto noſtro aliena, omittimus.

XVIII.

Grundſätze der allgemeinen Semiotik und Therapie. Ein Lehrbuch von D. IOHANN DANIEL METZGER, *Hofrath und d. A. W. Ord. Profeſſor. Königsberg in Preuſſen bey Gottlieb Leberecht Hartung* 1785. 8. 146 *Seiten.*

i. e.

Principia ſemiotices et therapiae generalis. Liber compendiarius, conſcriptus a D. IOANNE DANIEL METZGER, Conſiliario et Prof. Med. Ord. Regiomonti apud Theophil. Leberecht Hartung 1785. 8. 146 pagg.

Nec inutilem, nec ſuperuacuam putamus hanc Cl. METZGERI opellam, cum multum adhuc ſuperſit in nobiliſſima noſtrae artis parte, ſemiotice, faciendum, neque deſint tyrones, qui velint omnia praecepta paucis plagulis comprehenſa. His ſcriptae ſunt hae primae lineae, vt in *praefatione* ad Cl. Ienenſium profeſſorem GRUNERUM, inter ſemiologicos huius ſeculi ſcriptores haud vltimum, candide profeſſus eſt Noſter, a noua Stahlianorum ſecta perquam alienus. Complexus eſt ergo *ſemioticen* et *therapiam generalem* paucis praeceptis; ſed ea quidem breuiter et perſpicue expreſſit. Largior fuit in priori, breuior in poſteriori parte. Illam incluſit *nouem capitibus*, quae paucis repetere lubitum eſt.

Prae-

Praeuia *introductione*, in qua de virtutibus me- p. 1.
dici disseritur, explicaturque notio *semiotices* per *artem recte videndi et recte concludendi*, contra vero *therapiae* per *artem, aegrum secundum rectas conclusiones tractandi*, transitus fit ad ipsam *Semioticen*, p. 3.
quam praecedunt nomina quaedam generalia, sine quibus posthaec multa obscura forent. Sequuntur

1. *Habitus corporis externi mutatus.* Insunt p. 7.
signa faciei, corporis vniuersi, coloris, caloris, situs et mores aegri, vbique quidem bene explicata.

2. *Actiones vitales.* Continentur *pulsus cordis*, p. 15.
i. e. palpitatio, et arteriarum, ex his vero potiora vsuque confirmata genera, ceteris reiectis, item spiratio, et, quantum per breuitatem licuit, satis apte.

3. *Actiones animales.* Recensentur signa, quae p. 30.
fiunt a *motu musculorum aucto et imminuto*, a *sensibus* generatim, i. e. *dolore, pruritu, anxietate*, speciatim vero a sic dictis *sensibus externis* et *internis*.

4. *Actiones naturales.* Narrantur hic notae ex p. 48.
lingua, appetitu, fame, siti, vomitu, nausea, manducatione, deglutitione, cardialgia, ructu, flatu, obstructione alui et diarrhoea, teneſmo, vrinae vitiis et sudore, sed vt videtur, iusto breuius, ac materiae dignitas desiderat.

5. *Actiones sexus.* Explicantur primum ea p. 60.
mala, quae virorum, deinde quae mulierum instrumenta molestant, et quid quaeque indicent, superadditur.

6. *Excretiones.* Huc referuntur et *symptoma-* p. 67.
ticae, et *criticae*, et nominatim memorantur *hae-* p. 69.
morrhagiae, sanguis e vena missus, sudor, saliuae p. 73.
fluor, sputum, vrina, vomitus et *aluus*, addendo potiora momenta et signa.

p. 97. 7. *De coctione, crisi et diebus criticis.* Bene ſtat Cl. METZGER ab partibus eorum, qui hanc veterem doctrinam ratam firmamque etiamnum voluerunt, negatque nouam hypotheſin de neruorum irritatione, non humore, vt cauſſam. Praeterea repetit dies criticos a niſu corporis ad motus periodicos.

p. 104. 8. *De malignitate morborum.* Subdubitat Noſter in tanto auctorum lubrico de malignitatis exiſtentia, neque tamen negat omnino, praeſertim in febribus intermittentibus et epidemicis.

p. 106. 9. *Signa mortis.* Ponit Noſter mortem in perfecta animalis caloris et irritabilitatis exſtinctione, variasque eius diuiſiones in *naturalem*, *violentam* et *morboſam* more Cl. GRUNERI ſequitur, ſigna vero mortis eſſe ſtatuit vel mortis vere factae, vel mortis, qua quis obierit. Sed hic nobis iuſto breuior fuiſſe videtur.

p. 108. Iam ſequitur *Therapia*, eamque ita deſcribit, vt contineatur

p. 109. 1. *Doctrina de viribus naturae medicis.* Docet Noſter exemplis, quantum illae conferant ad ſalubrem medicationem, negat atoniam et irritamentum neruoſum, tanquam febris cauſſam proximam, eamque febrem ait ſua natura eſſe vnam, ſed varie modificatam demum efficere formas.

p. 115. 2. *Doctrina de viribus medicamentorum.* Explicat Noſter, quae et quatenus nominanda ſint medicamenta, repetitque vires non ab vi quadam phyſica, grauitate ſpecifica, vel ſolutione ac mixtione chemica, ſed magis a virtute quadam inſita et reactione virium corporis. Reprobat etiam infuſorum in vaſa medicamentorum vim, reprobat nuperam propoſitionem, qua remedia quaeuis nervoſa eſſe dicuntur, et methodum tractandi pathologi-

logicam ceteris anteferendam cenſet. His ſubdit p. 126.
quaedam *de venenis*.

3. *De indicationibus*. Explicantur termini tech- p. 130.
nici, quos ſchola introduxit.

4. *Aetiologica claſſificatio morborum*. Eſt quae- p. 132.
dam morborum in claſſes diuiſio, ideoque ſunt *in-
flammatorii*, *putridi*, *bilioſi* et *pituitoſi*, quibus co-
ronidis loco adiecti ſunt vermes, obſtructiones, me-
taſtaſes lactis, morbi neruorum, arthritici et rheu-
matici, orti a miaſmate ſpecifico, i. e. febriles et
non febriles.

XIX.

BENIAMIN FAWCETT *über Melankolie, ihre Beſchaf-
fenheit, Urſachen und Heilung, vornämlich über
die ſo genannte religiöſe Melankolie. Aus dem
Engliſchen überſetzt von* IOACHIM FRIEDERICH
LEHZEN, *Paſtor an der Marktkirche in Hanno-
ver. Leipzig bey Weidmanns Erben und Reich*
1785. 8. 158 *Seiten*.

i. e.

BENIAMIN FAWCETT de melancholia, eius na-
tura, cauſſis et curatione, praeſertim de
melancholia ſic dicta religioſa *), ex Angl.
vertit IOACHIM FRIDERICUS LEHZEN, Praeco
verbi div. apud Hannoueranos. Lipſiae
apud Weidmanni heredes et Reichium 1785.
8. 158 pagg.

Inter varias melancholiae formas vna eſt, quae ce-
teris et grauior, et inſanabilior putatur, *religio-
ſa*

*) Obſervations on the nature, cauſes and cure of Me-
lancholy, eſpecially of that, which is commonly
called religious Melancholy, Schrewsbury 1780.

ſa melancholia. Quae cum omnis idealis ſit, et contemplatione rerum ſacrarum conſtet, parum eſt, quod medici ad tollendam vanam mentis aegritudinem conferre poſſint; plurimum enim ad miniſtros eccleſiae pertinet et haud vltima medicina eſt probabilis quaedam perſuaſio. His ergo ſcriptum libellum cenſemus, vt, quomodo hortando, monendo, ſolando debeant occurrere, bene perſpiciant.

Abſoluitur *ſeptem capitibus*, inque his potiora melancholiae momenta ſcribuntur ante, quam ad ſingularem ſpeciem tranſitur.

p. 1. *Cap.* 1. *Symptomata melancholiae.* Recenſet ex medicorum ſcriptis ſymptomata melancholiae, inque his ſignum pathognomonicum, *timorem et triſtitiam*, gradus vero facit *abiectionem mentis*, *anxietatem* et *deſperationem*, et quomodo ſe quaeque prodat, curate docet. Sed haec aegritudo magis moleſta, quam periculoſa eſt, et potiſſimam originem a corpore ducit.

p. 17. *Cap.* 2. *Cauſſae melancholiae generatim.* Statuit Noſter, cauſſam primam eſſe quandam corporis diſpoſitionem, quoad ſtructuram et habitum partium, cauſſas vero reliquas cogitationem nimiam, motus animi, vehementem ex iactura ſenſum, curam et anxietatem, timorem, litterarum ſtudia, phantaſiae ludibria, et deſidiam.

p. 24. *Cap.* 3. *Curatio melancholiae.* Repetita eſt breviter ex *Whyttio*, *Tiſſoto* et *Baxtero*. Suadet vero Noſter frictionem, laborem et exercitationem corporis, auocationem a phantaſia, iter, exempla et id genus alia.

p. 40. *Cap.* 4. *Cur melancholia interdum dicatur religioſa.* Hanc adeſſe profitetur, ſi res, circa quam verſatur mentis cogitatio, eſt religio, animus vel aeter-

aeternitas, eamque tripliciter diuidendam putat, vſus experientia paſtorali.

Cap. 5. *Symptomata melancholiae religioſae.* Ponit Noſter communia melancholiae ſymptomata, et ad hanc ſpeciem veluti transfert, memorando modum, quomodo aeger animi ſenſa exprimat. p. 49.

Cap. 6. *Cauſſae melancholiae religioſae.* Et hic transfert ea, quae cap. 2. memorauit, ſpeciatim vero nominat ſubitam vel longam paſſionem, perverſam cogitationem, peccatum commiſſum, ritus ſacri obſeruationem, v. c. ieiunium rel. p. 58.

Cap. 7. *Curatio melancholiae religioſae.* Hanc perarduam et nullam ſine Dei adiumento putat, ſcribitque regulas *ſect.* 1. iis, qui nunquam ſerio de religione cogitarunt, *ſect.* 2. iis, qui ante morbum religioni ſtuduerunt, et *ſect.* 3. quasdam et aegris, et conualeſcentibus aptas. Sed illae quidem ita comparatae ſunt, vt magis ad theologum, quam medicum, pertinere videantur. p. 71. p. 79. p. 88. p. 142.

XX.

Noua phyſico-medica.

Academia Lugdunenſis ſcientiarum, litterarum elegantiorum ac artium in conuentu publico d. 29 Aug. 1786. praemia diſtribuit ſolutionem quaeſtionis ex hiſtoria naturali concernentia: *Quaenam lichenum ſpecies habere poſſunt in medicina et artibus vſum?* Inter commentationes Academiae traditas primarium praemium decretum eſt Cl. GE. FR. HOFFMANNO, Medicinae Doctori Erlangenſi, qui enumeratione lichenum, et hiſtoria ſalicum conſcripta aliisque libris celebritatem nominis eſt conſequutus. Secundario praemio ornatus eſt Cl. WILLEMET, medicus Nanceianus celeberrimus et ſocietatis Lugdunenſis ſodalis etc. qui virtutes quampluri-

plurimarum Lichenum ſpecierum egregie expoſuit, et alio tempore praemium ab eadem ſocietate ob commentationem de remediis regni vegetabilis indigenis reportauit. Argentea autem moneta Cl. AMOREUX, Iun. Med. D. Montiſpeſſulano, ob commentationem *de ſepibus* (*les haies*) donatus eſt. Societas vero optat, vt hae tres commentationes prelo committantur.

Cum vero quatuor commentationes de remediis augendi pretium ſerici indigeni ſocietatis deſideriis minime ſatisfecerint, ſocietas hanc miſſam fecit quaeſtionem, aliamque ad artem tinctoriam pertinentem pro anno 1788 propoſuit.

Quaeſtio quoque, Newtoni problema illuſtrans, *quaenam ſint illa experimenta, quibus Newton ſuam doctrinam de refractione radiorum heterogeneorum ſuperſtruxerit, ſintne illa ita comparata vt rem decernant, an vt nos decipiant*, praemio inſignita eſt, quod Cl. FLAGERGUES, Iun. Acad. Pariſ. med. familiaris per litteras accepit, ſecundarium vero praemium Cl. ANT. BRUGMANNUS, Prof. Phil. et Math. Groningenſis. Ambae hae commentationes etiam prelo tradentur.

Quaeſtio phyſica anni 1788 pertinet ad declarandum periculum emergens ex alumine cum vino mixto. Declarandus nimirum eſt modus ac via ſimpliciſſima, tutiſſima et exactiſſima cognoſcendi, num alumen et quanta copia cum vino et quidem optime rubro ſit mixtum. Duae monetae aureae, quarum vnaquaeque 300 libras aequat, praemii loco ſunt.

Hiſtoriae naturalis cauſa inquirendum eſt: Quaenam ſunt inſecta Francogalliae venenata? Qualis naturae et indolis eſt eorum venenum? Et quibus remediis funeſtis effectibus illorum eſt occurrendum? Deſcriptio eiusmodi inſectorum requirit generum ac ſpecierum expoſitionem ex nouis diſquiſitioni-

tionibus et experientiis. Praemium conſiſtit in moneta aurea 300 librarum, et argentea eiusdem dignitatis, feſto D. PETRI diſtribuenda.

Eodem anno duplex praemium conſtitutum eſt ſolutioni huius problematis: quomodo materiae vegetabiles aeque ac animales ita praeparandae atque adaptandae ſint, vt viuidos colores variosque lichenum efficiant, et ſigillatim talem, qualem exhibent flores perſicorum. Modus procedendi in arte tinctoria et ipſa experimenta diſtincte ſunt proponenda, vt comparatio fieri poſſit, deinde vero colores nullam mutationem admittere debent ab aëre, aut lotionibus cum lixiuio. Praemium efficiunt duae monetae aureae, quarum quaeque 300 libras continet, et ipſi auctores praeſentibus iis, quibus haec cura commiſſa eſt, ſua experimenta denuo repetere poſſunt. Scripta autem ad Cl. DE LA TOURETTE, qui eſt Academiae a ſecretis, ſunt transmittenda.

In conſeſſu publico die 26. Aug. 1786. habito regia ſocietas medicinae Pariſina praemia iis dedit, qui de morbis epidemicis tempeſtatumque indole, quae hominum ſanitatem ſpectat, optime ſcripſerant. Horum virorum alii 200 librarum Gallicarum, alii 100 librarum praemia tulerunt; aliis data fuit moneta aurea, quam ſocietas cudendam curat. Quum vero huius inſtituti ratio ad deſcriptionem et curationem morborum epidemicorum et ad hiſtoriam medicae cuiusuis anni conſtitutionis proxime ſpectet, optat ſocietas, vt obſeruationes ſuper epidemicis contagioſisque hominum brutorumque morbis atque medica tempeſtatum indole cum ipſa porro communicentur. In eos, qui libellos his de rebus bene ſcriptos ad ipſam miſerint, praemia conferre perget. Praeterea ſocietas medicos, chirurgos

rurgos aliosque tali labori aptos rogat, vt de medica loci, quem incolunt, topographia ad ipsam referant.

Regia societas scientiarum Göttingensis cum die 18 Nouembr. 1786 publice conueniisset, de solutionibus quaestionum ab ipsa propositarum egit. Altera quaestio nostros commentarios nil attinet; de altera referemus. Scilicet quam virorum doctorum studiis commendauerat societas quaestionem de pagorum deflagratorum reaedificatione *): eius quinque solutiones ad ipsam missae sunt. Quarum licet nulla ipsi prorsus satisfaceret, tamen in quavis non pauca, quae placerent, reperta sunt. Sed ceteris praetulit notatam his verbis: *proximus a tectis ignis defenditur aegre;* cuius adeo auctor, RUD. EICKEMEYER, professor mathematices applicatae Moguntinus, praemium tulit.

Quae in Aboënsi academia I. HARTMANI, equitis et professoris medicinae, liberalitate nuper fundata est professio historiae naturalis atque artis veterinariae, ei anno praeterito BONSDORFIUM, M. D. praefectum esse legimus.

Göttingae 1786 I. H. FISCHER, M. D., qui professione medicinae extra ordinem functus fuerat, professor medicinae ordinarius factus est.

Academia regia Berolinensis virum praestantissimum, SELLE, M. D. ac profess., socium sibi iunxit. Idem contigit viris clarissimis, BODE, atque FERBER, quorum hic etiam consiliarius regis Borussorum in rebus metallicis factus est.

Exterorum sociorum numero eadem academia addidit Cl. MAGELLAN, Londinens. I. R. FORSTER, Equ. A BORN, et generos. A CONDORCET.

Socie-

*) V. Comment. Vol. XXVII. pag. 696. sq.

Societas regia ſcientiarum Gottingenſis anno 1786 exeunte inter *ſocios exteros* retulit I. E. WICHMANN, M. D. medicumque aulicum Hannoueranum, ANT. BRUGMANS, profeſſorem mathematices ac phyſices Groningenſem, G. FR. HERSCHEL, aſtronomum clarum, atque ED. WARING, mathematices profeſſorem Cantabrigienſem: inter *correſpondentes* IAC. REINEGGS, Hannoueranum, SEB. IUST. BRUGMANS, profeſſorem botanices Lugdunenſem, FR. A. C. A BURGSDORF, regis Boruſſorum conſiliarium foreſtalem, CHR. GIRTANNER, M. D., REMI WILLEMET, botanices ac chemiae demonſtratorem in collegio medico Nanceiano, L. C. LICHTENBERG, conſiliarium legat. principis Gothani, denique I. H. VOGT, mathematices et phyſices profeſſorem in gymnaſio Gothano.

Ill. FRITZE, conſil. aulicus, Halberſtadtienſis, noſocomiis copiarum Boruſſicarum campeſtribus 1786 praefectus eſt.

I. FR. L. CAPPEL, M. D., qui Brunſuici hucusque medicam artem exercuit, in Roſſiam arceſſitus eſt, prouincialis medicus ibi futurus.

Qui notiſſimus eſt phyſicis VNO A TROIL, hactenus epiſcopus Linköpingenſis, factus eſt Vpſalienſis archiepiſcopus.

L. B. A DIETRICH, mineralogus Clariſſimus, in eo eſt, vt geographiam Galliae mineralogicam, pluribus voluminibus comprehenſam, edat. Primum operis praeclari volumen propediem Pariſiis prodibit.

Madritenſes typi mox abſoluent *la Flora del Peru*, duobus voll. formae maximae, Auctore Cl. DOMBEY, qui Peruuianum regnum ſcrutator naturae peragrauit.

Societas virorum doctorum Hamburgenſium anno praeterlapſo promiſit opus periodicum germa-

nice ſcribendum, hoc titulo: *Stachyologie der neueſten phyſikaliſchen Bemühungen, aus allen Sprachen geſammlet.* Continebit nouiſſimas quasque ac notatu digniſſimas obſeruationes phyſices, hiſtoriae naturalis, chemiae etc. Quouis menſe pars, plagellas 6 atque tabulas aeneas 4 complectens, prodibit. Hoc ipſo anno initium fore, ſcriptum eſt.

Principis Gothani ſumtibus obſeruatorium aſtronomicum conſtruetur, quod curabit FRANCISCUS A ZACH, cuius proſtant ſcriptiones in philoſophicis Anglorum transactionibus atque in annalibus BODII aſtronomicis.

Cl. BRANDIS, med. doctor Gottingenſis, bibliothecam med. pract. Hallerianam continuabit.

Commentarios entomologicos a beato FÜESLI editos (*Entomologiſches Archiv, und neues Inſekten-Magazin*) porro curabit I. I. RÖMER, medicinae doctor Turicenſis.

Mortui ſunt:

24 die menſ. Mart. 1786. Emmendingae GUL. LUD. WILLIUS, med. D., choriater Hochbergenſis, natus annos 60.

Menſe Apr. CASP. FÜESLI, bibliopola Turicenſis, ſocietatum naturae ſcrutatorum Turicenſis, Berolinenſis et Halenſis, ſocietatis regiae Suecicae patrioticae Holmienſis ſocius, entomologus longe clariſſimus.

25 Iul. Harburgi N. BECKMANN, ſupremus piſcinarum praefectus, ſcriptis oeconomicis clarus.

21 Aug. CAROLUS D'ESLON, M. D., diſcipulus MESMERI notiſſimus.

28 Septembr. Langoſaliſſae FR. KNOLL, natus annos 35, nonnullis phyſici argumenti libris nominis celebritatem adeptus.

3 Nov. Mediolani Cl. BOSCOVICH, director obſeruatorii aſtronomici.

XXI.

Continuatio Indicis librorum phyſico-medicorum, qui anno 1782 prodierunt.

E. SANDIFORT deſcriptio muſculorum hominis. Lugd. B. 4.

EIUSD. tabulae inteſtini duodeni. c. fig. Ibid. 4.

EIUSD. icones herniae inguinalis congenitae. c. fig. Ibid. 4.

I. SANTORINI ſeptemdecim tabulae, quas nunc primum edit atque explicat iisque alias addit de ſtructura mammarum et de tunica teſtis vaginali M. GIRARDI. Parmae. 4.

MICHAEL SARCOUR *von den Kinderpocken und der Nothwendigkeit, die Ausrottung derſelben zu verſuchen. Aus dem Ital. überſ. und mit Anm. vermehrt von D.* L. F. B. LENTIN — *Göttingen.* 8.

Obſervations on the ſuperior Efficacy of the Red Peruvian Bark, in the Care of agues and other Fevers. By WILLIAM SAUNDERS M. D. London. 8.

D. W. SAUNDERS *Anfangsgründe der praktiſchen Arzneykunſt. Aus dem Engl. Leipzig.* 8.

SAURY *über die Mittel, welche die Arzneykunſt anwenden kann, ein Geſchlecht vor dem andern zu vermehren. Aus dem Franz. mit Anmerk. von D.* F. H. *Erfurt.* 8.

A. SAYERS diſſ. inaug. de Menorrhagia. Edinburg. 8.

Verhandeling over de Botten, of Zuigſlakken, in de Lever der Schaapen, en de daaruit entſtaande Ziekten der Schaapen. Uit het Hoogduitſch van den Heere I. C. SCHAEFFER etc. Vertaald door I. F. MÜLLER. Met en Koperen-Plaat. Te Amſterdam. 8.

Verſuche aus der theoretiſchen Arzneykunde. Erſter, über Bewegung und Miſchung der Säfte, von D. I. U. G. SCHAEFFER. *Nürnberg.* 8.

B. G. SCHALLER diſſ. inaug. de aquarum mineralium natura et vſu. Halae. 4.

K. W. SCHEELE *chemiſche Abhandl. von Luft und Feuer, nebſt einem Vorberichte von* T. BERGMAN. *2te verbeſſerte Ausgabe von* I. G. LEONHARDI. *Leipzig.* 8.

Verſuch eines Apothekerbuches für Landſtädte, herausgegeben von I. C. F. SCHERF. *der Arzneywiſſenſchaft und Wundarzneykunſt Doctor. Gotha.* 8.

D. I. C. TR. SCHLEGELS *mediciniſche Litteratur. 1ter Theil. Leipzig.* 8.

Icones plantarum et Analyſes partium aeri inciſae atque viuis coloribus inſignitae, adiectis Indicibus nominum etc. Auctore D. CAS. CHRISTOPH. SCHMIEDEL. Manipuli II. ſectio 2a. Norimb. fol.

Vorſtellung von einigen merkwürdigen Verſteinerungen, von D. CAS. CHR. SCHMIEDEL. *1—3tes Heft. Nürnberg.* 4.

Ichthyologiae veterum ſpecimina ad Virum Clariſſim. BLOCHIUM, auctore I. G. SCHNEIDER. Frcf. ad V. 4.

A Trea-

A Treatiſe on the Synochus atrabilioſa, a contagious fever, which raged at Senegal in the Year 1778 and proved fatal to the greateſt part of the Europeans, and to a number of the natives etc. By I. P. SCHOTTE. London. 8.

Fr. von P. SCHRANK *Abhandl. von dem Nutzen der Theorie in der Landwirthſchaft etc. Nürnberg.* 4.

SCHREBER mantiſſa editionis quartae Materiae med. b. Equ. A LINNE'. Erlangae. 8.

Für die Litteratur und Kenntniſs der Naturgeſchichte, ſonderlich der Conchylien und Steine, von IOH. SAMUEL SCHRÖTER. *Mit Kupfern 1ſter und zweiter Band. Weimar.* 8.

I. S. SCHRÖTERS *lithol. Real- und Verballexikon. 5ter B. Frankf. am M.* 8.

DESSELB. *vollſtändige Einleitung in die Kenntniß und Geſchichte der Steine und Verſteinerungen 4ter B. mit K. Altenburg.* 4.

D. IOH. DAN. SCHULZE, *über die groſſe Amerikaniſche Aloe, richtiger Agave. Hamburg.* 8.

SCHURER diſſert. de diuerſa lucis refrangibilitate; auctore et reſp. KRAMP. Argentor. 4.

D. C. G. SCHWENKENS *Bemerkungen über die Waſſerſucht und einige andere langwierige Krankheiten. Dresden.* 8.

A. SCHYTTE *Dänemarks und Norwegens natürl. und politiſche Verfaſſung.* 16 *St. Flensburg.* 8.

I. A. SCOPOLI fundamenta chemiae. Edit. altera aucta et emendata. Papiae et Vindob. 8.

S. SELIGMANN diſſ. inaug. de haemorrhoidibus albis in vniuerſum. Göttingae. 4.

C. G. SELLENS *neue Beiträge zur Natur- und Arzneywiſſenſchaft. 1ter Theil. Berlin* 8.

D. I. S. SEMLERS *Verſuch eines Diariums über die Oekonomie mancher Inſekten im Winter. Halle.* 8.

Mémoires phyſico-chymiques ſur l'influence de la lumiere ſolaire, pour modifier les êtres de la nature ſur tout du règne végétal, par I. SENNEBIER. T. I. II. III. Geneve. 8.

Verſuche über die Platina mit zweyen Kupfert. Mannheim. 8. (*Vom Hrn. Graf* KARL VON SICKINGEN.)

I. V. H. SIEGEL diſſ. inaug. de cura neonatorum medica. Götting. 4.

I. D. SIMONS *phyſikal. praktiſche Abhandlungen über die Haus- und Landwirthſchaft. 1ter Theil. Frankfurt a. M.* 8.

D. W. SMELLIE'S *Sammlung anatomiſcher Tabellen mit Erklärungen. m.* 40 *K. Augsburg.* 8.

Voyage aux Indes orientales et à la Chine, fait par ordre du roi, depuis 1774. jusqu'en 1782 dans lequel on traite des moeurs, de la religion, des ſciences et des arts des Indiens, des Chinois, des Pégouins et des Madêgaſſes, ſuivi d'obſeruations ſur le Cap de bonne Esperance, les isles de France et de Bourbon, les Maldiues, Ceylan, Malacca, les Philippines et les Moluques, et de recherches ſur l'hiſtoire naturelle de ces pays. Par M. SONNERAT. Tom. I. à Paris. 4.

Reiſe nach Oſtindien und China, auf Befehl des Königs unternommen, von I. 1774 *bis* 1782. *von Hr.* SONNERAT. *Erſter Band. Zürich.* 4.

Hiſtoire

Hiſtoire naturelle de la France méridionale, par M. l'Abbé GIRAUD-SOULAVIE. Tom. I. à Paris. 8.

D. I. C. STARKE *über das neuerl. berühmt gewordene Univerſalmittel zur Erleichterung der Geburt. Aus d. Latein. Deſſau.* 8.

D. IOH. STARKENS *Hebammenunterricht in Geſprächen, nebſt dem Verhalten und Vorſchrift für Schwangere, Gebährende und Kindbetterinnen als auch Neugebohrne. Iena.* 8.

STEIN *von einer merkwürdigen Kaiſergeburth. Kaſſel.* 4.

FR. STEPHAN diſſ. inaug. de ſignis cancri. Lipſiae. 4.

P. STEVEN diſſ. inaug de deliriis. Götting. 4.

Caſes in Medicine; interſperſed with Strictures, occaſioned by ſome late Medical Transactions in the Town of Newmark. By WILLIAM STEVENSON. London. 8.

I. STOKES diſſ. inaug. de aëre dephlogiſticato. Edinburg. 8.

C. STOLLS *Beſchreibung verſchiedener Geſchlechter Cicaden und Wanzen nebſt ihren natürl. und mit Farben ſehr genau illuminirten Abbildungen. Deutſch, holländiſch und franzöſ.* I — V *Heft. Amſterdam und Leipzig.* 4.

Ebenderſelben 2*tes und* 3*tes Heft, oder* Tab. 7 — 18. *Nürnberg.* 4.

I. C. STUNZER *über das Betragen in Nervenkrankheiten für Unerfahrne in der Arzneywiſſenſchaft. Wien.* 8.

M. E. STYX diſſ. inaug. deſcriptio anatomica nerui cruralis et obturatorii. c. fig. Ienae. 4.

Mineral. Beſchreibung des natürl. Turpeths, nebſt einer chymiſchen Unterſuchung dieſes Queckſilbererzes, von D. G. A. SUCKOW. *Nebſt einer K. Mannheim.* 8.

L. I. D. SUCCOWS *erſte Gründe der Naturlehre. 2te Ausgabe. m. K. Iena.* 8.

Die Urſachen der Ebbe und Fluth erwogen von L. I. D. SUCCOW. *Neue vermehrte Auflage. Iena.* 8.

VAN SWIETEN conſtitutiones epidemicae et morbi potiſſimum Lugd. Bat. obſeruati, ex eiusdem aduerſariis edidit MAX. STOLL. II Tomi. Viennae. 8.

Travels in to the two Sicilies. By HENRY SWINBURNE. Vol. II. London. 8.

IOH. TAUBE *Geſchichte der Kriebelkrankheit beſonders derjenigen, welche in den Iahren* 1770 *und* 1771 *in den Zelliſchen Gegenden gewütet hat. m.* 1 K. *Göttingen.* 8.

Diſſertation ſur la Magneſia alba, et ſon vtilité pour préſerver ou retablir la ſanté, par M. I. TEISSIER. Amſterd. 8.

Idem liber, belgice. Ibid. 8.

Obſervations ſur pluſieurs maladies des beſtiaux, telle que la maladie rouge et la maladie du ſang, qui attaquent les bêtes à laine, à cornes et aux chevaux, la conſtruction vicieuſe des étables et des écuries; avec le plan d'une étable, et celui d'un d'une ecurie convenable aux chevaux de cavalerie, de fermes, de poſtes etc. par M. l'Abbé TESSIER. à Paris. 8.

HENR. GODOFR. THAMERUS de morbis dyſentericis eorumque medela. Altorf. 8.

J. C. A. THEDENS *Bemerkungen zur Bereicherung der Wundarzneykunſt und Medicin. 2ter Th. m. K. Berlin und Stettin.* 8.

An Epiſtle to Dr. FALCONER of Bath. By PH. THICKNESSE. London. 8.

Diſſertation ſur le charbon malin de la Bourgogne ou la puſtule maligne; ouvrage couronné par l'acad. de Dijon. Second. Edition, augmentée, avec un examen de l'avertiſſement et des notes de l'éditeur du traité de l'Anthrax de M. CHAMBON, par M. THOMASSIN. Basle. 8.

An Enquiry into the Nature, Cauſes, and Method of Cure, of Nervous Diſorders. By ALEX. THOMSON, M. D. ſecond Edit. London. 8.

Memoirs of the Life, and a View of the Character, of the late Dr. IOHN FOTHERGILL; drawn up at the Deſire of the Medical Society of London, by G. THOMPSON, M. D. London. 8.

Mémoire ſur la baguette divinatoire, le magnétisme etc. par M. THOUVENEL. Paris. 8.

THOUVENEL'S *Abhandl. von der Beſchaffenheit, dem Nutzen und den Wirkungen der Luft und Luftarten. Aus dem Franz. Iena.* 8.

C. P. THUNBERG. Diſſert. bot. Iris, Reſp. OL. I. EKMAN. Upſal. 4.

EIUSD. Diſſert. bot. Noua genera plantarum. Pars II. Reſp. C. H. SALBERG. Ibid. 4.

Traité des nerfs et de leurs maladies, par M. TISSOT, Berne, Roterdam, etc. etc. 4 volumes, 12.

TISSOT *ſämtliche zur Arzneikunſt gehörige Schriften, nach der neueſten verbeſſerten Original-Ausgabe*

gabe aus d. Franzöſiſchen und Lateiniſchen überſetzt. Fünfter Theil. Leipzig. 8.

TISSOT *von den Nerven und ihren Krankheiten. 2ter B. Aus dem Franz. mit Anm. von D.* WEBER. *Winterthur.* 8.

Mediciniſche und chirurgiſche Gymnaſtik, oder über den Nutzen der Leibesübungen und Ruhe in Krankheiten. Aus dem Franzöſiſchen des Hrn. TISSOT. *Leipzig.* 8.

I. D. TITII physicae experimentalis elementa in vſum praelectionum euulgata. Lipſiae. 8.

Mémoires ſur les Conducteurs électriques, pour préſerver les édifices de la foudre. Par M. l'Abbé IOSEPH TOALDO, Traduits de l'italien par M. BARBIER DU TINAN. Strasbourg. 8.

B. L. TRALLES vſus opii ſalubris et noxius. Sectio 3a. Editio auctior. Vratislauiae. 4.

D. W. TRILLER, diſſ. inaug. de tempeſtiuo ac ſalutari aegrotorum ſilentio. Reſp. A. D. MARCUS. Viteberg. 4.

D. K. F. UDENS *Magazin für die gerichtliche Arzneykunde und Medicinalpolizey. 1ter B. 1ſtes St. Stendal.* 8.

DESSELB. *Nachricht, das zu Berlin angelegte Dampfbad betreffend. Deſſau.* 8.

D. P. FR. UEBELACKERS *Syſtem des Carlsbader Sinters etc. mit Kupf. 1te Abtheilung. Erlangen. fol.*

G. I. I. UHLAND diſſ. inaug. Hiſtoria Corticis peruviani. Tubingae. 4.

Ein-

Einleitung zur allgemeinen Pathologie der anſteckenden Krankheiten von D. IOH. AUG. UNZER. *Leipzig.* 8.

RIC. VAUGHAN diſſ. inaug. de Rheumatiſmo. Edinburg. 8.

Il Prodromo Veſuuiano. Da ANTONIO VETRANI. Napoli. 8.

Deux Mémoires ſur le Gas et principalemant ſur l'air fixe. par M. VICAT. Lauſanne. 12.

VICAT Materia medica, *oder kurze Geſchichte der Arzeneyen des Pflanzenreichs aus des Herrn* VON HALLERS *Beſchreibung der Schweizeriſchen Pflanzen gezogen, etc. etc. 2 Bände. Leipzig.* 8.

Des Hrn. Abbts VIDAURE *kurzgefaßte geographiſche, natürl. und bürgerl. Geſchichte des Königreichs Chili. Aus dem Ital. Hamburg.* 8.

VIGAROUL obſeruations et remarques ſur la complication des ſymptomes vénériens avec d'autres virus et ſur les moyens de les gueris. Paris. 8.

Des Hrn. BLAISE VIGENERE *Abhandl. vom Feuer und Salze. Aus dem Franz. Breslau.* 8.

Tableau des maladies aiguës et chroniques, qui affectent les beſtiaux de toute eſpece. Par M. DE VILLAINE. Neuchâtel. 8.

VOETS *Käferwerk; überſezt und mit einigen Anmerkungen begl. von* GEORG WOLFGANG FRANZ PANZER. *Nürnberg. fol.*

Mineralogiſche Reiſen durch das Herzogthum Weimar und Eiſenach und einige angränzende Gegenden, in Briefen von I. C. W. VOIGT. 1 *Th. mit 6 illum. Kupfert. Deſſau.* 8.

Neueſte Reiſen durch England etc. von I. I. VOLKMANN. 2 *u.* 3. *Th. Leipz.* 8.

Nouvelles recherches ſur l'économie animale, par M. Vrignauld. Paris. 8.

ABRAHAM WAL dissert. de vteri grauidi retroversione. Halae. 4.

D. I. I. WALBAUM chelonographia *oder Beschreibung einiger Schildkröten nach natürlichen Urbildern. m.* 1 *K. Lübeck und Leipzig.* 4.

Physisch-chemische Betrachtungen über den Ursprung der Welt von I. G. WALLERIUS, *aus dem Latein. übers. von* L. F. KELLER. *Erfurt.* 8.

I. G. WALTER *von der Spaltung der Schaambeine in schweren Geburten. Berlin und Stralsund.* 4. *m. K.*

I. G. WALTER de dissectione synchondroseos ossium pubis in partu difficili. c. tab. aen. Berol. et Stralf. 4.

FR. DE WASSERBERG institutiones chemicae. T. III. Viennae. 8.

Chemical Essays. By R. WATSON. Vol. III. London. 8.

D. WATSON'S *chemische Versuche. Erster und 2ter Theil. A. d. Engl. übers. Leipz.* 8.

A. G. WEBER Commentatio de initiis et progressionibus irritabilitatis. Halae. 8.

I. WEBERS *positiver Luftelektrophor, mit 2 Kupf. Augsburg.* 8.

Bemerkungen über die verschiedenen Arten den Gehalt der Salzsohleh zu schätzen, und über die Mittel denselben zu finden. Gesammlet durch I. I. WEIHRAUCH. *Gräz.* 8.

M. A. WEIKARDS *kleine Schriften verschiedenen Inhalts. Manheim.* 8.

D. F. A. WEIZENS *neue Auszüge aus Dissertationen für Wundärzte.* 15*ter B. Leipzig.* 8.

DESSELB. *vollständige Auszüge aus den besten chirurgischen Dispüten.* 3*ter Band.* 2*te Auflage. Budissin.* 8.

K. F. WENZELS *Lehre von der Verwandtschaft der Körper. Dresden.* 8.

Ver-

Vermium inteſtinalium praeſertim taeniae humanae breuis expoſitio, auct. PAUL. CH. FR. WERNER. Lipſiae. 8.

EIUSDEM operis continuatio. Ibid. 8.

I. E. WICHMANN de pollutione diurna frequentiori, ſed rarius obſeruata, tabeſcentiae cauſa. Götting. 12.

I. C. WIEGLEBS *Unterricht in der natürl. Magie. 2te Aufl. m. K. Berlin.* 8.

D. WILDMANNS *Anleitung, wie die Bienen das ganze Jahr hindurch zu behandeln ſind. Aus dem Engl. m. K. Hannover.* 8.

Pharmacopoea Herbapolitana in vſum patriae congeſta a FRANC. HENR. WILHELM. Bamberg. et Würzb. 8.

Obſervations on the Sulphur Water at Craft, near Darſington. By ROBERT WILLAN, M. D. London. 8.

De morbis quibusdam Commentarii. Auctore CLIFTON WINTRINGHAM, Lond. 8.

I. C. WOLFS *Reiſe nach Zeilan. Berlin und Stettin.* 8.

I. G. WOLLSTEINS *Anmerkungen über die Viehſeuchen in Oeſterreich. Wien.* 8.

The Valetudinarian's Companion, or Obſervations on Air, Exerciſe, and Regimen, with the medical properties of the Sea and Mineral waters, of Brighthelmſtone. By LOFTUSWOOD. London. 8.

I. WRABETZ *Geſchichte von der Abnehmung eines Oberarms ohne Meſſer. Freyburg.* 8.

H. A. WRISBERG experimenta et obſeruatt. anatomicae de vtero grauido, tubis, ouariis, et corpore luteo quorundam animalium, cum iisdem partibus in homine collatis. Götting. 4.

I. N. ZEILLER theoria motus. c. fig. Auguſtae. 8.

D. I. A. ZIEGLERS *Nachrichten an das Publikum, die Krankheit und das Heilungsverfahren des Amtsrathes* RABEN *betreffend. Quedlinburg.* 8.

F. A. W. ZIMMERMANNS *Beſchreibung und Abbildung eines ungebohrnen Elephanten etc. Erlangen.* 4.

Traité de l'elaſticité de l'eau, et d'autres fluides, par M. ZIMMERMANN. Avec planches. Amſterdam. 8.

D. I. F. ZÜCKERTS *Beſchreibung aller Bäder und Geſundbrunnen Deutſchlandes. Neue vermehrte Aufl. Königsberg.* 8.

C. A. ZWIERLEIN de acutorum morborum ſolutione. Heidelbergae. 8.

Contenta in hac parte.

I. Iournal de Médecine Tome LXIII. LXIV. LXV. 1785. 563

II. HENR. AUG. WRISBERGII experimenta de vtero grauido. 587

III. IO. ANDR. MURRAY de medendi tineae capitis ratione paralipomena. 592

IV. Experiences ſur la digeſtion par l'Abbé SPALLANZANI. 594

V. Obſervations ſur l'uſage du ſuc gaſtrique par IEAN SENNEBIER. 601

VI. SEB. GOLDWITZ *neue Verſuche zur Phyſiologie der Galle.* 606

VII. *Materialien etc. zwote — 4te Sammlung.* 616

VIII. FRANC. HENR. BIRNSTIEL de dyſenteria liber. 622

IX. *Aetiologie der Krätze von* IOHANN ERNST WICHMANN. 633

X. Rudimenta pyretologiae auctore C. G. SELLE. 647

XI. D. IOH. FRIEDR. WEISSENBORN *von den Eitergeſchwüren.* 657

XII. De violae caninae vſu diſp. auctore HENR. ANDR. NIEMEYER. 661

XIII. Diſſ. inauguralis de febre gaſtrica putrida auctore CAROL. FRID. BORN. 663

XIV. IOS. QUARIN animaduerſiones practicae in diverſos morbos. 664

XV. IO. FRID. BLUMENBACHII introductio in hiſtoriam medicinae litterariam. 681

XVI. I. F. ZÜCKERTS *medicinisches Tischbuch.* 692

XVII. Nouveaux mémoires de l'academie de Berlin année MDCCLXXXIII. 692

XVIII. *Grundsätze der allgemeinen Semiotic und Therapie von D.* IOH. DAN. METZGER. 696

XIX. BENI. FAWCETT *über Melankolie.* 699

XX. Noua physico-medica. 701

XXI. Continuatio scriptorum physico-medicorum, quae anno MDCCLXXXII. prodierunt. 707

In-

INDEX.

A.

Abdominalis tumor grauiditatem ſimulans. 580.
Abſceſſus hepatici, eorum ortus, natura et ſigna 658 ſeqq. caſus ſingularis cum epicriſi 659 ſeqq. lumbaris 584.
Acari humani ſcabiem inducentis hiſtoria et ſpecies 637. ſedes ib. ſeq.
Acer tataricum Linn. 205.
Aceti vini bullientis vaporum vſus in hydrophobia 454.
Acetoſellae ſal vid. *Sal.*
Achard, Franz Carl, *Sammlung phyſicaliſcher und chymiſcher Abhandlungen 1ſter Band* 16
Acidum, id detegendi modus 53. fluoris, de eo obſeruata chemica 271. in fructuum variorum ſuccis acidis duplex 295. nitri vt menſtruum ſtanni 293. nitroſum, eius vſus in tingendo ſerico 289. phoſphori, eius origo 275. pinguedinis, ſuper eius natura et effectibus experimenta 511 ſeqq. eius a ſalino differentia 512. pomorum, eius natura 387. ſacchari, eius origo 276. ſalis, ſuper eius ab alcali minerali ſeiunctione experimenta 198
Ackermann, Io. Chr. Gottlieb. prof. med. Altdorfin. 169. de Antonio Muſa eiusque libris prolusio 501.
Aër, eius in corpus humanum effectus 409. eius claſſes 402. ſpecies variae diſquiſitae 43 ſeq. 284. de eius ſpecierum variarum pondere ſpecifico et vſu in germinationem ſeminum experimenta 21 ſeq. eum ex aquae vaporibus obtinendi tentamina 287. eius puritatem menſurandi modus 37. atmoſphaericus, ſuper eo obſeruata 253 ſeq. purus ſeu dephlogiſticatus, de eo experimenta et obſeruata 36. 257 ſeq. 426 ſeq. eius effectus et vſus in reſpiratione 401 ſeq. vſus in fundendis lapidibus pretioſis 283. dephlogiſticatus plantarum, ſuper eo experimenta 515. fixus, eius ortus et natura 259 ſeq. eum telae cellulosae iniiciendi modus et vſus 34. fixus corporibus inhaerens, eius natura 21. vſus in variis morbis 433. in febre putrida 570. hepaticus vt cauſſa dyſenteriae 629 ſeq. inflammabilis, de eo obſeruata 258 ſeq. eum ex diuerſis corporibus extrahendi modus 47 ſeq. eius pondus ſpecificum varium 48 ſeq. ex metallis acquiſitus, eius copia 273. Montgolferianus dictus, eius ratio 198. in canale cibario innocuus 280. nitroſus, eius natura 259 ſeq. ſub nitri detonatione cum metallis variis

riis productus, eius natura 200. phlogisticatus, eius natura 428. eius ab aëre fixo discrimen 43 seq. effectus lethales eosque curandi modus 20 seq. pyrii pulueris deflagratione natus, eius ratio 199.
Aërometri requisita 17
Aëroſtaticae machinae, super earum structura monita 272 seq.
Aetheris vitriolici cum spiritu terebinthinae mixti vsus in colica hepatica 130 seqq. 138 seq. in calculis vesiculae felleae 676
Aethiops mineralis natiuus. 274
Agarici partes sexuales 161
Albini, Sebast. merita in rem medicam 683
Alcali phlogisticatum, de eo obseruata chemica 271 seq. volatile, eius vsus in hydrophobia 454. in vlcere 452. volatile lycoperdi bouistae 273
Algarum partes generationis sexuales 156 seqq.
Alimenta non aut difficulter digerenda 599. vix digerenda ib. digestu facilia 600. digestionem adiuuantia et retardantia ib. seqq. eorum vsus diaeteticus et effectus in mentem 418
Alumen, de eo obseruata 297. eius natura 12. terra vid. *Terra.*
Amanitae arboreae mollis partes sexuales 160 seq.
Amaurosis in cataractam mutata 6
Ambrae essentiae praeparatio 276
Amenorrhoeae causſae et curatio 410 seq.
Amethysti Saxonici analysis chemica 19
Amoureux, fil. a societate naturae scrutatorum Berolinensi praemium accepit 361. ab acad. scient. et artium Lugdunensi praemium reportauit 702
Amygdalus nana Linn. 206. eius nucleorum vsus 217. incana, noua species 206
Anatomes restauratores 689
Anatomico-practicae obseruationes 122. 446. 584 seq.
Angina, eius species quaedam 522. oedematosa sanata 446. 450. pectoralis, eius causſae et effectus 123
Animalium facultatis frigorificae causſae et ratio 82 seq.
Animi affectuum in corpus humanum effectus 406. 407 seq. 421
Anthoceros, eius partes generationis sexuales 156
Anthos florum vsus in paralysi 666
Antimonii tinctura vid. *Tinctura.*
Aphtharum causſae et curatio 575. neonatorum naturae et curationis expositioni praemium constitutum 547.
Apoplexia febri intermittenti superueniens 444. ei superveniens febris lethifera 579. 666. de eius natura et curatione obseruata et monita 665 seq.
Aqua, de eius congelatione obser-

obſeruata 84. de eius in aërem conuerſione obſeruata et experimenta 298. 693. a combuſtione aëris inflammabilis et dephlogiſticati ſuperſtes, eius origo 283. 285. ebulliens, eius caloris gradus varius a preſſione aëris varii 30. eius ſuperficiei ab aëre ambiente caloris varii cauſſae 196. 694. eius guttarum cryſtallo montanae aliisque corporibus quandoque incluſarum origo 310 ſeq. eam macerationi lini cannabisque aptam reddendi modi expoſitioni praemium conſtitutum 168. bozzola ſiue fruſa vid. *Bozzola.*

Aquae medicatae Angianae, earum partes conſtituentes 572. minerales, de iis ſcriptorum catalogus 274 ſeqq. Gallicae, earum catalogus 250. Egranae, earum analyſis 296. prope vicum Premeaux in Burgundia ſcaturientes, earum examen et vſus 136 ſeq. Baxtonienſes tepidae vid. *Baxtonienſes.*

Arabum merita in rem medicam 687

Aratri fabricae emendationi praemium expoſitum 360

Arborum incrementum a lavatione caudicum 82

Arcani duplicati vſus noxius, de eo monita 455. in puerperis vt ſalutaris defenſus 579

Argenti docimaſia, de ea monita 299

Argillae vſus ad thermometrum 516

Aridura membrorum, morbus biblicus, quid? 618 ſeq.

Arnicae florum vſus in paralyſi 666. florum infuſi vſus in dyſenteria 632.

Arſenicum, de eius cum variis corporibus coniunctione experimenta 31 ſeqq. eius vſus in arte tinctoria 279. album, eius cum ſulphure coniunctio 286. rubrum, eius praeparatio 274

Arthriticae materiae ad verenda aberrantis ſymptomata 506 ſeq. curatio 507. caſus et curatio 508 ſeq.

Arthritis, eius natura, cauſſae et curatio 534. a rheumatismo differentia 505 ſeqq. 677. cum calculo cognatio 90. de eius curatione obſervata 677 ſeq. haereditaria, eius mirum exemplum 439.

Articulorum aridura, morbus biblicus, de eo monita 618 ſeq.

Asbeſti coloris porracei Zoeblizenſis examen 275

Aſcites, eius cauſſae 673. indoles et cauſſae 414. de eius curatione obſeruata 673 ſeq.

Aſclepias ſibirica, planta 5

Aſphyxiae ab aëris phlogiſticati inſpiratione cauſſae et remedium 20

Aſplenii trichomanes partes ſexuales 148 ſeq.

Aſthma, ſuper eius curatione obſeruata 670. ſpaſmodicum, eius

eius diſtinctio, cauſſa et curatio 533
Aſti, Felice, coſtituzione delle malattie regnate nella città e provincia di Mantova l'anno 1781. 302
Aſtragali radicis decocti vſus in morbis venereis 680
Atheromatis iuxta carpum natura et cura 10.
Atramentum ſympatheticum caeruleum 291. 293
Attagen veterum, auis 470 ſeq.
Auditus ratio 414. organon in piſcibus 517
Aurantiorum foliorum vſus in epilepſia 666 ſeq.
Auri cum ferro combinatio 232 ſeq.
Aurivillii, Petr. Fabian. memoria Torberni Bergman 319 ſeqq.

B.

Bacheri pilularum vſus et abuſus in aſcite et mania 674
Balarucenſium thermarum partes conſtituentes, virtutes et vſus in variis morbis 46
Baldinger, med. prof. primar. Marburgenſ. 169
Balnea, de iis ſcriptorum catalogus 249. tepida, eorum vſus inſignis et ratio in febribus malignis 565. vſus in delirio phrenitico 449
Balſamicorum vſus in phthiſi 669
Banks, Ioſeph. ſociet. reg. ſcient. Hafnienſis ſocius 169
Baſaltes, quid? 296 ſeq.
Baumer, Ioh. Wilh. fundamenta chemiae theoretico. practicae 10
Baumes, ab ordine medicorum Pariſino praemium accepit 543. 549
Baxtonienſium aquarum tepidarum hiſtoria et natura 251, 254 ſeqq.
Beckmann, Nic. a ſociet. reg. ſcient. Gottingenſi praemium accepit 543
Beckwith, Rai. Diſſ. med. inaug. de morbo pſoadico 425
Bell, Thom. Tract. med. inaug. de diaeta 418
Belladonnae vires et vſus in variis morbis 114 ſeq. eam exhibendi modus 115. vſus in epilepſia 667. in melancholia, mania et epilepſia 115 ſeq. in paralyſi dubius 666
Benkoc, Sam. ab acad. ſcient. et artium Diuionenſi praemium accepit 167
Benzoës ſal, ex eo naphtham parandi modus 295
Bergmani, Torbern. memoria ſeu vitae deſcriptio, auctore Petr. Fabian. Aurivillio. 319 ſeqq.
Bertrand, a facultate med. Pariſina praemium reportauit 549
Bethesdae piſcinae virtus medica vnde? 619.
Betula alba, eius olei vſus 218. dauurica et fruticoſa 214 ſeq.
Bilis, eius natura et vſus ad digeſtionem 597. partes conſtituentes 607. 611. ſuper eius

eius natura et partibus conſtituentibus experimenta et obſeruata 607 ſeqq. eius ſecretionis ratio 611 ſeq. proprietates, agendi modi et effectus 613. effectus in chylificationem 614. ſuper iis variarum quaeſtionum ſolutio ib. ſeq.
Birnſtiel, Franc. Henr. de dyſenteria liber 622
Bismuthi in aceto vini ſolutio, ſuper ea obſeruata 317 ſeq.
Biſontis cornuum forma 468
Blaſiae organa ſexualia 157
Bleuland, Iani, Obſſ. de ſana et morboſa oeſophagi ſtructura 60
Blumenbach, Io. Frid. introductio in hiſtoriam medicinae litterariam 681
Bode, acad. reg. ſcient. Berolinenſ. ſocius 704
Boehmer, Geo. Rud. Diſſ. de ſtructura vteri non muſculoſa, ſed celluloſo-vaſculoſa 64
Bohlius, I. C. mortuus 170
Boleti laricini vis emetica 217.
Bonn, Andr. Tabulae oſſium morboſorum praecipue theſauri Houiani. Faſcic. I. II. 93
Bonsdorfius, hiſtoriae natural. et artis veterinariae prof. Aboënſ. 704
Bonté, a ſociet. reg. med. Pariſina praemium reportauit 549
Boracis natura et hiſtoria 12
a Born, acad. reg. ſcient. Berolinenſ. ſocius 704
Born, Carl. Frid. Diſſ. inaug. de febre gaſtrica putrida 663
Botanices reſtauratio et incrementa 689.
Bozzola aqua, eius vſus et noxa in cultura plantarum 44 ſeq.
Brambillae, I. A. Oratio habita Vindobonae, cum Caeſ. reg. acad. medico-chirurgica aperiretur 165
Bronchoceles ſpecies et curatio 439 ſeq.
Brugmann, Ant. ab acad. ſcient. et artium Lugdunenſi praemium accepit 702
Brugmanns, S. A. prof. philoſoph. ord. Franeker 362
Brühl, med. prof. Marpurg. 169
Bruxellenſis acad. ſcient. theſis et praem. in ann. 1787. 168
Bryan, Dan. Diſſ. med. inaug. de affectibus animi 407
Bubali cornuum forma et vſus 469
Bubonum venereorum cum ſcorbuto complicatorum natura et curatio 437 ſeq.
Bucci, Anton. Oſſervazioni circa il flogiſto e le differenti ſpecie d'aria 43
Bufo viuus lapide concluſus 195
Bufonum cancro exulcerato impoſitorum noxa 449
Burgundiae oryctographia 137
de Butts, Sam. Diſſ. de aëris in corpus humanum effectibus 409

C.

Caementum murorum parandi modus 292

Caeruleum veterum a ferro 6
Calces metallicae, de iis earumque inter se mistarum fusione experimenta 30. de earum fusione cum alcali vegetabili experimenta 291
Calcis viuae proprietates 294
Calculi cum arthritide cognatio 90. renum et vesicae, eorum ortus et curatio 538. vesicae vrinariae, eorum analysis 58. de eorum solutione experimenta 59. glandulae pinealis vid. *Pinealis.*
Calix communis in sacra coena, de eius vsu noxio monita 110 seqq.
Caloris ratio et origo 257. augmentum ab aëre dephlogisticato 24. ac electricitatis generationis et effectuum similitudo 25 seq. ad ebullitionem fluidorum graduum variorum ratio 196 seq. animalis caussa 54. corporum theoriae declarationi praemium expositum 360
Camphorae praeparatio et ortus 13. ex oleo menthae piperatae praeparatio 297
Cancri caussa et curatio 424. operationis citius peractae vsus 5
Candida, Guil. sulla formazione del molibdeno 264
Cannabis chinensis cultura 513
Capitis vulnera, de iis observata 436. 441
Carbonis fossilis incombustibilis cuiusdam examen 314. resinosi a praeparatione liquoris anodyni mineralis residui examen 289
Carcinoma vid. *Cancer.*
Cardialgiae distinctio et symptomata 108 seq. caussae 109. prognosis et effectus ibid.
Caries maxillae inferioris sanata 395.
Carpi tumorum ortus, differentia et cura 9
Carreau vid. *Mesenterii morbus.*
Carrere, I. B. F. Catalogue raisonné des ouvrages, qui ont été publie sur les eaux minerales cet. 247
Cataractarum membranaceorum extractio 445
Catarrhi inflammatorii a frigore orti natura et curatio 404
Catus capensis, animal 67
Celsi, Aur. Corn. medicinae Libri VIII. ex recensione Leonh. Targae 484. super eius aetate et vita coniecturae 487 seq.
Cephalalgia inueterata saltu sanata 452
Cerae aqua, ex ea spiritum ardentem parandi modus 239. 246. punicae indoles et praeparatio 298
Ceraforum acidorum succi analysis chemica 288
Ceruorum cornuum forma et vsus 469
Cerussae antimonii praeparatio 278
Chalybs, eius bonitatis notae et praeparatio 238
Chamaedryos infusi vsus in arthritide 677
Chaptal, a societ. reg. med. Parisina praemium accepit 546

Charae vulgaris organa ſexualia 159
Chauſſier, chemiae prof. ſecundarius Diuionenſ. 550
Chemiae fundamenta 10
Chemici apparatus portatilis deſcriptio 316 ſeq.
Chirurgiae progreſſus Viennae 163 ſeq. antiquitas et praeſtantia 165 ſeq.
Chloroſeos cauſſa 532
Cholera, eius cauſſa et natura 532. de eius curatione obſeruata 675
Chriſt, I, L. *Chemiſch phyſikaliſche und praktiſche Regeln vom Fruchtbrandteweinbrennen* 239
Chryſolithi orientalis analyſis chemica 19
Chylificationis ratio 614
Cicutae vſus in tinea capitis 593
Cirſoceles origo, natura et ſedes 117 ſeq. cauſſae et diagnoſis 119 ſeq. curatio 121
Citiſus pinnatus 216
Cleghorn, Robert. Diſſ. med. inaug. de ſomno 415
Clerke, Ionathan. Diſſ. med. inaug. de cancro 424
Cobalti calcinati pondus cur augeatur? 275
Cocci laccae, inſecti, hiſtoria naturalis 79 ſeq.
Coccionellae vſus ad lintea et goſſypium rubro colore imbuenda 281
Cochlearum terreſtrium decocti vſus in phthiſi 446
Colica effectus fulminis 448. hepatica a calculis biliariis, de eius curatione obſeruationes 130 ſeq. 138 ſeq.
Collier, Iac. Diſſ. inaug. de febribus intermittentibus 429
Combuſtionis corporum theoria 427
Cometarum orbitae 395
Commelina Benghalenſis, planta 4
Commentationes ſocietatis regiae ſcientiarum Göttingenſis per annum 1779. Vol. II. 3
Conclauium aërem hieme purum ſeruandi modus ope furni 24 ſeq.
a Condorcet, acad. reg. ſcient. Berolinenſ. ſocius 704
Contagionis morborum natura, ortus et cura 411 ſeq.
Cor ruptum obſeruatum 123. pueri in pectore externo ſitum 453
Corni albae Linn. icon. 213
Corp. Gulielm. Diſſ. med. inaug. de phthiſi pulmonali 401
Corporis humani materiae vivificationis et vitae ratio 397 ſeq.
Crailine, a ſociet. reg. med. Pariſina praemium accepit 545
Crataegus ſanguinea et monogyna, ſpecies nouae 208
Crell, Lorenz, *Chemiſche Annalen. Iahrgang* 1784. 1785. 4 *Bände.* 266. *Chemiſches Archiv.* 1 *und* 2*ter Band.* 299. *Neues chemiſches Archiv* 1*ſter bis* 4*ter Band* 300
Cremoris tartari cum borace mixti vſus in aſcite 674

Crochet, ſociet. reg. medicor. Pariſienſ. ſocius 363
Cryptogamicarum plantarum Linn. generationis et fructificationis theoria 141 ſeq.
Cryſtallus montana, eius materiae mollis et mucoſae examen 296. in ea quandoque incluſae aquae origo 310 ſeq.
Cuprum, de eius cum ferro connubio experimenta 31
Curculionis characteres et ſpecies in Capite bonae ſpei repertae 388
Curry, Iac. Diſſ. inaug. de humorum in morbis contagioſis aſſimilatione 429
Cutaneorum morborum cauſſae et curatio 537
Cynanche typhus, morbus 407. gangraenoſa 530. trachealis et tonſillaris, earum natura et cauſſae 522

D.

Daniell, Geo. Diſſ. med. inaug. de cynanche typho 407
Daphne altaica, planta 213. caucaſica 214
Daula, Petr. Franc. obiit 551
Derbienſis comitatus atmoſphaerae ratio 253.
Diabetes natura et cauſſae 532
Diaetae ratio 418
Dickſon, Steph. Diſſ. med. inaug. de ſomno 414
Digeſtionis ratio, ſuper ea obſeruata et experimenta 595. 598
Digitalis purpureae ſucci vſus in ſcrofulis 670 ſeq.
Digiti laeſio acu facta cum grauioribus ſymptomatibus 444
Diſſertationes medicae Edinburgenſes ann. 1782. 1783. 1784. 397
Diuionenſis acad. ſcient. theſis et praem. ad ann. 1789. 361
Donneli, Iac. M. Diſſ. de ſubmerſis 432
Doublet, ſociet. reg. medicor. Pariſienſ. ſocius 363
Dulcamarae ſtipitum vſus, de eo monita 670
Dyman, I. R. ſociet. ſcient. Vliſſingenſ. ſocius 363
Dyſenteria, ſuper eius natura, ſpeciebus et curatione obſeruata 675 ſeq. contagioſa, eius cauſſae et curatio 530. annis 1778. 1779 et 1780 epidemice graſſans, eius vna cum morbis intercurrentibus hiſtoria 622 ſeqq. cauſſae 626 ſeq. 629. ſedes 627. 629. curationis modi 628. 632. definitio 630. prophylaxis 633
Dyſpepſiae natura, cauſſae et ſymptomata 531
Dyſphagiae cauſſae, prognoſis et curatio 60 ſeq.

E.

Eboraci nuperae ſalubritatis cauſſae 512 ſeq.
Edinburgenſes diſſertationes medicae ann. 1782. 1783. 1784. 397

Egrani fontis aquarum analyſis 296
Ehlen, I. P. obiit 364
Eickemeyer, Rud. a reg. ſociet. ſcient. Götting. praemium accepit 704
Elaeagnus anguſtifolia et orientalis Linn. 205
Electrici condenſatoris, inſtrumenti, auctor, conſtructio et vſus 514 ſeq.
Electricitas, ſuper ea experimenta 17 ſeq. eius ac caloris generationis et effectuum ſimilitudo 25 ſeq. eius natura et vſus in variis morbis 409 ſeq. vſus in hemiplegia 444. vſus in ſurditate 18. aëris, eam metiendi inſtrumenta 17. minima, eam inueſtigandi modus 514 ſeq.
Electricorum phaenomenorum explicationi praemium expoſitum 542
Electricum fluidum, ſuper eius natura et effectibus experimenta 34 ſeq.
Electrometrum nouum 196. 518
Elephantorum differentia 473. dentes, de iis obſeruata 476
Emeticorum vſus inſignis 446
Emmenagogorum praepoſtere adhibitorum caſus 574
Emmet, Thom. Addis. Diſſ. de aëre fixo ſiue acido aëreo 433
Emphyſematis artificialis per varias aëris ſpecies producti vſus 33 ſeq. vſus in arthritide et rheumatiſmo ib.
Epidemici morbi ann. 1781 Mantuae et in vicinia graſſati, de iis obſeruata 302 ſeqq. epidemicus morbus a. 1784 in parochia Tronget graſſatus 451
Epilepſia, de eius cauſſis et curatione obſeruata 666 ſeq. belladonna curata 114 ſeq. remediorum in ea ſpecificorum diiudicatio 666 ſeq.
Equi Aethiopici fieri, quid ſint? 480 ſeq. Lybici, eorum deſcriptio 465 ſeq.
Equiſeti partes ſexuales et character genericus 145 ſeq.
Equitationis vſus in phthiſi dubius 669
Erucae hortenſis offic. vſus in tuſſi clangoſa 305
Eryſipelas, eius natura, cauſſae et cura 399. ventriculi 523. 525
Eſſai ſur les eaux thermales de Balaruc. 46
Ethmoidei oſſis anatome 55
Euacuantium vſus et neceſſitas in vulneribus recentibus 435 ſeq. in tumorum diuerſis generibus 439 ſeq. in vulneribus inueteratis et vlceribus 440 ſeq.
Eudiometra varia noua 37. 270
Euory, Thom. Diſſ. med. inaug. de febre puerperarum 406

F.

Fawcet Beni. *über Melancholie, vornämlich die ſo genannte religiöſe* 699
Febres, earum diſpoſitio ſyſtematica 654 ſeq. diuiſio et ordo

ordo 648. earum e tempore Sydenhami in Anglia mutationum cauſſae et curatio 404 ſeq. inflammatoriae, ſuper iis obſeruata 649. intermittentes, earum cauſſae et curatio 429. natura, cauſſae et curatio 528. de earum curatione obſeruata 303 ſeq. 306. earum miasmatis ratio 97 ſeq. ortus 98. ſigna, ſtadia et criſes 99 ſeq. iis medendi methodus 100 ſeq. earum prognoſis 101 ſeq. de earum recidiuis monita 102 ſeq incertae et ſub alius affectionis larua latentes, earum ſigna et curatio 103 ſeq. eas excipientes morbi 105 ſeqq. intermittentes cum pleuritide, earum ſigna et curatio 103 ſeq. putridae gaſtricae, de earum in Ruſſia cauſſis et curatione obſeruata 663 ſeq.

Febris apoplexiae ſuperueniens num lethifera? 579. contagioſa maligna putrida 529. flaua Indiae occidentalis, eius ſymptomata et cauſſae 529. miliaris vid. *Miliaris*: neruoſa, eius ſtadia, ſigna et curatio 528 ſeq. octana obſeruata 97. puerperarum vid. *Puerperae*.

Felis capenſis, animal 67 ſeq.

Feminarum conſuetudines quaedam periculoſae 585

Fenwick, Io. Raduph. Diſſ. med. inaug. de plethora 403

Ferber, acad. reg. ſcient. Berolinenſ. ſocius 704. conſiliar. regis Boruſſ. in rebus metallicis ib. ex Roſſia in Auſtriam profectus 363

Fermentationis corporum vegetabilium natura, modus et formae 13 ſeq.

Ferris, Sam. Diſſ. inaug. de ſanguinis per corpus viuum circulantis putredine 428

Ferrum, eius vſus ad fabricas et opificia 225 ſeq. color, bonitatis notae et politurae modus ib. ſeq. grauitas 227. attractio a magnete ib. mutationes a calore et igne ib. ſeq. ductilitatis ratio 231 ſeq. calide et frigide fragilis notae et cauſſae 232. cum aliis metallis combinatio ib. ſeq. cum ſemimetallis 233 ſeq. de eius cum cupro connubio experimenta 31. eius cum zinco miſcela 285. colores varii eorumque parationis modus et vſus varius 234 ſeqq. de eius ſolutione obſeruata et experimenta 237 ſeqq. crudum, eius indoles 238 ſeq. in aquis mineralibus haerens, eius copiam definiendi modus 293 ſeq.

Figuratum ligno inciſarum ortus, inuentio et vſus in rem medicam 688

Filicis maris vis anthelmintica 316

Filicum partes ſexuales 145 ſeqq. florendi tempus 149

Finke, Leon. Ludou. exercitationes phyſico-medicae de admiranda naturae ſimplicitate cet. 65

Fiſcher, I. H. med. prof. ord. Göttingenſ. 363. 704

Flagergues, ab acad. ſcient. et artium Lugdunenſi praemium accepit 702
Flammam viridem aut caeruleam producendi modus 270
Flora Roſſica 201
Floris plantarum theoria 142 ſeq.
Fluidorum ebullientium caloris ab aëre ambiente varii cauſſae 196
Fluoris mineralis volatilis effectus in metalla, calces metallicas, terras et ſalia 37 ſeq.
Foetus monſtroſus 392. biceps 78. deformis 77 ſeq. monſtroſus bicorporeus 513. in vtero durante grauiditate ſitus 316. per annum in vtero haeſi putridi extractio 581. per 32 annos in vtero retentus ib.
Fontis Belaquei: (*Fontainebleau*:) morbi communes et noſocomia 580
Formicarum acidum impetrandi modus 278
Formula medica quid? 457
Forſter, I. R. acad. reg. ſcient. Berolin. ſocius 704
Forſythe, Iac. Diſſ. med. inaug. de pneumonia 406
Foſſilium characterum externorum ratio et vtilitas 220 ſeqq.
Fox, Eduard. Long. Diſſ. inaug. de voce humana 423
Frank, facultatis med. Papienſ. Director 362
Friderici II. imperatoris merita in anatomen 687
Frigus, ſuper eius natura experimenta 80 ſeq. liquorum euaporantium, eius cauſſae expoſitioni praemium conſtitutum 544
Frumenti ſpiritus ardens vid. *Spiritus.*
Fruſa aqua vid. *Bozzola.*
Fulhame, Thom. Diſſ. de febre puerperarum 431
Fulminis effectus 448. effectus in corpus humanum ſingulares 18. in corpus humanum effectus eorumque curatio 577
Fungorum organa generationis ſexualia 159 ſeq.
Funk, C. B. obiit 364
Furnus chemicus, de eius emendatione monita 13. conclauium aërem corrigens, eius conſtructio 24 ſeq. deſtillationi ſpiritus ardentis frumenti aptus 243

G.

Galeni in artem medicam merita 686 ſeq.
Gallandat, I. H. ſocier. ſcient. Vliſſingenſ. ſocius 363
Ganges, fluuius, eius deſcriptio geographica 70 ſeq.
Ganglia, eorum in neruis vſus 8. ganglii ſemilunaris varietates 9.
Garde, Henr. Diſſ. med. inaug. de catarrho 404
Gas Montgolferianum vid. *Aër inflammabilis.*
Gaſtrici liquoris natura et vſus ad digeſtionem 595. 598. ortus 598. vis calculum ſolvens 596. vis coagulans ib. ſeq. variorum animalium examen

examen chemicum 605. natura diuerſa ib. vſus in chirurgia 601 ſeqq. in vlceribus 602 ſeqq. auium carnivorarum vſus inſignis 603 ſeq. vſus internus in ventriculi morbis et febribus 604 ſeq.

Gaſtritis, vid. *Ventriculi inflammatio.*

Gentianae radicis vſus in podagra 678

Giornale letterarie di Pauia editum iri indicatur 364

Glandula pinealis vid. *Pinealis.*

Gleditſch, mortuus 552

Globulariae alpium Linn. virtus 452

Gneiſſ, ſaxi analyſis chemica 270

Goldwitz, Sebaſt. *neue Verſuche zu einer wahren Phyſiologie der Galle* 606

Gonorrhoea, eius cauſſa 506. de eius natura et curatione obſeruata 678 ſeqq. arthritica 506 ſeq. eius ſanatae caſus 508 ſeqq. virulenta, eius cauſſae et curatio 527

Gourlay, Gulielm. Diſſ. med. inaug. de eryſipelate 399

Gratiolae extracti vſus in aſcite 673. in vlceribus venereis faucium 679

Grauiditatis duplicis ventralis ſingularis hiſtoria 581

Groat, Robert. Diſſ. med. inaug. de hyſteria 416

Gruner, Chriſt. Gottfr. *der gemeinſchaftliche Kelch* etc. 110. collegii medicorum Nanceiani membrum 363. ſocietatis reg. medic. Pariſinae ſocius 551

Gualandris, A. prof. botan. Mantuanus 363

Gueneau de Montbeillard, Philib. obiit 170

Guettard, I. Steph. obitus 170

Gummi laccae ortus 79 ſeqq. Orenburgenſis, Vralenſis vel laricis ortus et vſus 217.

H.

Haemoptyſis, eius ſpecies 521. de eius cauſſis et curatione obſeruata 668

Haemorrhoides, de earum cauſſis et curatione obſervata 676 ſeq.

Hafnienſis ſociet. reg. ſcient. theſes et praem. ad ann. 1787. 360

Hall, Harper. Diſſ. med. inaug. de melaena 400

Harding, Robert. Diſſ. med. inaug. de amenorrhoea 410

Hare, Iac. Diſſ. med. inaug. de ſyncope 408

Harmattan, venti, effectus, noxa et ſalubritas 69 ſeq.

Harriſon, Eduard. Diſſ. med. inaug. de opio 425

Hart, Eduard. Diſſ. med. inaug. de morbis mammarum 403

Hartenkeil, Io. Iac. Tractatus de veſicae vrinariae calculo 58

Hartley, Frid. Diſſ. med. inaug. de menſibus 412

Hauenſchild, Chriſt. Aug. Diſſ. de muſculoſa vteri ſtructura 62

Hedwig, Io. theoria generationis et fructificationis plantarum cryptogamicarum Linn. 141
Henderſon, Guil. Diſſ. inaug. de vita marina cet. 432
Helices, de earum partium praeciſarum redintegratione experimenta et obſeruata 91 ſeq.
Hepar ſulphuris vulgare, eius ratio 297. volatile, eius ratio ad ſolutiones metallorum 294 ſeq.
Hepatis abſceſſuum et vlcerum ortus, natura et ſigna 658 ſeqq. caſus ſingularis cum epicriſi 659 ſeq. tumor inſignis 314
Hepatitidis ſymptomata et cauſſae 524
Herbarum ſuffruticumque characteres et differentia 99
Hill, Car. Diſſ. med. inaug. de hydrothorace 417
Hindenburg, phyſic. prof. ord. Lipſienſ. 550
Hippocratis in artem medicam merita 685 ſeq.
Hoffmann, Geo. Frid. ab acad. ſcient. et artium Lugdunenſi praemium accepit 701
Holland, Phil. Diſſ. med. inaug. de mente et eius in corpus effectibus 406
Hutchinſon, Iac. Diſſ. med. inaug. de mutatione febrium e tempore Sydenhami et curatione earum idonea 404
Hydrocephali interni natura, cauſſae et curatio 535
Hydrophobia, eam auertendi et curandi modus 582. alcali volatili ſanata 454. eam morſu viperae ſanandi modus 445
Hydrops, eius ortus et ſpecies 535. eius poſt febres intermittentes cauſſa et curatio 106. pectoris, de eius ortu, natura, ſignis et curatione obſeruata 671 ſeqq. pulmonum ib.
Hydroſiderum, quid ſit? 270 ſeq. 273. 292
Hydrothoracis, morbi, natura 417
Hygrometra ex cute tenui 279
Hygrometriae hiſtoriae expoſitioni praemium conſignatum 542
Hypochondriaſis, quid ſit? 410. eius natura, cauſſae et curatio 531 ſeq.
Hyſteriae natura, cauſſae et curatio 416. 533

I.

Iacquinelle, a ſociet. reg. med. Pariſina praemium accepit 545
Iaſpidis orientalis analyſis chemica 19
Ichneumon, animal, de eo monita 482 ſeq.
Icterus, eius cauſſae 538. natura et cura 412. 416. de eo eiusque curatione obſeruata 676. neonatorum, eius naturae expoſitioni praemium dicatum 544. 549
Ieunet, a ſociet. reg. medicor Pariſina praemium accepit 545
Ignis in natura forma triplex 263

Ileus morbus, de eius curatione obſeruata 576
Infantum morbi 540
Inflammationis cauſſae 522
Inflammatorii morbi ib. ſeq.
Inoculatio variolarum, eius hiſtoria 525. ſuper ea obſervationes et animaduerſiones 92. eius incommoda ib. vſus dubius 573. 583
Inſectorum venenatorum Francogalliae enumerationis, naturae ac noxae expoſitioni praemium dicatum 702
Intermittentes febres vid. *Febres.*
Inteſtini craſſi pars per anum extracta 579
Inteſtinorum inflammationis ſigna et curatio 524
Iournal de medecine, chirurgie, pharmacie cet. Tome LXI. LXII 442. Tome LXIII. LXIV. LXV 563
Ipecacuanhae vſus in aſthmate 670. in febre puerperarum lactea 446 ſeq. 652 ſeq.
Ireos noſtratis ſucci vſus noxius in aſcite 674
Iſchuriae lethalis cauſſa 586. veſicalis curatio 538
de l'Isle, de Rome vid. *de Rome.*
Iungermanniae ſpecies et organa genitalia vtriusque ſexus 150 ſeqq. fructus et ſemina 153.

K.

van der Kemp, Io. Theod. Diſſ. med. exhibens cogitationes de vita et viuificatione materiae C. H. conſtituentis 397
Kentiſh, Ricard. Diſſ. med. inaug. de phthiſi pulmonali idiopathica 421
Kermes minerale, quid? 587 eius praeparatio 279
Kiernan, Rich. Diſſ. inaug. med. de ſcorbuto 413
Koenig, Io. Gerh. obiit 170
Kongl. Vetenſkaps Academiens nya Handlingar. Tom. VI. för Aor. 1786. 387
de Krzowitz, Wenc. Trnka vid. *Trnka.*

L.

Lac, eius in abdominis cavum profuſio paracenteſi ſanata 571. in corpore oberrantis hiſtoria 446. animalium, eius naturae expoſitioni praemium dicatum 549. humanum, eius in phthiſi pulmonali vſus dubius 570. lactea metaſtaſis vt cauſſa febris puerperarum vid. *Puerperae.*
Laccas rubiae tinctorum et phytolaccae parandi modus 6
Lacerta lauanenſis 391
Lampyris, inſectum, de eius phoſphoreſcentia obſeruata 134 ſeq
Lanae dealbandae optimae methodi expoſitioni praemium conſtitutum 282
Lapides pretioſos fundendi modus 283
Lapidis flexilis et elaſtici noua ſpecies 694 ſeq. *Grauwake* dicti examen 297. inſernalis

lis nigredo vnde? 277. color ſulphureus vnde? 278. ollaris examen chemicum 289

Lapidum quorundam analyſis chemica 19. quorundam Altenbergenſium examen 279 ſeq. *Rowley-Ragſtone* et *Toadſtone* analyſis chemica 517

Laricis gummi ortus et vſus 217

Leones Lybiae et Aethiopiae, de iis obſeruata 476 ſeq.

Leske, Nathan. Godofr. ſcientiae cameral. et oeconomiae prof. ord. Marpurg. 550. ſociet. reg. medicorum Pariſinae ſocius 551. commentariorum horum editionem continuaturus eſt 550.

Leucophlegmatiae cauſſae et curatio 418 ſeq.

Lexicon Celſianum 484. 491 ſeq. chemicum 51

Lichenum organa generationis ſexualia 158 ſeq. lichenis Islandici vſus in phthiſi 669

Lieb, Ioh. Wilh. Friedr. *die Eispflanze als ein faſt ſpecifiſches Mittel* 113

Lienis tumorum poſt febres intermittentes curatio 105

Lignum carioſum, ſuper eius phoſphoreſcentia experimenta 694

Limaces, de earum partium praeciſarum redintegratione obſeruata et experimenta 91 ſeq.

a Linné, Carl. ſyſtema vegetabilium. Edit XIV. Curante Io. Andr. Murray 85

Lintei carpti vſus in vulneribus et vlceribus 450 ſeqq. 452. 574. 577

Lipſicae ſocietatis Iablonowianae theſes et praemia ad ann. 1787. 541 ſeq.

Liquor cornu cerui ſuccinatus, de eius praeparatione monita 292. 297

Lithomarga fricata lucens 273

Lithotomiae impedimenta 59. de ea monita ib.

Lixiuium matris, eius acidum nitroſum obtinendi et in ſal medium commutandi modus 128 ſeqq. nitroſum a cryſtalliſatione remanens, eius natura 128. id ſaturandi, eius acidum obtinendi et in ſal medium commutandi modus ib. ſeq.

Loder, Iuſt. Chriſt. Diſſ. inaug. med. de muſculoſa vteri ſtructura 62

Logan, Io. Murdoch. Diſſ. med. inaug. de morbo venereo 419 ſeq.

Lombard, Diſſertation ſur l'importance des evacuans dans la cure des playes recentes cet. 433. Diſſ. ſur l'utilité des evacuans dans la cure des tumeurs cet. 434

Lonicera tatarica Linn. 214. caerulea, dauurica et caucaſica ib.

Lubbock, Ricard. Diſſ. inaug. de principio ſorbili ſeu communi mutationum chemicarum cauſſa 426

Lucani duae ſpecies nouae 393

Lugdunenſis acad. ſcient. literar. elegant. et artium theſes et praem. ad ann. 1788 702
Luminis ortus 257
Luporum quinque genera veterum 481
Luteum corpus animalium vid. *Ouarium.*
Lux ſolaris vid. *Solaris.*
Lycium ruthenicum, planta 4. tataricum 216
Lycoperdi bouiſtae alcali volatile 273
Lymphaticorum morborum deſcriptioni praemium expoſitum 546

M.

Macquer, P. Giuſ. Dizionario di chimica, tradotto da Giov. Ant. Scopoli. Tom. X. 50
Magellan, acad. reg. ſcient. Berolinenſ. ſocius 704
Magneſia, eius affinitas cum ſanguine eiusque lixiuio 272. alba, ſuper eius praeparatione et decompoſitione monita 392. eius vſus ad laccam 6.
Magneſium, ex eo regulum parandi modus 391
Magnetis vis in ferrum 227
Magnetiſmi animalis refutatio 453. vſus in hepatis morbo pedumque tumore dubius et noxius 692 ſeq.
Malachites quid? 53
Malua virgata, planta 4 ſeq.
Mammarum morbi 403. mammae morbus rarior varicoſus 5. morboſae 8. libras ponderantis exſtirpatio ib.
Manetti, Xauer. obitus et ſcripta 551
Mania, eius cauſſa 534. bella. donna curata 114 ſeq. maniacis medendi methodus 578
Mantuae hortus botan. et agriculturae inſtitutus 363
Mantuanae acad. reg. ſcient. theſis et praem. ad ann. 1786 168
Marchantiae polymorphae et conicae partes ſexuales 153 ſeqq.
Maret, H. obitus 364
Marini torrentis procul a Florida aquae calor 77
Maris vndas imminuendi modi 22
Marpurgenſis acad. incrementa et profeſſores medicinae 169
Marſhall, Andr. Diſſ. med. inaug. de tuenda ſalute militum 404
Maſuyer, chem. prof. tertius in acad. Diuionenſi 550
Materialien für Gottesgelahrheit und Religion. 1 Bandes 2. 3 und 4te Sammlung 616
Maxillae inferioris caries ſanata 395
Medicamenta, de eorum viribus et actione monita 698
Medicina, in eius hiſtoriam litterariam introductio 681 ſeq. popularis, de ea monita 66 ſeq. practica, eius ſyſtema 520 ſeqq.
Medicorum ſtatus ſeruilis apud Romanos refutatus 501 ſeq.

Medul-

Medullae morborum deſcriptioni praemium expoſitum 544
Mel, eius ortus 246. ex eo et aqua cerae ſuperſtite ſpiritum ardentem parandi modus 246
Melaenae, morbi, natura, ſymptomata, cauſſae et curatio 400 ſeq.
Melancholia, eius ſymptomata et gradus 700. cauſſae et curatio ib. belladonna ſanata 114 ſeq. religioſa, eius natura 700. ſymptomata, cauſſae et curatio 701
Meleagris, auis, de ea obſervata 70
Meloës proſcarabaei Linn. vſus in aſcite 673
Melolonthae vulgaris laruas delendi expoſitioni praemium conſtitutum 168
Mémoire ſur l'air inflammable tire de differentes ſubſtances 47
Menorrhagiae natura 403. cauſſae et curatio 521
Menſtrui fluxus cauſſae et vitia 412. retentionis cauſſa ſingularis 576. ſuppreſſionis cauſſae et curatio 410 ſeq.
Mentis effectus in corpus humanum 406 ſeqq.
Mercurius, eius congelationis frigoris gradus 285. viuus, eius cum acido ſalis coniunctio per attractionem ſimplicem 309 ſeq. ſublimatus corroſiuus, de eius differentia obſeruata 268. eum parandi methodi diuerſae 309 ſeq. eius vſus in lue venerea dubius et noxius 680
Mergi, auis ſpecies 396. merganſeris characteres et oeconomia ib.
Merſi, de iis obſeruata 422
Meſembryanthemi cryſtallini vis diuretica et vſus inſignis in variis morbis 113
Meſenterii infantum morbi naturae expoſitioni praemium conſtitutum 544
Mespilus Germanica, piracantha et cotoneaſter Linn. 209
de la Metherie, Eſſai analytique ſur l'air pur et les differentes eſpeces d'air 256
Meteorologicorum inſtrumentorum emendatio 17
Meteoron lucidum ſingulare. 77
Metzger, Ioh. Dan. *Grundſätze der allgemeinen* Semiotik *und* Therapie 696
Meyer, Frid. Aug. Conſiliar. aulicus Imperatricis Ruſſ. et poliater Taurienſ. 170. 363
Mezler, a ſóciet. reg. medic. Pariſina praemium accepit 545
Michaelis, med. prof. Marpurg 169
Michell, Io. Peterſen, a ſociet. reg. med. Pariſina praemium accepit 545
Milanenſis facultatis med. directorium Papiam translatum 362
Miliaris febris natura et curatio 530
Militum ſanitatem tuendi modus 404. ſanitatem conſervandi

vandi modi et morborum expoſitioni praemium dicatum 548
Millefolii decocti vſus in haemorrhoidibus 677
Mineralium characterum externorum ratio et vtilitas 220 ſeqq.
Mineralogicae obſeruationes 279 ſeq.
Minium cur plumbo grauius? 274
Minkelers, mémoire ſur l'air inflammable tiré de differentes ſubſtances 47
Mönch, med. prof. Marpurgenſ. 169
Mohr, eius obitus 170
Moignon, ab ordine med. Pariſino praemium accepit 543
Molybdenae formatio, ſuper ea obſeruata 264 ſeqq.
Monoculi polyphemi, inſecti, oculorum ſtructura 518
Monſpelienſis ſociet. reg. ſcient. theſis et praem. ad ann. 1786 544
Monſtroſus foetus humanus 392. bicorporeus 513
Monſtrum biceps 78. deforme 77 ſeq.
de Montbeillard, Philib. Gueneau obitus 170
Montium altitudines thermometro dimetiendi methodus 198 ſeq.
Morbi, eorum claſſificatio 699. expoſitio ſyſtematica 654 ſeqq. biblici, de iis monita 616 ſeqq.
Morbilli, eorum natura et curatio 526. iis demortuae ſectio ib.
Moreau, I. N. obitus 364
Mortis definitio, diſtinctio et ſigna 698. apparentis ſigna et ſpecies 619
Mortuorum in vitam reuocatio in ſacra ſcriptura, de ea monita 620 ſeq.
Morueau, acad. Diuionenſ. Secretarius perpetuus 550
Moxae vſus in variis morbis 444. 448
Müller, Oth. Frid. animalcula infuſoria, opus poſthumum indicatur 364 ſeq.
Münch, Io. Henr. Diſſ. ſiſtens obſſ. practicas circa vſum belladonnae in melancholia, mania et epilepſia 114
Mundini in anatomen merita 688
Munro, Guil. Diſſ. med. inaug. de tetano 410
Murphy, Io. Diſſ. med. inaug. de ictero 412
Murray, Adolph. Diſſ. anat. chirurg. de cirſocele 116. Diſſ. de ruptura cordis 122. Diſſ. chirurg. de tumoribus ſaliualibus 124
Murray, Io. Andr. Opuſcula. Vol. I. 89. de medendi tineae capitis ratione Programma 591. de materia arthritica ad verenda aberrante 505
Muſa, Ant. de eius equeſtri dignitate et libris ei adſcriptis annotata 503 ſeq.
Muſcorum ordo et partes ſexuales 150 ſeqq.
Muſtelae niualis Linn. hiſtoria 393

N.

Naphtha aceti, eius praeparatio 281. eam ex ſale benzoës parandi modus 295 vitriolica vid. *Aether*.
Nasmyth, Iac. Diſſ. med. inaug. de aſcite 414
Natorum mortuorumque partuum computatio 77 ſeq. Eboraci quotannis computatio 512
Naturae effectus in cura morborum 66
Nautarum incommoda, morbi et diaeta 432. morbi communes 389 ſeq. tumor ſub mento 390
Neidhard, mortuus 170
Nephritis, de ea monita 524
Nerui, eorum conſenſus et nexus 8. naſalis a pari quinto progreſſus 57. naſo-palatini ortus et progreſſus ib. ſeq. olfactorii ortus, rami et per internas nares diſtributio 55 ſeq. paris octaui aberrationes 9. phrenici varietates 8 ſeq.
Neruoſi morbi 531 ſeqq.
Neſſi compendium chirurgicum indicatur 364
Nicander, Henr. ſociet. reg. ſcient. Hafnienſ. ſocius 169
Niemeyer, Io. Henr. Andr. de violae caninae in medicina vſu, Diſſ. 661
Nitraria Schoberi, planta 216
Nitroſum lixiuium vid. *Lixiuium*.
Nitrum, ex eius cum variis metallis detonatione nati aëris ratio 200.
Noſocomii S. Sulpitii Pariſini inſtitutum et ratio 563 ſeq. in eo obſeruandi morbi 564. Stampiani topographia et ratio ib. ſeq. curandis excipiendisque expoſititiis pueris Pariſiis deſtinati inſtitutum 566 ſeq. in eo ſuſceptos pueros adultosque lue venerea affectos curandi modus 568. 573. noſocomiorum vrbis prouinciae hiſtoria 576 ſeq.
Nouveaux mémoires de l'Academie de Dijon. Second Semeſtre. MDCCLXXXII. 127. Premier Semeſtre. MDCCLXXXIII. 307. de l'Academie royale des ſciences et des belles lettres de Berl. Année MDCCLXXXII. 195. Année MDCCLXXXIII 692

O.

Oculi ab acu ferrea laeſio 583. inflammatio poſt variolarum inſitionem 586. ei in cataractae operatione figendo inſtrumentum aptum 564. 566
Oculi monoculi polyphemi inſecti 518 ſeq.
Oeſophagus, eius ſtructura, ſitus et arteriae 60. morbi ib. in eo ligni particula haerens 566
Olei oliuarum ſal 271. acidi ratio diuerſa ab acido olei amygdalarum et ſeminum lini 45. oleorum expreſſorum partis dulcis ratio 269

Olfactus organi anatome 54 ſeqq.
Onagri, animalis veterum deſcriptio 478 ſeq.
Ophidii barbati Linn. piſcis deſcriptio et anatome 81
Ophiogloſſi vulgati partes ſexuales et character genericus 147
Ophthalmiae cauſſa 522
Opii effectus et vſus in morbis 425
Oppiani poëmata de venatione et piſcatione. Tom. I. edidit Iac. Nic. Bellin de Ballu 464
Orygis animalis natura et cornua 472
Oſmundae ſpicant partes ſexuales 147 ſeq.
Oſſium hominis deſcriptio 94. morboſorum enumeratio 93 ſeq.
Ouarii et ouulorum in ſue et ſuillis foetubus anatome 588. corporis lutei in ſcrophis aliisque animalibus origo et natura 588 ſeq.
Owen, Hug. Diſſ. med. inaug. de contagione 411

P.

Pallas, Pet. Sim. ſociet. reg. ſcient. Hafnienſ. ſocius. 169. Flora Roſſica. Tom. I. 201
Pantherus veterum, animal 475
Papienſis facultatis medicae directores 362
Paralyſis, eius cauſſa 533. novi teſtamenti, eius natura et ratio 616 ſeq.
Pariſienſis acad. reg. ſcient. theſis et praem. in ann. 1788. 550. Ordinis medicorum theſes et praem. ad ann. 1786 et 1787. 544. ſocietatis reg. agriculturae theſis et praem. ad ann. 1787. 361. ſociet. reg. medicorum theſes et praemia ad ann. 1787. 1788 et 1789. 546 ſeq. 549
Parmentier, ab acad. reg. ſcient. ac artium Burdegalenſi praemium accepit 167
Partus brachiis foetus praeuiis, num difficilis? 449. de eo monita 571. partuum vtriusque ſexus vitae ac mortis computatio 77 ſeq.
Party, a ſociet. reg. medicorum Pariſina praemium accepit 545
Paton, Geo. Diſſ. med. inaug. de typho grauiore petechiali 402
Pearſon's, G. Obſervations and experiments for inveſtigating the chymical hiſtory of the tepid ſprings of Baxton. Vol. I. II. 251 ſeq.
Pectoris hydrops vid. *Hydrops.*
Peliſſier, Alexand. Diſſ. inaug. de pulſu arteriarum 430
Pertuſſis natura, cauſſa et curatio 533
Peruuiani corticis rubri et communis differentia 694. ſal amarum 284. vſus, doſis et adhibendi modus in febribus intermittentibus 102 ſeq.

ſeq. 303 ſeq. vſus in hydrope poſt febres intermittentes 106. vſus in phthiſi 669. in tumore lienis poſt intermittentem febrem 105. in tuſſi conuulſiua 91. vſus et abuſus in tuſſi 667 ſeq.
Petechialis typhus vid. *Typhus.*
Petrarum partitio 291.
Phalaena, eius ſpecies nouae 388. 391. 394. noctua parthenias eiusque larua 393
Philoſophical Transactions of the royal Society of London. Vol. LXXI. Part. I. II. for the Year 1781. 67. Vol. LXXII. Part I. II. for the Year 1782. 510
Phlogiſton, quid ſit? 271. de eo obſeruata 514. eius natura et effectus 43. 426. a materia caloris differentiae expoſitioni praemium conſtitutum 361
Phoſphori varii, de eorum praeparatione et virtute monita 15 ſeq. eum ex oſſibus parandi modus 298
Phrenitis, eius cauſſa et cura 523. ei medendi methodus 578
Phthiriaſis, eius natura et curatio 647
Phthiſis, de eius natura et curatione obſeruata 668 ſeq. pituitoſa, eius diagnoſis 90 ſeq. pulmonalis, eius cauſſae, natura, ſigna et curatio 401. 526 ſeq. contagium affirmatur 579. Anglis endemia 421. cochlearum terreſtrium decocto ſanata 446. lacte humano ſanata 442
Phytolaccae decandrae baccarum vſus in arte tinctoria 7
Pichler, Io. Fr. Chriſt. methodus formulas medicas conſcribendi 456
Pili diuerſorum animalium chemice diſquiſiti 28. 197
Pinealis glandula, de ea obſeruata 95 ſeq. eius lapillorum exiſtentia et analyſis chemica 96
Pinguedinis acidum vid. *Acidum.*
Pini cembrae Linn. deſcriptio 205. nucum vſus 217. ſtrobilorum oleum ib. laricis Linn. Americanae et Europaeae differentia 204. terebinthina et gummi 216 ſeq. ſilueſtris ſummitatum vis antiſcorbutica ib.
Pirus ſalicifolia et baccata Linn. 207 ſeq. baccata, eius fructuum vſus 217 ſeq.
Piſcium organon auditus 517. marinorum ad Sumatram mortis cauſſa probabilis 80
Plagii literarii exemplum 457 ſeqq.
Plantarum ſyſtema 85 ſeqq. colorem in vitris ex earum cineribus confectis reſtitui poſſe negatur 29. adſtringentium indigenarum virtus, ſuper ea obſeruata 315. arenam volantem coërcentium determinationi, culturae et vſui praemium conſtitutum 361. fila ad texendum funesue torquendos

largientium expoſitioni praemium conſtitutum 362. cryptogamicarum Linn. generationis et fructificationis theoria 141 ſeqq. Roſſicarum numerus 202. icones 204
Platina, cum ea experimenta chemica inſtituta 273. eius cum ferro aliisque metallis combinatio 233. ex ea vaſa parandi methodus 267
Plethorae natura 403
Pleuritidis natura 523. cum febre intermittente complicatae ſigna et curatio 103 ſeq.
Plumbago, de ea obſeruata 274. Europaea, eius vſus in ſcabie 579. 582
Plumbi calcinati pondus cur augeatur? 274. minerae num arſenicum et antimonium contineant? 253. minerae in Burgundia effoſſae examen 133 ſeq.
Pluuiae ad Aetnam montem ſingularis ratio 510
Pneumonia, morbus 523. eius natura, cauſſae et curatio 406
Podagra, de eius cauſſis et curatione obſeruata 678
Polygalae amarae vſus in phthiſi 669
Polypodii thelypteridis et filicis feminae partes ſexuales 148
Polypus inteſtinalis, eius hiſtoria ſingularis 313. cauſſa 314. vteri ligatura ſublatus ib.
Pomorum acidum vid. *Acidum*.
Populi balſamiferae icon 215
Potentillae argenteae vſus ad artem tinctoriam 284
Potter, Io. Diſſ. med. inaug. de ſedentariae vitae malis 423
Preſterum cauſſae 396
Prunus fruticoſa Gmelin. 207. Sibirica Linn. 206. eius fructuum et nucleorum noxa et vſus 217
Pſoadici morbi natura et cauſſa 425
Pubis oſſium ſymphyſeos ſectio vid. *Synchondrotome*.
Puerperarum febris natura 447. ſedes et natura 539. cauſſae, natura, ſigna et curatio 406 ſeq. 431. febres a metaſtaſi lactea ad abdominis viſcera oriundae, earum character, natura et cauſſae 650 ſeq. ſpecies 652. curatio ib. ſeq.
Pulſus arteriarum doctrina 430
Pumicis albi analyſis chemica 20
Putredo ſanguinis in vaſis circulantis 428 ſeq.
Putridi morbi caſus 454
Pyrii pulueris deflagratione producti aëris examen chemicum 199. inflammati aëris indoles 281.

Q.

Quarin, Ioſeph. animaduerſiones practicae in diuerſos morbos 664
Quartana febris ſaliuatione mercuriali ſanata 450. 575

Quaſſiae vſus in podagra 678
Quatremere d'Isjonval obitus negatur 170

R.

Rabiei contagioſae natura, cauſſae et curatio 534
Rachitidis cauſſae et curatio 536
Ramel, fil. a ſociet. reg. med. Pariſina praemium accepit 549
Ranulae natura et curatio 124 ſeqq. natiuae ratio 125. curatio 127
Ranunculi ſcelerati effectus noxii vnde? 295
Raphaniae cauſſa 424
Renis ſiniſtri abſceſſus 447
Reſinarum vegetabilium differentia 307. affinitatis gradus diuerſi ad ſpiritum vini ib. ſeqq.
Retzius, Andr. Io. ſociet. reg. ſcient. Hafnienſ. ſocius 169. *Einleitung in die Lehre von den Arzneyen des Pflanzenreichs. Ueberſetzt von* Ioh. Friedr. Weſtrumb 541
Rhabarbari radicis ſalis natura 282. terra in pluribus vegetabilibus reperiunda 392. Brunſuicenſis virtus 276
Rheum hybridum, planta 3
Rheumatiſmi natura 409. acuti ortus et cauſſae 525. chronici cauſſa 534
Rhinocerotis differentia et habitus diuerſus 473 ſeq.
Rhododendrum Ponticum et chryſanthum Linn. 212. Caucaſicum et Kamtſchaticum 213. Dauuricum Linn. ib.
van Rhyn, Dieder. chem. pharmac. et mater. med. prof. Amſtelaedam. 362
Ribes groſſularia, eius baccarum acidi natura 387
Ricciae glaucae organa ſexualia 157
Ricini oleum parandi modus 291
Rinman, Swen, Foerſoek till lärnets Hiſtoria, med Tillämpning för Slögder och Handtwerk 225
Robinia Caragana, ferox et pygmaea Linn. 215. fruteſcens et halodendron ib.
de Romé de l'Isle, des caracteres exteriéures des mineraux etc. 218
Rubeola vid. *Morbilli.*
Rubiae tinctorum radicum vis aperiens 432. vſus ad laccam 6
Ruioli, a ſociet. reg. medicorum Pariſina praemium accepit 549

S.

Sabadillae ſeminum vſus adverſus cimices 140
Saccharum lactis, eius terrae natura 282. ex caulibus zeae maidis 269
Sal acetoſellae, eius indoles 284. amarum corticis Peruuiani ib. commune, ſuper eius analyſi et compoſitione experimenta 23 ſeq. 197 ſeq. commune ni-

tro admixtum, eius quantitatem inueſtigandi modus 389. de nitro poſt expulſum aërem dephlogiſticatum remanens 282. olei oliuarum 271. perlatum phoſphoratum 391. vrinae perlatum, quid? 285. ex vrina bubula paratum, eius examen 693. ſedatiuum, eius effectus in metalla, terras et calces metallicas ope fuſionis 27. ſalium pondera ſpecifica et vires attractiuae, de iis obſeruata 68 ſeq.
Salicariae vſus in dyſenteria 675
Saliualium tumorum ſpecies, ortus, forma et natura 124 ſeq. cauſſae et curatio 126 ſeq.
Saliuationis mercurialis vſus in quartana 575
Samonici, Q. Sereni, de medicina praecepta ſaluberrima. Edidit Io. Chriſt. Gottl. Ackermann 499
Sandifort, Eduard. deſcriptio oſſium hominis 94
Sanguinis lixiuium, cum eo tentamina inſtituta 288. in vaſis circulandis putredo 428 ſeq.
Saponariae decocti vſus in ictero 676
Saſſaparillae decocti vſus in lue venerea 680
Saturninorum vſus noxius in morbis venereis externis 679
Savers, Andr. Diſſ. med. inaug. de menorrhagia 403
Saxorum partitio 291
Scabies, eius cauſſae et ortus ab inſectis 634 ſeqq. ab acaris diagnoſis et ſedes 637 ſeq. vera, eius origo et ſigna 639. differentia ab aliis ſimilibus morbis ib. num ab acaris inducatur? affirmatur 640. an critica ſit? negatur 641 ſeqq. eius retropulſionis cauſſae 643 ſeq. contagii ratio 644 ſeq. curationis modus 645 ſeqq.
Scarabaeus melolontha vid. *Melolontha.*
Scarlatina febris, de ea obſervata 303
Scarpa, Anton. facultatis med. Papienſis Director chirurg. 362. anatomicarum annotationum Liber II. 54
Scheele, C. G. obitus 364
Schmuckers, Ioh. Leberecht, *vermiſchte chirurgiſche Schriften 1ſter Band 2te Auflage* 540. eius obitus 170
a Schoenebeck, I. B. Conſt. tentamen de calore animali 54
Schoerli ſpeciei cuiusdam analyſis chemica 279. 282. 285
Schwe: felt, Caſp. merita in hiſt m naturalem 690
Scillae extracti vſus in aſcite 673. in hydrope pectoris 672
Scirrhi cauſſa et curatio 537
Scopoli compendium chemicum indicatur 364
Scorbuti ſtadia et cauſſae 413. diſtinctio, cauſſae et curatio 535

Scordii infuſi vſus in morbis venereis cutaneis 679
Scribonii Largi compoſitiones medicamentorum editae a Ioh. Mich. Bernhold 494. de eius aetate et vita, coniecturae 497 ſeq.
Scriptorum phyſico-medicorum anno 1782 editorum index 171 ſeqq. indicis continuatio 366 ſeq. 552 ſeqq. 714 ſq.
Scrophularum ſedes, cauſſae et curatio 536. naturae et curationis expoſitioni praemium dicatum 547
Secalis ſelectus et vſus ad ſpiritum ardentem parandum 240 ſeq.
Sedentariae vitae noxae 423
Sedi acris vſus externus in vlceribus 394
Selle, C. G. rudimenta pyretologiae methodicae. Edit. altera 647. acad. reg. ſcient. Berolinenſ. ſocius 704
Semiotices inſtitutiones 696 ſeqq.
Sennebier, Iean, obſervations importantes ſur l'uſage du Suc gaſtrique dans la chirurgie 601. Experimens ſur la digeſtion de l'homme vid. *Spallanzani.*
Simarubae corticis vſus in febribus intermittentibus 102
Siſymbrii ſophiae virtus in vterinis haemorrhagiis 315
Soemmering, Sam. Thom. Diſſ. de lapillis vel prope vel intra glandulam pinealem ſitis 95
Solaris lucis partes conſtituentes 53
Somers, Edmund. Diſſ. de ſonis et auditu 414
Somni natura et cauſſae 414 ſeq.
Spallanzani, experimens ſur la digeſtion de l'homme et de differentes eſpeces d'animaux 594
Spathi ſcintillantis carnei analyſis chemica 288. 290
Spirea chamaedryfolia Linn. 209. betulifolia, thalictroides, Alpina, nouae ſpecies 210. trilobata et crenata Linn. ib. ſalicifolia et ſorbifolia Linn. 211. Altaica ibid. aruncus Linn. 212. palmata et Kamtſchatica ib. chamaedryfolia et Altaica, earum vſus theiformis 218
Spiritus ardens, eius indoles 293. eum ex frumento parandi modus et praecepta 239 ſeqq. ex aqua cerae ſeu mellis parandi modus 246 ſeq. Mindereri, eum parandi modus 298. nitri fumans, eius cum diuerſis oleis aliisque corporibus mixtio 288. 290. vini, eius partes conſtituentes 290. affinitas diuerſa ad reſinas vegetabiles 307 ſeqq. vaporum natura 290
Spongiae marinae vſus in ſtrumis et ſcrofulis 670
Stanni in aqua forti ſoluti vſus tinctorius 291
Starcke, Duc. Vinarienſ. conſiliarius et archiater 363
Stark, Io. Diſſ. med. inaug. de malo hypochondriaco 410

Steatitae Baruthini analyſis 280
Stegmann, med. prof. Marpurgenſ. 169
Stein, med. prof. Marpurg. 169. Caſſellis remanſurus 363
Stokes, Ionath. Diſſ. inaug. de aëre dephlogiſticato 401
Strack, Car. Obſeruationes medicinales de febribus intermittentibus et qua ratione eisdem medendum 97
Strüppe, Ioach. merita in rem medicam eiusque ſcripta 682 ſeq.
Succow, Sim. Gabr. obiit 364
Sudoris cauſſa et ortus 424
Suffumigiorum variorum effectus in aërem communem 35 ſeq.
Suffruticum characteres et ab herbis differentia 199
Suillorum foetuum ouaria et tubae 588
Sulphuris cum zinco coniunctio 311 ſeq. florum vſus in podagra 678
Superfoetationis caſus 581
Surditas electricitate curata 18
Synchondrotomiae in partu feliciter peractae caſus 571. de ea monita ib. ſeq.
Syncopes natura, cauſſae et curatio 408

T.

Tabe demortuae ſectio 446
Taenia Lotae in hepate gadi lotae reperta 393
Taraxaci virtus, de ea monita 316
Tartari emetici praeparatio 271. de ea monita 15
Termes, inſectum, eius ſpecies Africam calidasque regiones inſeſtantes 72 ſeq. earum hiſtoria naturalis 73 ſeq. nidorum conſtructio 74 ſeq.
Terrae variae, de iis obſervata 289. earum inter ſe mixtio ad paranda vaſa fictilia apta 280. ponderoſae examen 294. aluminis cum ſalibus fuſae conuerſio in vitrum 40. calcareae cum terris et ſalibus coniunctae conuerſio in vitrum ib. ſeq. ſiliceae cum terris et ſalibus conuerſio in vitrum 39. vegetabilis et animalis cum calcibus metallicis colliquatae conuerſio in vitrum, ſuper ea experimenta 38. vegetabilis ſalibus mixtae converſio in vitrum 40. cum aliis terris miſtae conuerſio in vitrum 42. vitreſcibilis in aluminarem commutatio et natura 267 ſeq. ſimplices, earum inter ſe et cum calcibus metallicis miſtarum conuerſio in vitrum 42
Terram foliatam tartari parandi modus 281
Teſticulorum laeſio a lapſu 443. teſticulus pueri a catulo devoratus ib.
Tetani curatio 410
Tetrao tetrix femina Linn. eius color 395
Tetrodon moſa, amphibium 390

Theden, Chirurgus primus Regis Boruſſ. 170
Therapiae generalis primae lineae 696. 698 ſeq.
Thermae, de iis ſcriptorum catalogus 248 ſeq. Balarucenſes vid. *Balarucenſes.*
Thermometra, eorum vſus ad menſurandas locorum altitudines 31. thermometri noui maioribus caloris gradibus menſurandis apti conſtructio 516
Thermometricae obſeruationes circa aetherem vitriolicum 83 ſeq.
Thunberg, O. P. Eques ordinis de Waſa 169. ſociet. ſcient. Uliſſingenſ. ſocius 363
Tinctura antimonii Thedeniana, de ea monita 269. 286
Tinea betulinella, noua phalaenae ſpecies 388. grandaevella 394
Tineae capitis natura et curatio 647. ſedes et cauſſae 591 ſeq. natura et ortus 592. curationis modi ib. ſeq. retropulſae noxa 446
de la Torre, Marc. Ant. merita in anatomen 689
Torri, Co. Luigi, Oſſervazioni ſopra l'acqua bozzola o ſia fruſa 44
Trachea, in ea piſciculus haerens 576
Tracheotomiae vſus in angina oedematoſa 450
Trnka de Krzowitz, Wenceſl. hiſtoria cardialgiae 107
Tumores fungoſi cancroſi carpi eorumque curatio 9. varii polypoſi 313 ſeq. ſaliuales vid. *Saliuales.*
Tuſſis clangoſa infantum, eius diagnoſis et curatio 305. conuulſiua, de eius curatione obſeruata 667. in ea quando cortex peruuianus adhibendus? 91. ſicca frigidis ſanata 459
Typhus cynanche, morbus 407. petechialis, eius natura, cauſſae et curatio 402 ſeq. vid. etiam *Febris nervoſa.*

V.

Valerianae ſylueſtris radicis vſus in epilepſia 667
Variolae, in iis remedia 525. foetus in vtero materno 79. cur hominem ſemel tantum afficiant? 429. earum contagii et infectionis ratio ib. ſeq. inoculatio vid. *Inoculatio.*
Vaughan, Ricard. Diſſ. med. inaug. de rheumatiſmo 409
Venaeſectionis vſus in phthiſi 668. vſus et noxa in vulneribus 435. 438. 441
Venenorum diſtinctio 539
Venerea labes an et quatenus per ſputa et vſum communis calicis in ſacra coena propagari poſſit? 110 ſeqq. lues confirmata, eius natura et curatio 537. eius cum ſcorbuto complicatio 436 ſeq. in Ruſſia ope febris putridae ſananda 663 ſeq. ea infectorum infantum ſymptomata 569 ſeq. eius in noſo-

nosocomio infantum expositiorum curationis modus 566 seq. 568 seq. 572. vlcuscula, eorum ortus, causae et curatio 536. venerei morbi, eorum origo, natura, causſae et curatio 419 seq. de eorum natura et curatione obseruata 678 seqq.
Venti, *Harmattan* Afris dicti, effectus, noxa et salubritas 69
Ventriculi erysipelatis symptomata, signa et causſae 523. 525
Veratrum sabadilla, planta 140
Verbesina dichotoma 4
Vermes intestinorum, eorum ortus, causſae et remedia 422. ad sodinas hydrargyri frequentissimi 667. aduersus eos remedia 538. in rene et musculis dorsi reperti 584
Vernix ad obducenda vasa cuprea et terrea apta 276
Vesicatoriorum vsus in peripneumonia 567 seq.
Viennensis schola anatomica fundata 362. schola medicochirurgica, eius institutum et doctores 164 seq.
Vinum cum alumine adulteratum, eius cognoscendi modi expositioni praemium constitutum 702. emeticum, super eius vsu monita 455
Violae caninae radicis virtus emetica et laxans 661 seq. de eius vsu et dosi monita 662
Viscı querni vsus in epilepsia 666
Vita hominis quid sit? 397 seq. super eius duratione et probabilitate coniecturae 317
Vitrioli oleum glaciale fumans 289. naphtha vid. *Aether*.
Vitrum conflandi methodus noua 695. natiuum quid? 383. album cum nitro fusum, eius colores vnde? 30
Vlcerum tractatio 574. 577. venereorum curatio 438. vlcus alcali volatilis externo vsu sanatum 452
Vlmus pumila Linn. Sibiriae arbor 216
Vnthank, Io. Diss. med. inaug. de leucophlegmatia 418.
Vocis humanae species, causſae et vitia 423
Voitus, prof. Berolin. et tertius protochirurgus 363
Vollenay oppidi situs 313
Vomitus cruentus, de eo monita 674
Voullonne, ab acad. scient. et artium Diuionensi praemium accepit 167
Vrinae retentionis causſa singularis 576. curatio 455. in grauidis causſa 453
Vrticae species Iamaicensis 388
Vteri structura musculosa defensa 62 seq. de ea obseruata 590. structura cellulosovasculosa defensa 64 seq. orificium membrana praeclusum 587. polypus insignis magnitudinis 568. rupti obser-

obſeruatio 445. humani aberrationes 590. ſuilli et tubarum ratio 589 ſeq.
Vulnerum ope euacuantium tractatio 435 ſeq. 440. ope lintei carpti tractatio 450 ſeq.

W.

Wallis, Thom. Diſſ. med. inaug. de vermibus inteſtinorum 422
Webſter, Car. medicinae praxeos ſyſtema. Tom. I. II. III 519
Weiſſe, Io. Gottfr. Diſſ. de ſtructura vteri non muſculoſa, ſed celluloſo-vaſculoſa 64
Weiſſenborn, Ioh. Friedr. *von den Eitergeſchwüren der Leber* 657
Wichmanns. Ioh. Ernſt. *Aetiologie der Krätze* 633
Willemet, ab acad. ſcient. et artium Lugdunenſi praemium accepit 701
Wilſon, Henr. Brouncker Diſſ. de ſudore 424
Witkinſon, Abrah. Diſſ. inaug. de electricitate 409
Wrisberg, Henr. Aug. experimenta et obſſ. anat. de vtero grauido, tubis, ouariis et corpore luteo cet. 587

Z.

Zeolithorum examen 280
Zimmermann, acad. imperial. Petropolit. membrum et Phyſicus Petropolit. 169. Petropolin non adiens, ſed Brunſuici in poſterum commorans 363
Zinci cum ferro miſcela 285. cum ſulphure coniunctio, ſuper ea experimenta et obſeruata 311 ſeq. florum vſus in morbis neruoſis 581
Zückerts, Ioh. Friedr. *Mediciniſches Tiſchbuch. 3te Auflage* 692.

Emendan-

Emendanda.

p. 11. lin. vlt. quas lege quae
p. 29. lin. 14. facto l. facta
p. 42. lin. 11. misturus l. misturas
p. 53. lin. 23. suffultae l. suffulta
p. 75. lin. 7. operarum l. operariorum
p. 104 lin. 10. excipieos l. excipiens
p. 124. lin. 22. haee l. haec
p. 149. l. 24. spaerulis l. sphaerulis
p. 153. lin. 10. appositione l. appositioni
p. 154. lin. 15 qua l. quo
p. 160. lin. 10. cat. Diff. l. eat. Giff.
p. 177. lin. 25. MESINER l. MESMER
p. 181. lin. 11. GILIELMO l. GUILIELMO
p. 182. lin. 17. *des* l. *der*
p. 183. lin. 6. de l. des
p. 190. lin. 14. lin-même l. le-même
p. 210. lin. 24. oblongusculis l. oblongiusculis
p. 238. lin 25. puluere l. puluere
p. 239. lin. 5. quorum l. quarum
— lin. 15. conspicuum l. conspicuam
p. 240. lin. antepenult. intrupendum l. intrudendum
p. 244. lin. 25. abore l. labore
p. 253. lin. 1. cognoscatur l. cognoscantur
p. 255. lin. 29. vnum l. vnam
p. 278. lin. 27. THEOPHARSTI l. THEOPHRASTI
p. 284. lin. 31. mixtus l. mixtis
p. 287. lin. 24. CAVLNDISH l. CAVENDISH
p. 296. lin. 14. insperfa l. insperfo
p. 305 lin. 30. dacrydio l. diacrydio
p. 307. lin. 30. quos l. quas
p. 313. lin. 9. fali l. foli
p. 368. lin. 2. illustrates l. illustrated
p. 371. lin. 14. BOERHAARE l. BOERHAAVE
p. 374. lin. 31. HOVNE l. HORNE
p. 389. lin. 31. scorbutum l. scorbutus
p. 405. lin. 20. liquando l. aliquando
p. 412. lin. 33. causae l. causas
p. 445. lin. antepenult. possit l. possint
p. 450. lin. 29. peracto l. peracti
p. 453. lin. 14. insidemus l. insideamus
p. 470. lin. 17. HADERUM l. HARDERUM
p. 480. lin. 10. repetitum lege repetitam

p. 488. lin. 5. quam l. quum
p. 499. lin. 4. latinae l. latinas
p. 520. lin. 29. hoc l. hac
p. 525. lin. 2. intuilia l. inutilia
p. 540. lin. 18. vairorum l. variorum
p. 550. lin. 31. pollicit l. polliciti
p. 555. lin. 18. l'Apoplexiae l. l'Apoplexie
p. 557. lin. 14. on de l. on the
p. 558. lin. 18. veterinoire l. veterinaire
p. 560. lin. 18. libris l. et libris
p. 576. lin. 30. obdurans l. obturans
p. 577. lin. 24. experiuntus l. experiuntur
p. 580. l. 15. inſtuctum l. inſtructum
p. 583. lin. 19. mota l. motas
p. 589. lin. 29. vteri l. vtero
p. 593. lin. 30. viuum l. vinum
p. 597. lin. 34. adſcribitur l. adſcribuntur
p. 612. lin. 23. actis l. actio
p. 624. lin. 21. Febres l. Febris
p. 632. lin. 30. potentur l. potetur
p. 663. lin. penult. ſtaſtim l. ſtatim
p. 664. lin. 12. vbique l. vtique
p. 677. lin. 33. bardane l. bardanae

BRITISH MUSEUM